GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [1] - -


[Ms. IV, 2, 308 f]

Leibn. marg. 36

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

Annotationes hic illic ad-
jecit Leibnitius.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

PHILOSOPHIA VERA

Theologiæ & Medicinæ

MINISTRA,

an Theatrum Mundi dijudicanda;

Producta

AUCTORE

R. D. ALOYSIO TEMMIK,

Theologo & quondam Philosophiæ publico & ordinario Professore.

Cum permissione Superiorum.



COLONIÆ,

Prostat apud WOLFGANGUM MICHAHELLES & JOHANNEM ADOLPH. 1706.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [5] - -

PUBLIC DOMAIN

Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus. Psal. 118.

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

PRÆFATIUNCULA.

VEritatem propono, mi lector, quid melius expetas? eam autem non nisi proprio & nativo cultu insignem, cum non indigeat cerussâ & stibiô, quæ suomet se decore commendat. Illud potissimum de ea annotes, velim, quàm iniqua sit illa criminatio imperiti vulgi, quâ genuina & vera Philosophia traducitur apud incautos, quasi altioribus studiis non sit idonea. Tu illam fixis oculis à capite ad calcem æstima; & si genuinam esse

conſpexeris, ubi vel nutum feceris, plura huc ſpectantia, & hinc longô ſyrmate fluentia, ad obſequium tuum, à nobis exſpecta.



La-

LAMUELIS

SOLILOQIUM METAPHYSICUM

Sive

Scientia Entium & Entitatum ex universaliſſimis Dictaminibus Intellectûs deducta, ad firmamentum dogmatum Theologicorum:

Coordinata

à

R. D. ALOYSIO TEMMIK,
Theologo.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [9] - -
PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [10] - -

PUBLIC DOMAIN

)o(

PRÆFATIO.

CUm à juventute cognoſcendi veri appetenſiſſimus eſſem, & ideo ad publicas, quà lectiones, quà diſputationes, præavidus ſciendi accurrerem, ſolebat evenire plerumque, ut qui cum gaudio acceſſeram, cum tædio remearem. Etenim ordinariè videbantur dogmata ſcholaſtica non eâ proponi fundamentorum ſoliditate, quam ſpe conceperam; ſic, ut cogerer confiteri, me non niſi ambiguitates, & jam habitas auxiſſe, & non habitas collegiſſe. Illud verò maximopere indignum eſſe cenſebam, quod ea omnem in partem vacillent, quæ tamen ſcientialia nuncupabantur; quorũ eſt, ita intellectum

veritatis cognitione perſtringere, ut vel invitus ſequi cogatur: ipſa quin etiam divini oris eloquia, quæ ſimpliciter audita dubitationem omnem excludunt, ſi juxta ſcholarum effata explicarentur, non tantùm perſpicuitate non creſcant, ſed, ſi dici liceat, prope ipsâ veritate deficiant. Cœpi proinde mentem, omnem verſare in partem, mecumque identidem ſollicitè perquirere, cur reſponſio aliqua ſit parum firma? cur aliqua argumentatio ſuô nervô deficiat? numquid rectiùs ſubſtitui poſſit? ubi defectus lateat in aliquo aſſerto? cur alicujus Veritatis revelatæ non appareat firma baſis? ubi defectus rationum & cauſa caliginum? Hujusmodi inquietis diſcuſſionibus indefeſſus adeo intentus eram, ut non dubitarem annorum luſtra & decades, vel uni quæſtioni reſolvendæ inſumere. Cum itaque mihi me ipſe opponerem, nunc improbando, quæ ap-

pro-

probâram, nunc ad incudem omnia revocando, nunc quæ essent in oppositum, dissolvendo; solebam eadem demum concluſa, notare: quæ cum excrevissent non modicam in ſylvam, vertentibus annis, & in ordinem redacta fuissent; deprehendi, me conclusionum bene magnam seriem comparâsse, earumque universaliſſimarum, in quibus omnes ſcientiæ concordant. Hem! igitur mecum ipſe in ſilentio, ſed ingenti tripudiantis animi voce, exclamare cœpi, ἕυρηκα; invêni metaphyſicam in novâ luce, quam hactenus nonniſi per nebulas dictionum, non tam oculis, quàm, eſſe aliquam, auribus acceperam. Tibi, mi Lector, quid hac in re judicij eſt, ac animi? Relege ſanè, quia pauca ſunt: & ſiquidem eadem ſentis, fruere; ſi aliqua displicuerint, boni publici amore, indicare ne dubita; eſt etenim mea in

chartâ tum ad expungendum capacitas, tum in mente ad emendandum voluntas. Cæterùm, licèt veritas per ſe ipſam eſt expetenda: attamen ſcopum altiorem propoſitum habeo: ſcilicet: ut hoc ſtudio, doctrinam Theologicam & Revelatam, penitiſſimè oſtendam, eſſe ſcientiis naturalibus, & rectæ rationi conformem. Perſuaſiſſimum enim habeo, Luciferum, ex ignoratione hujusmodi univerſalium principiorum, identidem ſua ſibi latibula ſolere conſtruere. Unde hujusmodi ſtudia, per hominum inſectationes, opprimere conatur, nunquam non perſequendo veritatem creatam, inquit Nirenbergius, de ador. in Spir. cum increatam non poſſit.

Quia verò, qui neque Theologica curant, neque metaphyſica callent, ſolis experimentis phyſicis, quibus laudabiliter utiliterque intenti ſunt, acquieſcentes, nonnullas propoſitiones crudas interdum for-

formant; quarum causâ doctrina noſtra, quam genuinè Ariſtotelicam eſſe aſſerimus, malè traducitur, tanquam ad forum theologicum parum idonea ſit: ideo ad quasdam diviſiones entis, materiasque particulares, ſtrictim licèt & breviter deſcendo: ut appareat, quomodo ſcientiæ inferiores & ſingulares univerſaliſſimis ac metaphyſicis ſubordinandæ & ſubſumendæ ſint, ut eodem ſemper tenore & methodô, nunquam interruptô tramite, procedatur. Accipe lector, fruere, & ſanctè vive: hoc enim eſt verè eſſe hominem, *juxta illud Senecæ:* Homo veritatem inquirens, eam petens, illamque ſequens, omnis homo, *id eſt*, verus, perfectus, atque beatus homo eſt.

(o)

Sy-

)o(

Synopsis Materiarum per titulos distributarum.

Sectio I.

De forma relativa, an sit aliqua vera & realis entitas, ab entibus absolutis distincta?

§. 1. Quomodo nos affirmemus istam formam distingui à subjecto? *per numeros* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

§. 2. An forma relativa sit vera entitas in rebus, à parte rei verè ac realiter existens? *per num.* 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32.

§. 3. An eadem entitas rectè dicatur forma? *per num.* 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55.

§. 4.

§. 4. Explicantur formæ relativæ eſſentiales. *per num.* 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64.
§. 5. Explicatur quidquid ad modos pertinet. *per num.* 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93.

SECTIO II.

De ente, ſive de ſubſtantia in genere.

§. 1. De prædicabilibus entis. *per num.* 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106.
§. 2. Quæ ſit definitio entis, ſive quodnam ejus prædicatum genericum, & quodnam differentiale? *per num.* 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114.
§. 3. De proprietatibus entis metaphyſicis tranſcendentalibus. *per num.* 115. 116. 117. 118. 119. 120.
§. 4. De diſtinctionibus entis. *per num.* 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130.
§. 5. De negationibus entis. *per num.* 131. 132. 133. 134.

§. 6.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [17] - -
PUBLIC DOMAIN

§. 6. De possibilitate entis. *per num.* 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143.
§. 7. Quid sit, ens per se existere? *per num.* 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150.
§. 8. Quid rei sit, tum actio creativa, tum ei opposita existentia creata? *per numeros* 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159.
§. 9. Quid sit ens totaliter existens, sive subsistens? *per num.* 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169.

SECTIO III.

De ente Corporeo & incorporeo.

§. 1. De prædicamentis generatim. *per num.* 170. 171. 172. 173.
§. 2. Quomodo dividatur ens incorporeum & corporeum? *per num.* 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189.
§. 3. Ulteriùs comparatur substantia spiritualis cum corporea. *per num.* 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199.
§. 4. De prædicamento quantitatis. *per num.* 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215.
§. 5. De qualitate entis, prædicamento tertio. *per*

per num. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237.

§. 6. De prædicamento ad aliquid, sive motu locali? *per num.* 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244.

SECTIO IV.

Idea ortûs & interitûs entium.

§. 1. De materia mundi, & opere primæ diei. *per num.* 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253.

§. 2. De generatione firmamenti, elementorum, terrestrium, & mixtorum non viventium. *per num.* 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276.

§. 3. De generatione plantæ, opere tertiæ diei. *per num.* 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286.

§. 4. De ente sensitivo, opere quintæ & sextæ diei. *per num.* 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307.

SECTIO

)o(

Sectio V.

De Causis entium.

§. 1. De causis, & causalitatibus earum, generatim. *per num.* 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322.

§. 2. An concursus DEI necessarius sit ad omnem actionem causæ creatæ? *per num.* 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329.

§. 3. An quælibet causa possit *elevari* ad causandum quemlibet effectum? *per num.* 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 327.

§. 4. An causa possit agere in distans, &, quando non existit? *per num.* 338. 339. 340. 341. 342. 343.

Synop-

)o(

Synopsis Materiarum

In hoc Opusculo

Per singulos numeros tractatarum.

1. Distinctio, quid sit nominis & rei?
2. Quod ipsa sit unitas transcendentalis entis.
3. Non absolutè est aliud quàm ipsum ens: respectivè tamen & negativè est aliud.
4. Quod clarè docetur ab Aristotele.
5. Ens ergo, & ejus distinctio, non sunt diversa realiter, sed tamen formaliter.
6. Quod explicatur, ac demonstratur.
7. Socrates albus, Socrates & albedo, an sint termini æquipollentes?
8. Concretum, ut verè concretum sit, forma ejus debet verè existere.
9. Quod distinctiùs demonstratur.
10. Socrates albus, Socrates & albedo, quomodo differant?

)( )(11. Sci-

11. Scilicet differunt, quoad modum.
12. Quod explicatur ac demonſtratur.
13. Quid ſit diſtingui ratione apud Ariſtotelem?
14. Eſſe idem quod diſtingui relatione.
15. Quæ eſt diſtinctio realis minor.
16. An forma relativa ſit vera entitas, â fundamento & ſubjecto diſtincta?
17. Explicatur eadem quæſtio.
18. Exiſtunt entia innumera, verè relata.
19. Etiam ſecundùm eſſe ſuum formale.
20. Quod eſſe formale non eſt entitas abſoluta ſubjecti:
21. Nec entitas abſoluta termini.
22. Quod implicitè etiam aſſerunt adverſarij, dum negare videntur.
23. Id ipſum confirmatur.
24. Nec eſſe formale relati, eſt entitas formalis termini.
25. Nec eſt entitas ſubjecti & termini ſimul.
26. Nec eſt entitas merè concepta.
27. Nec merus conceptus entitatis.
28. Nec mera aptitudo fundans conceptum.
29. Eſt vera entitas ſubjecti, ab abſoluta entitate ſubjecti diſtincta.
30. Alioquin nihil faceremus, etſi ſemper operemur.

31. Ex-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [22] - -
PUBLIC DOMAIN

31. Exponitur quid rei ſit entitas modalis:
32. Quod ſit ſolum & unicum objectum judicij, quà talis.
33. Subjecti diviſio.
34. Quid ſit eſſe in ſubjecto?
35. Quid ſit eſſe totum, & quid pars?
36. Quæ formæ eſſentialiter requirant ſubjectum, quæ naturaliter?
37. Quid ſignificet terminus *naturaliter?*
38. Duplicem eſſe naturam.
39. Quod oſtenditur exemplis.
40. Entitates modales, propriiſſimè ſunt formæ.
41. Formæ effectus eſt reſtringere ſubjectum.
42. Modalitates neceſſariò inexiſtunt ſubjecto.
43. Forma de ſubjecto non poteſt dici in recto; nec contrà.
44. Demonſtratur hoc ipſum ratione;
45. Et exemplis.
46. Falſa ergo eſt propoſitio: Relatio eſt inadæquatè Philippus & Alexander.
47. Quia relatio ut ſic, non eſt totum.
48. Quod demonſtratur.
49. Simpliciter tamen, aliquo ſenſu, eſt quiddam totum cum ſubjecto.
50. Explicatur hoc:
51. Et oſtenditur.
52. Formam relativam verè ineſſe ſubjecto, docet fides.
53. Sicut & veram eſſe formam ſubjecti.
54. Quod explicatur diſtinctiùs.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [23] - -
PUBLIC DOMAIN

55. Quare â ſuo ſubjecto non diſtinguitur realiter.
56. Tranſitur à forma, ſubjecto accidentali.
57. Ad eidem eſſentialem.
58. Quæ eſt relatio eſſentialis, quam *tranſcendentalem* vulgò vocant.
59. Cujuſmodi ſolent eſſe potentiæ in ſubjecto diſtinctæ.
60. Et rectè dicuntur formæ.
61. Quamvis aliquo ſenſu dicantur etiam partes ſui ſubjecti:
62. Qui ſenſus explicatur.
63. Hujuſmodi potentiæ variæ ſunt.
64. Quæ & ſunt naturæ entium.
65. De modis, juxta ſenſum vulgarem:
66. Quibus cauſa determinatur ad cauſandum.
67. Modi vulgares, qui ſint res à ſubjectis realiter diſtinctæ, non ſunt apti.
68. Ad determinandam cauſam.
69. Aliunde quoque implicat talis modus;
70. Et deficit à ſe ipſo.
71. Sine eo haberi poteſt effectus ejus formalis.
72. Vulgaris error modiſtarum detegitur.
73. Qui evertitur.
74. Determinatio cauſæ evenit ſine ſpeciali entitate,
75. Quæ ſit verè producta.
76. Unde ipſa non eſt niſi entitas reſultans.
77. Quod oſtenditur,
78. Vel ex confeſſione Modiſtarum implicita.
79. Non ergo eſt ens verum:

80. Sed

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [24] - -
PUBLIC DOMAIN

)o(

80. Sed tantùm entitas, vera tamen:
81. Ubi quædam æquivocatio tollitur.
82. Concordantur modiſtæ & amodiſtæ.
83. Secundùm quid cauſa determinetur?
84. Quare actio non ſit res modalis?
85. A quibus pendeat actio?
86. Actio & paſſio ſunt diſtinctæ modalitates:
87. Quod explicatur.
88. Quomodo actio ſit prior effectu?
89. Quare ſit aliquid, quo fit effectus.
90. Quomodo differat actio à potentia?
91. Quomodo effectus determinetur per actionem?
92. Non admittitur actio actionis.
93. Referuntur variæ modorum ſpecies.
94. Prædicabilium ordo, quid inventionis ſit?
95. Oſtendit univerſalitatem in rebus.
96. Genus & differentia quomodo ſe habeant ad invicem, & quomodo ad ſpeciem?
97. Quomodo talia diſtinguantur per intellectum: activè ſcilicet & notionaliter.
98. Item per cognitionem, tanquam terminum relationis.
99. Quid ſit prædicari in quale, & quotupliciter hoc fiat?
100. Non ſunt idem qualitas & accidens.
101. Oſtenditur exemplis.
102. Multò minùs qualitas & accidens abſolutum.
103. Prædicatio quidditativa an qualitativam, an verò iſta illam inferat?

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [25] - -
PUBLIC DOMAIN

104. Quod constituit substantiam, an debeat esse substantia?
105. Evertitur hoc principium vulgi.
106. Principium verius datur, de finitante & infinitante.
107. Ens est, quod est aptum existere.
108. Quæ aptitudo Deo & creaturæ diversimodè congruit.
109. In Deo fundant infinitatem actu, tanquam proprietatem Dei.
110. Cujusmodi creari nulla potest.
111. Infinitudo autem in potentia, est infinita impotentia.
112. Hinc infinitè distant Deus & creatuta.
113. Accidens respectivum congruit etiam Deo.
114. Ens est analogũ respectu Dei & creaturæ.
115. Quid sit veritas & falsitas entis?
116. Quid bonitas?
117. Quotuplex veritas?
118. Quid unitas entis?
119. Quotuplex unitas?
120. Unitas formæ relativæ quomodo faciat relatum, ut sic, unum?
121. Unitas entis infert distinctionem entis, & varia variam.
122. Datur aliqua in eadem re, aliquo sensu, absoluta.
123. Quales non sunt proprietates entis inter se.
124. Etsi pluralitatem respectivam non effugiant.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [26] - -
PUBLIC DOMAIN

125. Non fit distinctio graduum formaliter per cognitionem;
126. Quod evidenter ostenditur;
127. Et confirmatur.
128. Solvitur argumentum unum,
129. Et alterum,
130. Ac tertium.
131. Ens merè negativum nullum est:
132. Quod demonstratur:
133. Et confirmatur.
134. Explicatur oppositio entium.
135. Quid sit ens in statu meræ possibilitatis?
136. In eo statu jam est verum ens:
137. Quod ostenditur:
138. Et Confirmatur.
139. Excutiuntur responsa.
140. Est autem res posibilis, analoga verbo Patris æterno:
141. Nam & ipsa est verbum Patris ad extra.
142. Ens possibile est etiam ens impossibile, & contra.
143. Hinc patet, quid sit ens Chymæricum.
144. Ens per se existere non est idem, quod ens essentialiter existere:
145. Neque quod propter se intenditur:
146. Sed quod secundùm se immediatè existit.
147. Ut patet â contrario de accidente, quod per subjectum existit.
148. Unde & accidens, non est ens secundùm se:

149. Alioquin esset substantia.
150. Nec de eo prædicatio fieri ordinatè potest, tanquam de subjecto:
151. Existentia entis est actus creationi respondens.
152. Creatio ergo est actio, dans existentiam enti.
153. Existentia verò est actuatio passiva entis possibilis, ut sic.
154. Creatio soli Deo est propria.
155. Quia ideam sufficientem nulla creatura habere potest.
156. Sicut nec requisitum dominium:
157. Nec potentiam effectricem.
158. Infinitatem ergo perfectionis arguit actio creativa:
159. Et quomodo competet creaturæ?
160. Cum ens per se existere sit accidentibus, subsistere autem, actibus suis substare.
161. In naturalibus positivè non differunt:
162. Sed tamen in negativo discrepant.
163. Increatæ verò hypostases in positivo sunt sitæ.
164. Unde istæ naturam creatam possunt assumere personaliter;
165. Et hujus subsistentiam absorbere.
166. Non ita Persona divina divinam.
167. Quod consequens est ex dictis.
168. Nec gutta aquæ unita oceano unitur hypostaticè.

169. Est

)o(

169. Est proinde hypostatica verbi divini assumptio solùm modalitas stringens.
170. Quid & quot sint prædicamenta entium, vel entis?
171. An illa sint genera, vel species entis?
172. Quid sit corpus naturale?
173. Num extet, aut possibile sit ens supernaturale?
174. Ens corporeum cur debeat posse tangere alterum, & tangi ab altero.
175. Non sic Angelus.
176. Quomodo peragatur motio à corpore in corpus.
177. Angelus ad intelligendum determinatur à Deo:
178. Et ab ipsis objectis.
179. Quid possit voluntas in intellectum?
180. Angeli loquuntur directione conceptuum.
181. Etiam nos cum Angelis, & alijs beatis.
182. Anima nostra quomodo differat ab Angelo?
183. Anima & sensus quomodo concurrant?
184. Quomodo & sensus externus cum interno?
185. Actus mentis implicat creativè existere.
186. Voluntas per quid sit formaliter libera?
187. Cur aliqui ejus actus necessarij sint?
188. An aliqua prædeterminatio moveat se ipsam?

)( )(5 189.

189. Quomodo ſola voluntas moveat ſe ipſam?
190. An ſpiritus poſſit ſe facere impenetrabilem?
191. An extendi in ſpatium?
192. Oſtenditur quod neutrum.
193. Nec per miraculum quidem.
194. Nec indiget impetu ad motum paſſivum, vel activum.
195. Anima non movet corpus tactu vel impetu;
196. Sed volendo.
197. Quamvis multi motus, ſpontanei dicti, aliunde determinantur.
198. In quibus prædicabilibus conveniat corpus cum ſpiritu, in quibus differat?
199. Solum corpus eſt ſubjectum & principium ſpacij.
200. Quantitas molis, eſt accidens merè modale.
201. Non eſt poſſibilis, maxima, vel minima.
202. Quod oſtenditur, ſolvendo argumentum.
203. An materia prima componatur ex partibus infinitis?
204. Quod negatur; quia foret infinitum multitudinis.
205. Non obſtat dicere: continuum conſtare ex partibus potentiâ multis.
206. Quia ſic continuum non eſſet continuum actu, quia non eſſet totum actu.
207. Nec ſequitur, nos corpus confundere cum Spiritu.

208.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [30] - -
PUBLIC DOMAIN

208. Punctum phyſicum indiviſibile eſt corpus quoddam, ſed non continuum.

209. Sicut æternitas Dei non eſt aliquod totum, neque continuum: implet tamen omne tempus.

210. Extenſio per ſe ipſam dicit ſupra & infra, ſicut æternitas â parte ante & poſt.

211. Sic omnia effata Mathematica conſiſtunt.

212. Atque hoc dogma æſtimat meritò Cardinalis de Lugo.

213. Oſtenditur analogia perfecta inter proprietates corporis & ſpiritûs.

214. Potentia impenetrativa videtur ſuo actu carere in Euchariſtia.

215. Etſi fortè nec hoc opus ſit, ad explicandum myſterium.

216. Qualitas quid ſit, & quotuplex.

217. Malè vulgus eam confundit cum accidente, & quidem abſoluto.

218. Inter corporeas ſunt, tenuitas,

219. Durities, mollities, lævitas, aſperitas, flexibilitas, rigiditas,

220. Humiditas, ſiccitas, calor, frigus, congelatio,

221. Raritas, denſitas, gravitas,

222. Vis elaſtica,

223. Sapor, odor, ſonus,

224. Lux, calor, lumen,

225. Reflexio & refractio.

226. Color.

227. Habitus intellectus Angelici.

228. Non

228. Non poſſunt conſiſtere in ſpeciebus;
229. Sed in actibus remiſſis.
230. Habitus volitionales, in iisdem actibus, ut inclinativis, ſiti.
231. Intellectio humana quomodo â ſenſu externo internóque pendeat?
232. Quomodo ſpecies ſensûs externi propagetur ad internum?
233. Quomodo per ſenſum internum moveatur appetitus?
234. Quomodo noſtra anima ſibi ordinet, & paret ſcientias?
235. Etſi ſpecies ejus memoriales, non ſint ſpirituales ſecundùm ſe.
236. Quales eſſent otioſæ & inutiles.
237. Habitus voluntatis naturales in homine, quid rei ſint?
238. Quomodo corpus locô moveatur, vel â corpore vel â ſpiritu?
239. Nec Deus, nec propriè Angelus locô movetur.
240. Motus, ſive tempus, coaleſcit ex inſtantibus.
241. Quæ, cujusmodi ſint, explicantur.
242. Et diſtinctiùs exponitur.
243. Motus in vacuo, & *metu vacui*, fictus eſt, ex fallacia non cauſæ ut cauſæ.
244. Motus localis eſt motuum aliorum principium.
245. Prima ſubſtantia mundi corporei, dum crearetur, erat quaſi ſemen omnium corporum.

246. Cui

246. Cui nullus inerat actus physicus,
247. Ac prædicamentalis; sed erat mera materia physica, dicta subtilis.
248. Quam spiritus Dei deinde, ex parte, tornavit in substantiã globulosam, quæ est lux.
249. Prout ex materia subtili & globulosa resultat.
250. Cujus motus & effectus exponitur.
251. Quomodo nimirũ organum visûs afficiat?
252. Et hoc est primum corpus physicum ac cœleste, sive materia secunda,
253. Ex quâ tertiam posthac materiam eduxit, constantem particulis inæqualiter figuratis, ex qua elementa vulgaria, & mixta, gigni possent.
254. Quomodo fecerit firmamentum in medio aquarum?
255. Sidera, & corpora lucida?
256. Ignem perfectum & imperfectum?
257. Formavit posthac aërem, summè, tum comprimibilem, tum extensibilem, & elasticum.
258. Deinde aquã, cujus qualitates recensentur.
259. Denique terram.
260. Mixta quænam perfecta, quænam imperfecta?
261. Generatio nubis, cur hæreat in medio aëre? aliquando tamen ascendat, aliquando descendat?
262. Ex nube quomodo pluvia fiat?
263. Fulmen quomodo imitetur sonum bombardæ?

264.

264. Quomodo generetur cuneus?
265. Quomodo & lapis intra viſcera terræ?
266. Quomodo metallum?
267. Semi-Platonici fruſtra fingunt pro formis horum corporum ſubſtantias, quæ poſſint ſeorſim à materia exiſtere.
268. Quorum fallax argumentum evertitur.
269. Aliud argumentum Semiplatonicorum.
270. Sed erroneum.
271. Probatur in exemplo.
272. Dicteria eorundem.
273. Contra ipſos oſtenditur, illam formam futuram corpus.
274. Eſſet prorſus impotens ad officium formæ præſtandum.
275. Aliunde nulla ratione ſubſiſtit.
276. Noſtram doctrinam expoſuiſſe, eſt pariter perſuaſiſſe.
277. Quid ſit planta?
278. Deſcribitur plantæ radix,
279. Et medulla, cum cortice.
280. Plantæ ſuccus, fibræ, ſpiritus, trachæa, caro ſeu parenchyma.
281. Quomodo planta ſuccum per radicem hauriat?
282. Ac circulando aſſimilet?
283. Cujus datur analogia.
284. Quomodo ſuccus accreſcat plantæ, eamque augmentet?
285. De figura, mole, coloribus, foliorum, florum, ſurculorum &c.

286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304

286. Omnes actiones vegetativæ peraguntur per formas respectivas.
287. Judicium S. Augustini de anima bruti.
288. De actionibus bruti.
289. Sensus quidem non errat:
290. Attamen per sensus, sæpe intellectus in errorem inducitur.
291. Quomodo differant sensationes hominum & brutorum?
292. Errores hæreticorum, ex non attenta dicta differentia.
293. Explicatur errandi modus.
294. Quid sit sensus & appetitus, cum actionibus eorum.
295. Receptio speciei impressæ nequit fieri per animam absolutam.
296. Neque motio appetitûs.
297. Sed omnia hæc facilè ostenduntur per formas modales.
298. An & quo sensu homo & brutum sentiendo cognoscant?
299. Analogia sensûs & appetitûs cum intellectu & voluntate.
300. Quomodo & quare bruta non possint discurrere.
301. Quàm diversimodè agant bruta & homines.
302. An bruti phantasiatio, sit cognitio materialis?
303. Ostenditur, nullo in sensu hoc dici posse.
304. Actiones brutorum non inferunt, nisi actionem modalem.

305. Ex-

305. Explicatur casus circa hominem metaphysicus:
306. Vel potiùs Chymæricus.
307. In quo sita sit vita?
308. Quid sint entis principia & causæ?
309. Docetur in exemplo domûs,
310. Et machinæ mundialis.
311. Quomodo motus, sit actus entis?
312. Actus hujusmodi, est existentia:
313. Alius forma substantialis: alius quantitas:
314. Alius qualitas: alius ubicatio.
315. Cujus causæ propria sit actio?
316. Quotuplices sint actiones corporis?
317. Actio vitalis qualis sit?
318. Quomodo causa agat in causam, an etiam in Deum?
319. Actio creativa quod soli Deo competat.
320. Vitali actione Dei, processiones fiunt ad intra.
321. Quæ duę sunt tantùm, sicut duplex est vita.
322. Causa efficiens non sola est physica, etsi sola activa.
323. Sine Dei concursu non potest fieri aliqua actio corporea.
324. Nec motio localis, nec locutio Angelica.
325. Et licèt determinatio voluntatis ut liberæ,
326. Sicut passiva determinatio, ut sic, cum actione Dei sociari nequeat præcisè;
327. Aliis tamen titulis actio concursiva requiritur.
328. Quod ostenditur in simili,

329. Et

329. Et clariùs explicatur.
330. Potentia obedientialis non habetur niſi in cauſa efficiente tantummodo.
331. Docetur per fidem.
332. Sacramenta non agunt phyſicè,
333. Nec propriè moraliter, nec agunt omnino *ut quod*, ſed ut inſtrumenta.
334. Quænam alia Sacramentalis cauſalitatis capacia ſint?
335. Lapis elevari nequit, ut intellectionem producat.
336. Nulla creatura ad creandum.
337. Nulla potentia corporea ad actionem alterius corporis vel ſpiritûs elevari poteſt.
338. Actio *in diſtans*, quomodo intelligi debeat aut poſſit?
339. Quomodo ad actiones quasdam Angelicas requiratur præſentia.
340. Actiones vitales nequeunt eſſe *in diſtans*: nec actiones corporeæ.
341. Nec cauſa, non exiſtens cauſare poteſt.
342. Quomodo fiant actiones thavmaturgæ?
343. Qualis fuerit ligni vitæ?

In-

Index rerum nonnullarum ſpecialiter annotatarum.

A.

Abſoluta entitas quid ſit dialecticè *n.* 7. - Quid metaphyſicè *n.* 16.
Accidens abſolutum eſſet ſubſtantia. 148. 149.
Actio cur non ſit res? 84. â quibus pendeat? 85. quomodo differat â potentia? 90. quomodo â paſſione? - 86. quomodo ab effectu? 88. - quòd eôdem prior. 88. *Actio actionis* nulla. 92. - Eſt procuratio actûs 311.
Actus corporis illuſtres quatuor. 313. - Eſt, quô formaliter tollitur privatio - 313 -.
Aëris preſſio ac tenſio 222.
Angelus Angelum movet aut figit locô 194. 318 -. non opus habet impetu ad movendum. 194. - intellectio ejus 177.
Anima humana quomodo ſit vegetativa ac ſenſitiva? 197.

Quo-

Quomodo moveatur ab appetitu? 197. quomodo moveat ſuum corpus volendo? 195. *& ſequentibus*. - Si poſſet movere impellendo, poſſet volare ad cœlum cum corpore, & illud reddere immortale 195. - quomodo intelligat? 183. 231. 232.

Argumentatio mala 103. 104. - Bona â quadruplici medio tantum factibilis 269.

C.

Cauſa operatur ens reſpectivum. 30. Cauſa reſultantiæ, & efficiens. 31. 47. Creativa reſpicit ens abſolutum. 31. *Partiales* quomodo ſimul habeant effectum totalem, 328. 329. Cauſa efficiens motûs. 176. Cauſa omnis motûs & rerum omnium conſervativa, gubernativa Deus. 176. Semel exiſtentia, naturaliter conſervantur. 176. - Cauſa determinans. 177. 178. 179. - Cauſant intellectionem, DEUS. 177. objecta 278. Voluntas 179. - loquentes 180. - Homo. 181. - Dæmon 181. Cauſa motûs corporis anima 194.

Conceptus & conceptibilitas, erroneè confunduntur. 96.

Concretum quomodo diſtinguatur â ſubjecto & forma ſuâ? 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

Colores quid rei sint. 226.
Corpus humanum an viveret, animâ rationali in eo integro & sano destructâ? 305. 306.
Creatio quomodo sit productio rei ex nihilo? 158. 312.

D.

Deum existere, demonstratur. 323. 324. - Cur ter subsistat? 321.
Distinctio quid nominis? 1. 121. quid rei, ex Aristotele? 4. unum subjectum sunt plura concreta. 10. 11. 12. Distingui *ratione*, quid sit apud Aristotelem. 13. 14. - Distinctio *realis minor*. 15. - differre *ratione*, non est idem quod *cognitione*, 13. *Realis* non est inter subjectum & formam. 55. Gradus metaphysici, per intellectum activè distinguuntur. 97. & tanquam per terminum relationis, non tanquam per formam distinctionis, 98. 125. 126. *& seqq.* - realis distinctio quotuplex? 121.

E.

Ens quomodo analogum respectu Dei & creaturæ, & quomodo non? 114. Quo sensu possibile sit ens supernaturale? 173. Quid sit *ipsum per se existere*? 144. *& seqq.* Quid *subsistere*? 162. quid sit *existere simpliciter*? 157. oppositio entium 134.
Errores Eminentiores vulgi. 96. 97. 98. 100. 102. 103.

103. 104. 105. 110. 145. 182. 199. 205. 217. 218. 236. 243. 268. 270. 298. 304. 322.

Eucharistia Mysterium sine penetratione explicatur. 115.

Extensio, spatium imaginarium, vacuum, inane quid sit? 191. Cur Angelo miraculosè non possit concedi? 193. Spatium, est potiùs in corpore, quàm corpus in spatio. 208.

F.

FOrma relativa an sit vera entitas distincta â subjecto & termino? 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. Quid sit? 31. - Quid non sit? 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. Existit in rebus. Quædam sunt essentiales subjecto, 56. 57. - Et potentiæ naturales. 59. 64. Variæ sunt. 63. 93. Quædam *substantiales* ex pluribus *partialibus* compositæ. 286.

I.

INfinitudo cur propria Deo? 109. 110. 112. Creaturæ non congruit 111.

Intellectio. vid. Causa.

L.

LOcutio quid sit? 177. An fiat inter damnatos & beatos? 180. Quomodo fiat directio conceptuum? 180. Quomodo Angeli nobiscum loquantur? 181. Quare non beati nobiscum? 181.

Liber-

Libertatis & prædeterminationis negotium & lis absolvitur. 186. 187. 188.
Lex mentis & membrorũ quomodo diversa? 197.
Lux & lumen quomodo differant. 224. Ejus reflexio & refractio explicata 225. quomodo eam separârit Deus â tenebris 253.

M.

Modalitas quid sit? *Num.* 11. 12. Non est ens 32. Est tamen vera entitas. *ibid.*
Modi vulgares quid sint? 65. - Non subsistunt 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. - Modi nostri quid sint 76. 77. 78. 79. 80.
Motus corporum mutativi. 313. vide Causa. Motus organorum 197. peragitur â corpore tangendo: â spiritu volendo. ita movet anima corpus suum. 195. *& seqq.* nec aliter potest. *ibidem.*
Motus cur in fine velocior? 221. Est librativus, qui ex metu vacui audit. 243.
Materiæ subtilis existentia. 222. 246.
Memoria quomodo comparetur, augeatur & ordinetur? 234. Quomodo maneat in anima separata? 236.

N.

Nova præ antiquis non sunt temerè ponenda. 101.
Negatio mera nulla est. 131. *Negativum & positivum* quid sit? 131.

O.

Oppositio entium. 134.

P. *Pro-*

P.

Proprietas metaphysica entis 115. 116. 117. 118. & entitatis 120.

Penetratio corporis quomodo fieri possit? 174. Non est necessaria ad Eucharistiæ mysterium. 115.

Plantæ succus quomodo circuletur? 278. 282. Hujus seminis origo & germinatio. 280.

Phantasma depurari quid sit? 298. 299.

Potentiæ mentales non habent se tantum passivè. 300.

Privatio & vacuitas impletur suo actu. 311.

Q.

Qualitas absoluta 102. Nulla affertur quæ non sit respectiva. 218. *& seqq.*

Quantitas non est accidens absolutum. 313.

R.

Resultare quid sit? 31. Ejus causa. 47.

S.

Subjectum & totum quomodo differant. 40.

Substantia quo sensu existat & quô non? 144. 145. 146. 147. Substantia inadæquata 182. 273.

Subjectum spacij, est solum corpus. 199. Aliud quodvis, quod sit extra corpus, aut non sit corpo-

corporis, Chymæricum eſt, 199. Unde ſpiritus, locô extendi nequit. *ibid.*
Senſationes quomodo per agantur? 223. Quid propriè ſint? 294. 317.
Species impreſſa. 232. & 233. Spiritualis & phantaſtica quomodo ſit eadem? 236.

U.

UNiverſale in rebus 95.
Voluntas quid poſſit in intellectum? 179. 184.
Vacui metus fictitius. 218.
Vita an in actione ſita? 307. 317. 320.



SECTIO

SECTIO I.

De forma relativa, an sit aliqua vera ac realis entitas ab entibus absolutis distincta?

§. I.

Quomodo nos affirmemus, istam formam distingui â suo subjecto?

Definitio I. Distinctio est forma quæpiam qualiscunque, quâ ens determinatum, non est ens aliud. Nam si ens A. esset ens B, non esset distinctum ab eo, cum idem non sit negatio sui ipsius. Ex eo igitur ens est distinctum ab alio, quod ipsum non sit aliud.

2. *Definitio II.* Eadem hæc forma, sive distinctio entis, est ipsa transcendentalis unitas entis. Quia enim ens quodpiam unum est, ideo cum altero ente est duo, & sic non est alterum; nam si lignum esset lapis, lignum & lapis non

essent duo, & ideo lignum non distingueretur â lapide. Sicut proinde quodvis ens se ipso est unum, & ideo indistinctum â se, ita se ipso cum altero est duo, & se ipso ab altero distinctum.

3. *Definitio III.* Eadem proinde distinctio non est aliquod absolutè distinctum ab ente, cujus est distinctio; sed est mera Metaphysica passio entis, planè sicut & veritas, ac bonitas entis: Unde sicut ista solùm respectivè distinguuntur ab ente, quod est verum, ac bonum, ita distinctio entis solùm respectivè distinguitur ab ente, quod distinguitur ab alio ente.

4. *Definitio IV.* Quam solùm respectivam distinctionem uti breviſſimè, ita clariſſimè simul ac efficaciſſimè docet ac ostendit Aristoteles, loquens de Socrate, qui sit Musicus & albus: de quo sic habet, 1. Phys. C. 2. Text. 21. τὸ μουσικὸν δὲ καὶ τὸ λευκὸν τῷ ὑποκειμένῳ μὲν τὸ αὐτὸ, τῷ δε λόγῳ διαφέρουσιν. *Album & Musicum* (sive Socrates, qui albus est & musicus) *subjecto quidem est unum idemque, sed ratione differunt*, sive sunt quidem unum, secundùm subjectum; sed non sunt unum, secundùm formas inexistentes; quæ duæ cum sint, duplex faciunt concretum, ex uno licet subjecto. Sed hoc ipsum ut meliùs exponamus

5. *Dico I. Facile est rationem dare hujus Aristotelicæ doctrinæ.*

Demonstro. Nimirum Socrates albus, & Socrates Musicus, quodammodo sunt unum, & quo-

quodammodo sunt duo. Unus est Socrates simpliciter; & sic Socrates ut sic, â se ipso non distinguitur, quia sic secum ipso non est duo. Attamen cum diversis formis facit diversa concreta & composita; nam compositum *Album* est compositum unum; & *Musicum* est unum quoque compositum, & album non est idem quod Musicum; aliàs album esset Musicum, & contra: ergo Socrates idem cum formis duabus facit composita duo: ergo, ùt cum una forma est unum compositum, distinguitur â se ipso, ùt cum altera forma facit alterum compositum: unde & videtur tantùm ùt albus, & non auditur; ùt Musicus verò auditur tantùm, & non videtur. Vides distinctionem ratione formarum?

6. *Dico II. Socrates albus non est idem, quod Socrates & albedo.*

Dem. Nam Socrates & albedo sunt duo subjecta, æquè ac Socrates & Pythagoras, non autem sunt concreta: sed Socrates albus est unum subjectum, & simul concretum *per Concl.* 1. Ergo non sunt planè idem. Dein potest esse Socrates & albedo, etsi non ideo sit Socrates albus, non tamen potest esse Socrates albus, nisi sit Socrates & albedo. Ergo Socrates & albedo non sunt idem quod Socrates albus: Nimirum Socrates & albedo sunt duo subjecta; Socrates albus est unum subjectum: ergo *per Concl.* 1. non sunt idem.

7. *Dico III. Socrates & albedo, & Socrates albus, etsi quodammodo differant; non tamen significant ullam entitatem absolutam, prater Socratem & albedinem.*

Dem. Imum. Quia *juxta Concl.* 2. non sunt prorsus idem; ergo quodammodo differunt.

Dem. IIdum. Quia Socrates albus est *Socrates habens albedinem*, sive est concretum, ex Socrate tanquam subjecto, & albedine, tanquam forma; ubi non sunt nisi duæ entitates absolutæ eædem, scilicet Socrates & albedo: quam albedinem hîc supponimus esse formam absolutam.

8. *Dico IV. Similiter Socrates albus & idem Musicus, non continent plùs nec minùs entitatis absolutæ, quàm Socratem, albedinem, & musicam.*

Dem. Sicut impossibile est, esse Socratem album, nisi absolutè sint Socrates, & albedo, ut dictum est *concl. præc.* ita impossibile est, eundem Socratem esse Musicum, nisi sit absolutè & musica; si igitur musica sit forma absoluta (quod hîc sinamus esse, cum nil ad rem faciat) necesse est, formam illam esse absolutè, & simpliciter, si Socrates sit illâ informatus. Hinc

9. *Demon. Distinctiùs & breviùs.* Socratem esse album, est Socratem esse informatum albedine; & eum quoque esse musicum, est, eum quoque esse informatum musicâ: sed non potest esse informatus musicâ velut formâ, si

illa

illa forma non sit ; cum concretum sit subjectum, & forma in subjecto : ergo si utrâque formâ sit informatus , utraque forma debet esse, sive entitas utriusque formæ debet inexistere Socrati ; ergo debet existere cum Socrate, cum inexistere non possit , nisi existat. Non igitur minùs entitatis absolutæ potest conficere dicta concreta , neque etiam plùs nominari potest, *juxta Conc.* 2.

10. *Dico V. Igitur Socrates albus , Socrates & albedo, non differunt quidem , quoad entitatem absolutam , sed tamen quoad respectivam.*

Dem. Imum. Quia nihil entitatis absolutæ continetur in Socrate albo, nisi Socrates & albedo ; neque plus neque minus absolutæ entitatis continetur in Socrate & albedine, quàm sit in Socrate albo, *per Conc.* 3. & 4. Non igitur ipsa differunt secundùm id quod sunt absolutè, attamen differunt, *per Conc.* 2. ergo differunt quoad entitatem respectivam ; cum sit præcisissima divisio entitatis, in absolutam & respectivam.

11. *Dem. IIdum.* Socrates albus , tametsi semper significet , & contineat Socratem & albedinem ; tamen hæc non solùm significat, sed simul modum utriusque involvit. Nimirum Socratem involvit, & simul subjectantem albedinem ; & albedinem involvit, sed eandem subjectatam in ipso. Non autem Socrates simpliciter, est Socrates habens albedinem , cum possit eâ carere : nec albedo est albedo subjectata in So-

crate, cum possit in alio aut planè in nullo subjectari: Itaque Socrates albus, præter Socratem & albedinem, significat modum existendi, & habendi juxtà existentiam albedinis in Socrate, & ex parte Socratis habentiam, seu subjectationem.

Subsumo: Illa subjectatio vel inexistentia, vel inhæsio, non possunt ullâ ratione subsistere, nisi in subjecto, nec potest esse subjectatio sine subjectante, neque inhæsio sine inhærente: ergo ista non sunt entia absoluta, sed entitates respectivæ, sive modalitates, quæ aliud non sunt, quàm entitates, quas implicat existere absque subjecto. Hinc

12. *Dico VI. Socrates albus, Socrates & albedo, differunt non quoad rem; sed quoad modum tantùm.*

Dem. Quia modus, modalitas, entitas respectiva, veritas relativa, & his æquipollentes termini, idem apud me significant, & aliud non est necesse, nisi ut exponam; quid intelligam, per tales terminos: atqui differunt quoad entitatem respectivam, quæ est modalitas, *per Concl. præc.* ergo etiam quoad modum inprimis differunt. Deinde non differunt quoad rem; quia similiter per rem hîc, ubi opponitur modo, non aliud intelligitur, quàm res secundùm se, sive quoad suum esse absolutum.

13. *Dico 7timo. Modalitas tamen illa, quâ Socrates albus differt à se ipso, ut Musico, non est cognitio intellectûs; & dum Aristoteles dicit* differre

differre ratione â se ipso, non vult dicere, quod differat per conceptum & cognitionem.

Dem. Eatenus differt à se ipso, quatenus est habens albedinem, sed non tantùm; cum sit etiam habens Musicam, & ideo eatenus duas subjectationes duarum formarum subit; sicut & forma ipsa duas inexistentias: sed subjectatio illa est, & manet, etsi Socrates sit dormiens, & omnis cognitionis impos: ergo cognitio & subjectatio sunt duo; ergo distincta sunt, & non sunt unum. Similiter inexistentia albedinis est aliquid albedinis; nam hæc est, quæ inexistit: non autem cognitio aliquid albedinis esse potest; cum albedo nullo modo possit facere subjectum cognoscens: igitur illæ modalitates, sive respectus, per quos Socrates distinguitur à se ipso, non sunt cognitio intellectûs, & quando Socrates distinguitur à se ipso, propter duplicem subjectationem suam, quam ad suas formas habet, non potest dici distingui à se ipso per conceptum.

14. *Dico 8tavo. Distingui ratione significat idem ac distingui relatione.*

Dem. Significat distinctionem propter aliquid; propter nihil enim non distinguitur â se ipso: ergo vel propter ipsum Socratem absolutè, vel propter formas absolutè, vel propter formas & Socratem respectivè, vel propter cognitionem earundem rerum: non propter ultimum, *ex Conc.* 7. nec propter primum ac secundum, *ex Conc.* 2. & 5. quia non est diversus â

se ipso, propter se ipsum simpliciter ac absolutè, nec propter albedinem absolutè, cum utrumque possit esse, & ipse esse non albus: sed ideo, quia est habens albedinem, sed non tantùm, verùm etiam est habens musicam. Ergo propter relationem ad diversa, ipse est â se ipso diversus, propter subjectationem scilicet, vel quia habet utramque formam; quæ habentia vel subjectatio, est quædam relatio, quædam entitas respectiva, quoddam esse relativum, quædam modalitas.

15. *Dico 9no. Docet Aristoteles distinctionem reali minorem in ipsa re.*

Dem. Docet Aristoteles distinctionem in ipso Socrate, habente albedinem, & habente musicam; quia scilicet habens albedinem, non est, per hoc, musicus, & habens musicam non ideo est albus: hæc autem distinctio non est per conceptum, sed per respectum Socratis diversum, ad diversas formas, qui respectus re ipsa est, independenter ab omni cognitione, *per Conc. 7. & 8.* hæc autem est minor distinctione, quam habet Socrates â Pythagora, aut quam habet ab albedine: quatenus autem distinguitur â Pythagora, distinguitur ab alio, non â se ipso: sicut etiam dum distinguitur ab albedine: hæc igitur cum sint res propriè, & concretim, faciunt cum Socrate, distinctionem rei â re, sive realem; quæ major est illâ, quâ distinguitur Socrates â se ipso, diversimode affecto, & diversis formis modificato; cum modalitas non sit res con-

concretim & propriè, ſed abſtractim & impropriè, ſive ſit tantùm rei modalitas, non ipſa res, ſive habitudo quædam talis ſubjecti, ipſa verò non ſit ſubjectum, quocirca, juxta Ariſtotelem, facit diſtinctionem, non ſubjecti â ſubjecto, vel rei â re, ut nos loqui ſolemus; ſed ſubjecti â ſe ipſo, propter diverſas formas remotè; & proximè ac formaliter, per modalitatem diverſam ad formas; quæ modalitas non eſt res, etſi aliquid rei; non eſt ſubjectum, ſed aliquid ſubjecti, aliquid, inquam, abſtractim, non concretim. Quod igitur Ariſtoteles vocat diſtinctionem rationis, nos appellamus formalem, quam bene poſtea videbimus.

§. II.

An forma relativa ſit vera entitas, in rebus, à parte rei, verè ac realiter, exiſtens?

16. *Defin. I.* Non quærimus, an talis forma ſit entitas abſoluta, qualis abſolutè, absque ſubjecto, & creativè, exiſtere poteſt: cum ſupponamus talem non eſſe, neque quærimus; an revera exiſtat id, quod refertur ad alterum, & dicitur relatum, ſive relationis ſubjectum: neque an exiſtat id, ad quod ſubjectum refertur; hæc enim abſoluta cum ſint, ſupponuntur exiſtere. Neque quærimus, an ratio fundandi exiſtat, v. g. albedo in pariete, hoc enim etiam

ſupponimus. Sed quærimus, an verè exiſtat id, quo fundamentum aliò refertur, ſive an exiſtat relatum ùt ſic, & ſecundùm id, quô relatum dicitur; ſive an ſecundùm ſuum formale exiſtat; ſive an præter entitatem abſolutam ſubjecti, & termini, exiſtat entitas aliqua diſtincta ac reſpectiva, quâ ſubjectum de abſoluto fiat reſpectivum formaliter & immediatè?

17. *Defin. II.* Si enim non exiſtat talis forma, conſequenter talis forma relativa vel erit entitas merè concepta, vel merus conceptus talis entitatis; vel mera aptitudo fundans talem conceptum, vel certè erit mera entitas abſoluta ſubjecti, aut termini, aut utriusque: de quo

18. *Dico I. In rebus ipſis exiſtunt innumerabilia entia verè relata.*

Demonſtro abunde ex omnibus ſpeciebus, & generibus entium. Nam præter ſubſtantiam & accidens abſolutum, ſi quod usquam exiſtit, omnia novem prædicamenta ſunt entia relata, exiſtit in entibus multitudo, & numerus, par, impar, proportionalis, improportionalis; exiſtit corpus magnum, parvum, æquale, commenſurabile, incommenſurabile, cubicum, aſperum, dolatum, lævigatum; exiſtunt domini, ac ſervi, parentes & liberi, ſuperiores & ſubditi; exiſtunt agentia & patientia, amantia & amata, moventia & mota, cauſantia & cauſata: exiſtunt præſentia & abſentia, anteriora & poſteriora, ſuperiora & inferiora, exiſtunt præterita, præſentia, & futura; Antichriſtus enim futurus

futurus est, Adam præteritus, ego præsens; existunt stantia, sedentia, jacentia, vestita, nudata &c. artes ac scientiæ meris entibus respectivis & constant, & sunt circumdatæ. Sartor facit vestes religiosas, clericales, sæculares, viriles, muliebres: pictor efformat Angelos, dæmonas, homines, statuarius sculpit: Geometra ab omni absoluto abstrahit, quantum abstractim considerat: Logicus in Syllogismo, antecedens & consequens, in propositione subjectum & prædicatum attendit: Physicus corpus sanum, ægrum, herbasque salutares meditatur, & noxias: Ethicus actus morales, & humanos, bonos & malos exponit: Theologus subsistentiam in Christo, libertatem in DEO, examinat; peccatum actuale, originale, habituale, remissam gratiam prævenientem, subsequentem, efficacem, inefficacem describit; apud Legistas alius est habens jus, obligationem sustinens; alius censurans, innodans, dispensans; alius censuratus, innodatus, dispensatus; & quis infinitam sylvam entium respectivorum non videat?

19. *Dico II. hujusmodi entia existunt, & sunt relata, non solùm quoad suum materiale, sed etiam quoad formale.* Idem est, si dicas, non solùm quoad esse absolutum, sed & quoad respectivum, & cum formâ.

*Dem.*Imum. De materiali dubium esse non potest; Quis enim dubitet, existere hominem, qui est pater, lignum, quod est sphæricum? *Secundum:* quòd etiam ipsum formale, sive ipse

respe-

reſpectus hujuſmodi entium ſit in rebus, nonnullis falſum videtur ; facilè autem oſtenditur ; Nam omnia illa entia non ſunt talia, per ſuum eſſe materiale, & abſolutum, ſed per formale & reſpectivum : ergo ſi re ipſâ relata ſint, ut patet *ex Concl. præc.* re ipſâ quoque habent ſuum formale ac reſpectivum. Si unitates non haberent multitudinem, & in hoc paritatem, imparitatem, proportionem, ipſæ non eſſent multæ, pares, impares, proportionatæ. Si ligni globoſitas non exiſteret, ipſum lignum globoſum non eſſet : quare enim tibi naſus eſt unus, & oculi duo, niſi quia illius unitas, & iſtorum dualitas revera exiſtit? quomodo caput tuum eſt ſupremum membrorum, pedes infimi, ſi illius ſupereminentia, & horum ſubjectio revera non ſit? quomodo corpus eſt ſanum, ſi ſanitas non ſit in corpore? Actus quomodo moralis, ſi moralitas ejus ſit nulla? Concilia de nihilo diſputârunt, nihilque contra hæreticos declarârunt, quando in Chriſto affirmârunt, ſubſiſtere deitatem ſubſiſtentiâ propriâ, humanitatem alienâ, ſi ſubſiſtentia nihil eſt, niſi humanitas & deitas. Quomodo peccator habitualiter manet peccator, ſi habitualitas nihil eſt, & ſi reatus hominis nihil eſt niſi homo? certè ſi homo peccator & reus eſt, retinet peccatum & reatum, quæ ſunt aliquid præter eſſe hominem, cum aliud ſit hominem eſſe, & manere, aliud peccatorem eſſe, & manere? Profectò hæc, & ſimilia infinita,

tam

tam evidentia ſunt, ut hoc ipſo videar agere imprudenter, dum oſtendere conor: & meritò cenſuit Congregatio IX. generalis Societatis JESU, non videri docendam propoſitionem hanc, *Relatio ſimilitudinis, paternitatis &c. non eſt formaliter in rebus, aut in ſuo fundamento, ſed eſt aliquid rationis, aut mera intellectûs comparatio.* Videlicet diſtingui ratione, non eſt ſemper idem ac diſtingui cognitione, apud Ariſtotelem *per def.* 4. *& Conc.* 9. §. 1.

20. *Dico III. Illud eſſe formale ſeu reſpectivum, non eſt ſola entitas abſoluta ſubjecti, aut termini.*

Dem. I. Quia lignum ut ſic, & quatenus lignum, non eſt cubicum neque globoſum; linea ut linea, non eſt curva, homo ut homo non eſt Conſul, civis, ſubditus, excommunicatus &c. Deinde quodvis ens poteſt habere infinitos reſpectus, quos actu non habet: cum ergo ſine formali, nullum habeat reſpectum, eò quod eſſe formale, & reſpectivum, idem ſignificent; patet non eſſe idem, entitatem ſubjecti abſolutam, & eſſe ejus formale. Sed quid hæreo hîc? nonne in terminis ipſis notum eſt, aliud eſſe materiale, aliud formale?

21. *Secundum*, quod eſſe formale entis relati non ſit etiam entitas abſoluta termini, quod quidam

quidam existimant, facilè demonstratur: nimirum etiam termini entitas alia est absoluta, alia respectiva. Potest enim esse Alexander, & non esse Philippi filius. Quippe ni? ergo patet, posse esse entitatem Alexandri absolutam, etsi non sit ejus entitas respectiva, quâ filius est Philippi; ergo entitas ejus absoluta non est eadem, quæ respectiva. Ita argumentari potes de omnibus ad aliud relatis, ad quæ poterant non esse relata: ergo illa, ad quæ relata sunt, poterant non esse termini; ergo aliud est esse terminum relationis, aliud est esse illam entitatem absolutam, quæ est terminus. Sic aurum, quod tu habes in tuâ cistâ, non facit me divitem, sed te; etiamsi eadem entitas auri absolutè existat, sive tu illud possideas sive ego, sive jaceat in fundo maris: non igitur esse te divitem auri, est entitas auri, sed est entitas auri respectivè ad te, sive possessa â te: aliud autem est, te possidere aurum, aliud aurum absolutè existere; alioquin ego etiam essem dives tuo auro, & tu dives illo auro, quod infra oceanum demersum est.

22. *Dem. II.* Ex responsis adversariorum, ad hujusmodi argumenta nostra reddi solitis. Dicunt etenim formale relati non esse terminum qualitercunque, sed certo modo se habentem; Alexandrum esse filium Philippi, & hunc denominare patrem, non præcisè, ùt Alexandrum,

drum, ſed pendentem à Philippo; aurum non ùt quocunque modo exiſtit, ſed prout poſſidetur â te, facere te divitem; Athenas diſtare Thebis non ſimpliciter; ſed quatenus tantum Spatii intermedium habent, &c. Quid enim hoc eſt aliud, quàm reſponſo affirmare, quod volumus; Scilicet entitatem termini, quà terminus eſt, non abſolutam, facere fundamentum ad ſe relatum, ſed juxta certam ejus modalitatem, ſive eſſe reſpectivum, & eſſe terminum, & ſimul viciſſim referri ad fundamentum, ut mutua ſit relatio.

Affirmas proinde & negas eadem planè quæ nos: negas Alexandrum eſſe filium, quia homo iſte eſt, & nos negamus. Affirmas eſſe filium, quia generatus eſt â Philippo, & nos hoc ipſum affirmamus. Jam verò nonne aliud quid eſt, eſſe Alexandrum, aliud eſſe generatum â tali? ſi idemeſt, fieri non poteſt, ut Alexander ſit, & non ſit filius Philippi, quod tamen negas; ſi idem non eſt, aliud ergo eſt: non utique ſecundùm eſſe abſolutum; ergo ſecundùm reſpectivum.

23 *Dem. III.* Ab omnibus docetur duplex *eſſe* in fundamento, *Eſſe In*, & *Eſſe Ad*, *Eſſe In*, eſt, quod nos abſolutum vocamus, & *Eſſe ad*, quod hîc reſpectivum vocamus; atqui termini entitas abſoluta non eſt *Eſſe ad* ipſius fundamenti; nec eſt in fundamento; cum terminet

eſſe

esse illud, ad quod est in fundamento, se ipsum autem terminare non possit.

24 *Dico IV. Esse formale relati non est entitas formalis ipsius termini:*

Dem. Entitas formalis subjecti relati est illa, quæ determinat ipsum subjectum ad terminum, sine quo ipsum subjectum indifferens est, & se habet indifferenter ad talem terminum. e. g. generatio activa est ratio formalis, quâ Philippus respicit Alexandrum ùt filium, & generatio passiva, sive genitum esse, est relatio formalis, quâ Alexander, alioquin indifferens, est terminus Philippi, se respicientis, ideoque tanquam filius refertur ad Philippum. Si verò formale subjecti relati, esset formale ipsius termini; in hoc exemplo Philippus respiceret Alexandrum, non solùm propter generationem activam, sed etiam (vel solùm) propter passivam, seu filiationem: ergo non esset tantum Pater Alexandri, sed etiam, aut tantùm, filius ejus; & contrà Alexander esset etiam Pater Philippi. Quæ falsa cum sint, patet, esse formale subjecti diversum esse debere, ab esse formali termini. Licebit hujusmodi absurditates, quamvis plures hîc addere, ex omni genere respectivorum, de quibus supra *Conc. I.* Sic e. g. quia peccatum est majus, propter excellentiam Dei offensi, ipsum peccatum foret excellens, &c.

Dico

25. *Dico 5to esse formale relati non est entitas, & subjecti, & termini simul.*

Dem. Quod non sit utriusque entitas respectiva, sufficienter patet ex *Concl. præc.* Quod verò non sit utriusque, entitas absoluta simul, patet tum ex eo, quod implicet esse relatum aliquod per solam entitatem absolutam *per concl. 2. & 3.* tum ex eo, quod hoc ipso, quando dicis, *simul*, non nomines entitates absolutas tantum; cum ipsa *simultas* quid respectivum significet. Vel enim terminus *simul* significat solam entitatem absolutam subjecti & termini, vel aliquid præterea? non primum; nam in quo Lexico reperies terminum *simul* significare substantiam Alexandri, esse nomen substantivum &c. si igitur neque entitatem absolutam terminus hic significat, neque respectivam, cum nullam admittas, quare tu illum terminum nihil significantem usurpas? possum hîc idem dicere de quovis verbo cujusvis modi, ac temporis, de quovis adverbio, præpositione, conjunctione; quorum significatum adferre tibi erit ἀδύνατον, nisi fatearis, per illa significare modalitates, rebus inexistentes.

26. *Dico 6to. Formale relati non est entitas merè concepta.*

Dem. Cum enim esse istud formale sit ipsa ratio, quia subjectum se habet ad terminum, si ipsum foret merè conceptum aliquod, idem subjectum conceptè solùm, & non revera se haberet ad aliud, sive solum conciperetur se habere

ad aliud, non autem verè se haberet; sicut si albedo non esset entitas physica, sed merè concepta, paries albus non esset physicè albus, sed merè conceptè albus; hoc autem repugnat *conclus.* 1. *&* 2. & evidenti veritati.

27. *Dico 7timo. Formale relati non est merus conceptus entitatis.*

Dem. Sic enim relatum non esset in rebus, *contra Concl. præcedentem.* Deinde quia conceptus entitatis est aliquid absolutum; ut vulgò supponitur, relatum foret concretum absolutum, cum supponatur esse relativum. Præterea relatio esset fictitium quid, & chymæricum: nec dici posset cujusmodi conceptus ille foret; verusne an falsus, apprehensionis, an judicij &c. Infinita hîc argumenta se offerunt, sed nolo hærere in re manifestâ.

28. *Dico 8tavo. Formale relati non est meræ aptitudo, fundans conceptum:* talis vid. quæ non sit vera entitas in re.

Dem. Cum enim conceptibilitas rei sit veritas rei transcendentalis, & metaphysica proprietas, ac passio entis, tam repugnat esse quid aptum concipi, & non esse ens, quàm esse animal quoddam risibile, & non esse hominem; planum aliquid habere tres angulos, æquales duobus rectis, & illud esse quadratum &c. ergo illa ipsa specialis aptitudo, qua possit ens relatum sic verè concipi, â posteriori evidenter concludit, esse ibidem specialem entitatem. Hinc

29. *Dico*

29. *Dico 9no. Esse formale relati sine dubio est vera entitas, ab entitate ejusdem relati absoluta, suo modo, distincta.*

Dem. ex dictis. Quia sicut paries non esset verè albus, si albedo non esset verum ens, vel entitas; ita nullum esset verè relatum, si ipsa relatio, sive formale relati, foret merum nihilum.

30. *Dem. 2do.* Si entitates respectivæ sunt à parte rei merum nihil, merum nihil agimus, nihil discimus, nihil scimus; quid enim pingit pictor, sculpit sculptor, ædificat architectus, nisi imaginem, statuam, domum? at pictor non facit tabulam pingendo, neque colores, neque ullum ens absolutum, sed tantùm transfert atque ordinat pigmenta, mediante impetu: hoc tamen non obstante, nemo dicit, pictorem facere impetum; sed dicimus, eum facere imaginem, quæ tamen secundùm formam, non est nisi ordo ille ac dispositio colorum: sic statuarius non facit saxa, neque dicitur facere impetum, sed statuam: sicut & faber lignarius domum: sic dum scribimus nihil faceremus, dum loquendo crispamus aërem in sonos, nihil merum faceremus: Mathematicus quantitatem continuam, & discretam exponendo, circa nihil se occuparet: Astronomus cœlorum motus numerando nihil ageret, Legistæ & morales Theologi circa nihilum desudarent; quia lex erit nihilum, moralitas nihilum, jurisdictio nihilum, jus & obligatio nihilum, bonitas & malitia moralis nihilum,

Sacramenta nihilum, gratiæ efficacitas & ineffi-cacitas nihilum, incarnatio nihilum, ejus merita nihilum, peccata nihilum, originale & habitua-le peccatum nihilum, remiſſum & remanens nihilum: & quidquid ad hæc reſponderis, ni-hilum erit, locutio tua nihil erit, niſi lingua tua & aër, & ideo ſemper loqueris etiam dum taces, neque dicere potes, in quo differant, tacere & loqui, & quid hoc habeat præ illo amplius, niſi conceſſeris, motum linguæ & labiorum tuorum eſſe aliquid modale, iisque motis moveri aërem, qui motus mihi percutiat tympanum acuſticum; quæ motiones & percuſſiones ſi merè ſunt ni-hil, nihil loquendo ponis in rerum natura, quod non fuerit priùs tacente te; nimirum erat lingua tua, aër, organum meum, & ſuper hæc nihil feciſti. Profectò quidquid explicueris, nihil eſſe oſtendam explicationem & doctrinam tuam. Apagè!

31. *Dico* 10*mo*. *Poſſumus exponere, cujus-modi entitas ſit hactenus dicta atque aſſerta mo-dalitas.*

Dem: Non enim eſt res, neque ens, neque aliud concretim, ſed eſt quædam realitas, enti-tas, & aliquid abſtractim. Eſt aliquid ſubjecti, non ſubjectum, aliqua affectio, habitudo, mo-dalitas, formalitas, ſubjecti, aliqua habitudo, relatio, reſpectus rei &c. hinc non eſt aliquid factibile per creationem, nec quid creatum, ne-que creabile; cum per influxum creativum tan-tùm fiat ens abſolutum: entitas illa autem & moda-

modalitas non efficitur creativè, neque possibile est, ut sic fiat; sed resultat tantùm per positionem termini, qui causa resultantiæ proptetea dicitur. Itaque entitas ipsa solùm existit per resultantiam: hoc est, posito termino consurgit veritas objectiva in re, quæ priùs non erat; quæ veritas est quædam modalitas, aut hanc supponit potiùs. Nimirum dum sic ordine literas scribendo, exhibentur syllabæ, voces, membra, oratio; hoc resultare appellamus; qui terminus, si tibi non placet, meliorem reperias licet, quo explices illam veritatem objectivam, quam fieri ipsis oculis vides, etsi nullus influxus sit causæ, præter fluxum atramenti, qui & ipse est talis modalitas.

32. Quid igitur hîc manet obscuri? Neque opponas: quodlibet ens vel esse creatum vel increatum; concedo enim; sed jam dixi, modos illos non esse entia, sed entitates, quæ neutrius capaces sunt; possunt tamen adhærere tam increato enti, quàm creato. Denique ut penitissimè ostendam, quid sit nostra entitas respectiva, dico: esse solum, & omne objectum formale judicij intellectualis: Nimirùm omnis intellectio est essentialiter & formalissimè expressio veri; ita, ut inter actum & objectum sit essentialis connexio. Itaque ut mera apprehensio attingit meram & solam veritatem objecti absolutam, quam spirituali imagine depingit in intellectu, sic actus judicativus, ut talis est (nam omne judicium simul est apprehensivum) ut

talis inquam, & â merâ apprehenſione diſtinctus eſt, ità verum objectum reſpectivum exponit. Unde ſicut judicij actus aut combinat plura, aut diſtinguit, habetque ſe per modum transferentis unum ad aliud, vel unum ab alio (ſic enim exponere licet actus hos difficillimos intellectu) ita objectum â parte rei habet talem transferibilitatem, & eſt ſic mobile, ſive continet hujusmodi veritatem relativam re ipsâ: vel certè ſi in re nulla hujuſmodi veritas eſt, etiam actus judicij nullus poſſibilis eſt, qui ſit diverſus ab actu apprehenſionis; cum ſine diſtincto objecto, non ſit poſſibilis actus, intentionali ſpecie diſtinctus, & ideo non forent tres, in ſpecie, actus intellectûs. Capin' quid rei ſit noſtra entitas modalis? Vide *infra Num.* 117. ſed porrò ſitne forma dicenda videamus.

§. III.

An eadem entitas rectè dicatur forma?

33. *Defin. I.* Quidquid in ſubjecto eſt, forma eſt ejus, in quo tanquam ſubjecto eſt; & quod eſt ſubjectum alicujus, habet illud tanquam ſuam formam, ut patet ex terminis. Porrò hîc non agemus de ſubjecto tantùm logico, ſive de ſubjecto propoſitionis tantùm; ſed de ſubjecto entitativo, vel quod objectivè eſt tale; & hoc vel phyſicum eſt, vel metaphyſicum. Phyſicum appello, quod vel ſenſibile eſt per formam,

mam, vel ab eadem formâ realiter distinctum est: aliud quodvis, quod nec est physicum, nec merè logicum, metaphysicum dicimus.

34. *Defin. II.* De subjecto entitativo in genere dicit Aristoteles: *In subjecto esse dico, quod in altero est, non ut pars, ut autem seorsim ab eo sit, esse nequit.* Itaque gutta aquæ, in Oceano, non existit, tanquam in subjecto, sed tanquam in toto, cum sit pars Oceani, & ideo non illius forma. Deinde vinum in dolio non est tanquam in subjecto, cum possit esse extra dolium.

35. *Defin. III.* Quidquid componit totum, pars est, cum uno vel pluribus aliis, ita ut sine tali componente, illud totum non esset, sic e.g. binarius est pars senarij, quia componit senarium, qui senarius non esset, si non constaret ex binario, aliquoties sumpto; & Oceanus non esset illud totum aquæ, quod est, si illam guttam non haberet; albedo contra etsi sit pars albi, non tamen est pars parietis, quia parietem non componit, sed album; unde album est totum, respectu albedinis, paries autem subjectum ejus. Hinc pars de toto prædicari potest in recto, non autem quod mera est forma de subjecto; possum enim dicere: homo est corpus & anima simul: senarius est, ternarius, binarius & unitas simul: non autem possum dicere: paries est albedo &c.

36. *Defin. IV.* Dupliciter nequit quidpiam esse seorsim ab eo, in quo est, vel simpliciter, vel naturaliter. Simpliciter nequit esse quævis

entitas modalis & reſpectiva, uti ſeſſio eſſentialiter & neceſſariò eſt alicujus ſedentis. Entia verò abſoluta, cujuſmodi ſupponimus tantiſper eſſe albedinem, ſimpliciter quidem ſeparari poſſunt, ſed non naturaliter; neque enim albedo à pariete naturaliter, ſeparata & ſeorſim, exiſtere poteſt. Unde neceſſariò hîc reſtat indagandum, quid terminus *naturaliter* ſignificet.

37. *Defin. V.* Naturaliter itaque fit, quod ſecundùm naturam fit; natura verò ex Ariſtotele eſt: *Principium, vel cauſa motûs & quietis ejus, in quo illud principium eſt, primò per ſe & non per accidens.* Ita gravitas eſt naturâ motûs in lapide deorſum, quia ineſt lapidi per ſe, & eſt cauſa, cur lapis moveatur deorſum; contrà verò impetus impreſſus globo tormentario, ſurſum exploſo, non eſt natura globi ſic moti; quia non eſt per ſe, & primò, in illo globo; ſed per accidens, cum poſſit non eſſe. Similiter principium, ac potentia intelligendi, ac volendi, in homine, Angelo, Deo, eſt natura talium entium; quia per ſe reperiuntur in illis.

38. *Defin. VI.* Hinc patet, duplicem concipi naturam in rebus, aliam realiter diſtinctam â rebus, quarum ſunt, uti eſt gravitas reſpectu lapidis, calor reſpectu ignis, quæ quidem ſic eſſe diſtincta hîc ſupponimus: aliam realiter indiſtinctam, quale eſt principium intelligendi, aut volendi, in Deo, Angelis &c.

39. *Defin. VII.* Cum igitur, in eadem re, poſſint eſſe plures naturæ, fieri poteſt, ut quid-

piam

piam alicui rei sit naturale respectu unius naturæ, etsi non respectu alterius. Sic animæ rationalis natura est, esse unitam corpori humano, & habere essentialem potentiam, ut sic uniatur; unde simpliciter loquendo, & respectu hujus potentiæ non potest naturaliter existere extra corpus. Attamen ejusdem animæ alia quoque natura est, posse intelligere etiam independenter â sensu, si â corpore soluta sit; respectuque hujus posterioris præcisè, & priore non attentâ, potest naturaliter existere extra corpus; quia eatenus naturaliter operari potest.

40. *Defin. VIII.* Ex dictis sequitur, entitates modales propriissimè esse in subjectis, & ideo esse formas, cum simpliciter non sint partes componentes illarum rerum, quibus insunt, nec prædicari de illis in recto possint, (quis enim dicat, *Petrus est sessio, lapis est motus &c.*) & seorsim ab illis nullo modo esse possint: & de his Philosophus principaliter, absque dubio, locutus est. Sequitur tamen etiam, albedinem esse formam parietis; quia & hujus non est pars, & absque eo saltem naturaliter esse nequit. Sequitur tertiò, animam rationalem quoque esse formam corporis humani, quia etiam ipsa hujus non est pars, etsi pars sit hominis; & seorsim ab ipso, aliquo respectu, naturaliter existere nequit. Ubi indirectè etiam illud adverte, sicut albedo aliter est in albo, ut albo, aliter in albo, quod album; nam in albo, ut albo, est pars in toto; in albo, quod album, est ut forma in subje-

ćto : ita animam rationalem aliter esse in homine, aliter in corpore, in hoc enim est ut in subjecto, in illo, ut toto.

41. *Defin. IX.* Sufficienter etiam dignoscitur forma â subjecto, per effectum suum formalem, qui est, illud restringere ac determinare ad aliquid certi. Subjectum enim ut sic, indifferens est, ad tale concretum, sed per formam determinatur ad tale; paries est indifferens ad albedinem, vel nigredinem, sive ut sit albus vel niger, utrumque esse post; sed per albedinem restringitur; igitur paries subjectum est, albedo forma. Verum quidem est, quod etiam pars determinet compartem ad totum, sed remotè; proximè verò unio partis ad partem determinat utramque partem, ad certum totum, eadem ergo accessio, vel unio, forma est, & hujus subjecta partes. Nunc ad rem nostram.

42. *Dico 1mò. Entitates nostræ modales ac relativæ non possunt existere nisi in aliis.*

Dem. Ex ipsis terminis, quia sunt modalitates, & non entia absoluta, cujusmodi, ex definitione suâ, non possunt per se subsistere.

Dem. 2do. Inductione: non potest esse curvitas, nisi in linea curvâ, non paternitas, nisi in homine patre, nec peccatum, nisi in supposito, nec sessio nisi in sedente, ut dictum est *defin. 8.*

43. *Dico 2dò. Hinc etsi modalitates de iis, quibus insunt, possunt prædicari per obliquum, si-*

cut

eut etiam ea, quibus inſunt, de iiſdem modalitatibus: neutrum horum tamen de altero poteſt prædicari in recto.

Primum patet: nam ex *Concl.* 1. ſequitur, modalitatem eſſe alicujus, eſſe in aliquo, afficere aliquid, ſcilicet id, in quo eſt; ſicut albedo eſt in pariete, eſt parietis &c. & contra paries eſt habens albedinem, affectus albedine; homo eſt exercens ambulationem, faciens peccatum, inſtructus juriſdictione, linea eſt habens curvitatem. &c.

44. *Dem. 2dum.* non enim poteſt dici: Seſſio eſt homo, peccatum eſt Petrus, paternitas eſt Philippus &c. nam hujusmodi modalitates ſunt accidentia, cum poſſint abeſſe & adeſſe, ſed prædicata ſunt ſubſtantiæ: illa ſunt ſolùm entitates reſpectivæ, & non entia; iſta ſunt entia, & quidem abſoluta: ergo non adeſt identitas, ad prædicationem hujusmodi requiſita.

45. *Dem. 2do.* Pater eſt homo habens filium, paternitas non eſt homo habens filium: peccator eſt homo, liberè & vitaliter, agens contra legem, peccatum non eſt homo &c. ergo ipſa non ſunt idem in recto, ſicut ideo album non eſt albedo, quia album eſt aliquid habens albedinem, albedo vero non eſt aliquid habens albedinem.

46. *Dico 3tio. Falſa eſt ergo quorundam iſta propoſitio: Relatio v. g. paternitas inadæquatè eſt Philippus, adæquatè vero eſt Philippus & Alexander.*

Dem.

Dem. 1*mo.* Quia hæc doctrina ſupponit relationem vel formam relati non eſſe quid diſtinctum â fundamento & termino abſolutis; quod ſatis exploſum eſt *Num.* 20. 21. 22.

47. *Dem.* 2*do.* Quia ſic relatio non eſſet, niſi aliquod totum, ex fundamento & termino, & ſic terminus relationem conſtituet, tanquam pars totum, quod falſum eſt. Terminus enim requiritur quidem ad relationem, ſed velut cauſa reſultantiæ, quæ refertur ad cauſam efficientem, vel ut conditio ſine qua non, ut pleriſque loquuntur: quis verò unquam audiet, conditionem, vel cauſam efficientem conſtituere & componere ſuum effectum?

48. *Dem.* 3*tio.* Si relatio non eſſet, niſi aliquod totum, ex fundamento & termino, terminus cum fundamento, eſſet eadem & una relatio, quæ eſt, aut quam facit fundamentum cum termino, ſicut corpus cum anima non eſt niſi homo, & anima cum corpore non facit, niſi hominem; paries cum albedine facit album, & idem album facit albedo cum pariete: ergo ſicut Philippus reſpectu Alexandri, vel, ut iſti volunt, cum Alexandro, eſt Pater, ſic Alexander cum Philippo eſſet pater; aut ſi Alexander cum illo non eſſet Pater, nec ille cum Alexandro eſſet pater; quod falſum. Patet proinde, relationem non ſe habere, ut totum, ex fundamento & termino conſtitutum. De quo

49. *Dico* 4*to. Etſi relatio vel entitas reſpectiva, ut cum ſubjecto facit concretum, quodammodo*

modo sit compars subjecti; tamen, ut ineſt fundamento, non eſt ejus pars.

Dem. Primum: Quia hoc ſenſu, entitas relativa ineſt concreto relativo, ut toti. Sic ergo albedo eſt pars concreti *album*, cui ineſt ut forma conſtituens *ut quo*. Unde & dici poteſt, relatum eſt modalitas (v. g. paternitas) & ſubjectum; vel, eſt ſubjectum & paternitas. Eſt namque ſubjectum, & ab eo habita paternitas; eſt paternitas, & eam habens ſubjectum.

50. *Dem. Secundum.* Quia prout ineſt præcisè fundamento, abſtrahitur, an fundamentum ſit pars poſtea totius, an non ſit, ſed ſumitur fundamentum præcisè, & ut quidpiam oppoſitum formæ, & ſolùm ut ſubſtratum alicujus formæ: & ſic album de altero non niſi in obliquo dici poteſt: Videlicet dici poteſt, Fundamento ineſt modalitas, eſt affectum modalitate &c. modalitas eſt in fundamento, eſt aliquid fundamenti, eſt afficiens fundamentum, &c. atq; ideò eatenus neutrum eſt pars: ſic curvitas non eſt pars lineæ, nec linea pars curvitatis; nec albedo pars parietis, nec contra, nec peccatum pars hominis. &c.

51. *Dem. 2do.* Si Senarius A, æqualis ſenario B, augeatur unitate, ceſſat ejus æqualitas, manet tamen ſenarius, ergo æqualitas nec eſt ratio talis relati, nec eſt pars Senarii: ſublatâ enim parte non manet totum. igitur evidens eſt, eandem entitatem reſpectivam, quâ ſubjectum formaliter

maliter est relatum, non esse partem subjecti.

52. *Dico 5to. Entitas respectiva verè inest subjecto.*

Dem. Quia est aliquid respectivum, & quidem accidentale, cui repugnet per se existere, *per C.* 1. ergo alicui inexistit: cui autem, nisi suo subjecto? cui sessio insit, nisi ei, qui sedet? cui paternitas, nisi ei, qui pater est?

Dem. 2do. Peccatum, præsertim originale, sine dubio est entitas, nobis merè respectiva, cum actus ejus physicè, & secundùm esse absolutum, à nobis nunquam elicitus fuerit: attamen idem peccatum inest cuique proprium, juxta infallibilem Tridentini definitionem *sess. de pecc. Orig.* §. 3. ex quo certissimè patet, non solùm entitatem peccati (& cur non quamvis relationem?) eandemque respectivam solummodò esse verè entitatem â suo subjecto distinctam, sed etiam verè esse in subjecto, quod asserit quoque prohibitio relata superiùs in fine *Conc.* 2. §. 2.

53. *Dico 6to. Eadem entitas vel modalitas est verè ac propriè forma subjecti, sive relati.*

Dem. Ex defin. 2. & 8. Videlicet est quædam entitas, verè sic appellanda, *ex Concl. antec. & aliis hactenus*, quia alioquin, qui est originaliter peccator, non esset verè peccator, quia peccatum ejus verè esset nihil, sive verè non esset entitas: hæc autem entitas verè inest subjecto relationis, *ex Concl. antec.* non tamen ut pars talis subjecti, *per Concl.* 4. & seorsim esse non potest, *per Concl.*

Concl. 1. ergo verissimè est forma talis subjecti.

54. *Dem.* 2*do.* Quia etsi aliquo modo sit pars cum suo subjecto, prout cum illo facit unum concretum relatum, *per Conc.* 4. tamen idem subjectum ipsa per se, ad tale totum determinat; cum absque illâ subjectum sit indifferens, ergo *per defin.* 9. est forma respectu ejusdem subjecti, & idem suum subjectum hoc modo facit esse subjectum, quod aliàs est compars.

55. *Dico* 7*mo. Hinc facile est dicere, quare entitas à subjecto suo distinguatur formaliter, non realiter.*

Dem. Cum enim respectu subjecti sit verè ejus forma, opponitur ei, ut forma; ergo distinguitur ab eo, ut forma, sive formaliter, quia tamen respectu ejusdem non est nova res, sed eadem res, cum res significet aliquod totum metaphysicum, quod respectu alicujus possit esse subjectum, forma autem illa respectiva cum subjecto est tantùm unum totum, non duo, ideo non distinguitur ab illo realiter; vel, si cum Aristotele loqui placet, distinguitur ab eo *ratione, non subjecto*, eò quod sit specialis ratio ac modalitas talis subjecti, ipsa verò non sit subjectum.

§. IV.

§. IV.

Explicantur formæ relativæ essentiales.

56. *Defin. I.* Hactenus exposuimus formam relativam accidentalem, cujusmodi ad quintum prædicabile spectant; restant modò aliæ, etiam essentiales subjecto, aut certè indispensabiliter necessariæ, cujusmodi tertii & quarti prædicabilis esse constat; hujusmodi formæ sunt in Angelo v. g. impotentia, ut uniatur subjecto, potentia intelligendi volendique, idque independenter â sensu &c.

57. *Defin. II.* Sicut ergo relatio accidentalis est quædam forma, qua subjectum se habet ad aliud contingenter, ut hactenus vidimus, sic relatio essentialis est quædam similiter forma, aut veritas subjecti, vi cujus ipsum subjectum ita se habet ad aliud, ut si se non haberet; ipsum subjectum non posset esse, nec retinere essentiam suam, ex quo facile est demonstrare, potentiam in Angelo intelligendi & volendi, esse relationem seu formam relativam, Angelo essentialem. Unde ut hujusmodi manifestiùs eluceſcant,

58. *Dico 1mo. Intellectus Angeli est relatio, quâ Angelus essentialiter respicit intelligibile.*

Dem. Verissimum est, Angelum posse intelligere, vel esse intellectivum, habere potentiam

aut

aut virtutem intelligendi: ergo potentia intelligendi est veritas certa in Angelo: Sed hæc veritas non est Angelo contingens: aliàs posset fieri, ut non esset intellectivus: Sed non potest fieri, ut non sit intellectivus; quia tunc non esset Angelus: ergo est ei necessaria aut essentialis. Deinde per eandem potentiam non potest non referri ad objectum intelligibile, ut potens illud intelligere; nam intelligere est aliquid intelligere; & si nihil esset intelligibile, nihil esset intellectivum. Idem de voluntate.

59. *Dico 2do. Hujusmodi potentiæ in Angelo sunt distinctæ.*

Dem. Quia disputant Philosophi, an possibile sit quoddam intelligens, quod non sit volens: sive intellectivum & non volitivum: ergo supponunt, illas virtutes esse diversas; alioquin fatua esset quæstio, & similis huic: *An possit esse aliquis homo, qui non sit animal rationale*; sicut enim animal rationale est idem, quod homo, sic idem esset, posse intelligere, & posse velle; vel, si ità idem non sunt, distincta sunt.

Dem. 2do. Quia potentia intellectiva prior est, & præcedit in operando, volitivam; hæc cœca est, illa facem præfert; hæc libera est, determinans se ipsam, illa necessaria est, & determinatur, vel ab objecto, vel à voluntate, &c. quæ & similia plurima nihil significarent, nec vera essent, si non esset inter ista distinctio.

C *Dem.*

Dem. 3tio. Si Deus decerneret ad nullam volitionem concurrere, Angelus intelligendo exercet intellectum, sed non voluntatem: hæc ergo otiosa tunc est in Angelo, illa exercetur: ergo hæc non est idem quid planè cum illo; cum idem planè non possit simul moveri, & quiescere. Sed ejusmodi sufficienter excussa sunt alibi. *Vide infra* 117. 122.

60. *Dico* 3tio. *Hujusmodi potentiæ, aliquo respectu, sunt formæ, Metaphysicæ scilicet.*

Dem. Angelus rectè definitur, *Substatia creata spiritualis, non potens uniri subjecto:* ita ut per hoc, quod sit spiritus, conveniat cum animâ humanâ; differat autem ab ea per hoc, quod hæc quidem essentialiter per naturam suam, possit uniri corpori; Angelus non possit; sed genus est subjectum respectu differentiæ. *per defin.* 9. §. *præc.* quia de se indifferens, per hanc determinatur ad certam speciem. Deinde eidem generi inest eadem differentia; cum rectè dicatur, Anima est Spiritus, habens vim naturalem, ut uniatur corpori. Sicut ergo parieti inest albedo, cum habeat eam in se; ita, cum spiritus, ut sic, habeat sibi adjunctam aliam potentiam, tanquam differentiam, quâ determinatur ad aliquid certi, hæc dicenda erit ei inesse. Non verò eidem inest ut pars: nam Spiritus in genere, non est nisi substantia naturaliter penetrabilis: ab omni alia differentia ut sic, abstrahit, & per nullam constituitur in esse Spiritûs. Non potest tamen fieri, ut similis

poten-

potentia e. g. unibilitas, existat seorsim, cum sic non esset essentia tota, sed manca. Ergo *per definitiones ejusdem* §. est subjecti talis forma. Idem de aliis differentialibus existima.

61. *Dico 4to. Eædem potentiæ, alio respectu, sunt partes totius.*

Dem. Nam sicut Spiritus, ut sic, est totum quiddam genericum, ita Angelus, vel anima est totum specificum; sicut ergo τὸ *Esse penetrabile* est differentia generica, cum substantia ut sic faciens spiritum ut sic, & ità est pars spiritûs, ut hic est totum generioum; ita posse naturaliter uniri, est differentia specifica, cum Spiritu ut sic, constituens animam, & ideò animæ pars est, ut hæc est aliquod totum. Unde hujusmodi perfectiones eatenus possunt prædicari de ejusmodi totis, & è converso, in sensu exposito, *def.* 3. §. *præc.*

62. *Dico 5to. Hujusmodi potentiæ, etsi respectu terminorum sint respectivæ, tamen in se, & prout faciunt aliquid totum, sunt entitates absolutæ.*

Dem. primum. Quia per intellectum Angelus essentialiter respicit ens intelligibile; per unibilitatem anima corpus humanum: ergo sunt formæ respectivæ, *per. conclus.* 3.

Dem. secundum. Quia hujusmodi potentiæ non sunt entitates merè resultantes, ex positione termini; sed inexistunt suis totis, cum quadam prioritate ad terminos; quatenus ipsorum ali-

quando ſunt cauſæ. Deinde cum ſuis ſubjectis non faciunt ens, & concretum merè reſpectivum & reſultans; ſed abſolutum, quod exiſtat per actionem propriè dictam, qualis utique eſt creatio, de quo infrà *Num.* 174.

63. *Dico 6to. Hujusmodi potentiæ in variis entibus variæ ſunt.*

Dem. Quædam enim ſunt effectivitates, ſive virtutes propriè effectivæ, & activæ, qualis eſt in Deo omnipotentia; quædam habent ſe per modum gravitatis & capacitatis; ſic in anima eſt quoddam pondus, quo inclinatur, ut unita ſit corpori; in corpore verò, tanquam ſubjecto, eſt naturalis capacitas animæ. Quædam ſunt inſtar motus cujusdam localis, ſicut intellectus dum judicat, combinando ac disjungendo veritates objecti quodammodo localiter movet, ut ſic dicamus: ita voluntas dum ſe determinat ad alterutrum, indifferenter cognitum, & ſic libertatem exercet, quodammodo ſe ipſam localiter movet. Quædam videntur eſſe activitates, ita tamen, ut per illas nihil fiat: ſic intellectui ineſt vis attendendi, experiendi, percipiendi.

64. *Dico 7mo. Eædem potentiæ, ſive formæ Metaphyſicæ ſunt naturæ ſingulorum entium.*

Dem. Sunt enim principia formalia motûs, & quietis hujusmodi entium, quibus inſunt per

per se, & quidem essentialiter *juxta dicta:* ergo sunt naturæ *per defin.* 4. §. 3. *Num.* 151. Videlicet creare quidpiam ex nihilo, naturale est Deo, non competit alteri: sic calefacere naturale est igni; intelligere & liberè velle Angelis: uniri corpori naturale est animæ rationali; & homini objecta sensuum percipere; Angelo similiter naturale est, non uniri corpori, quod negationem sonat, sed in perfectione, quæ in eo natura sit, consistit; cum negatio merè talis sit impossibilis *juxta dicenda infra. Num.* 122. *vid. &* 151.

§. V.

Explicatur quidquid ad modos pertinet.

65. *Defin. I.* Cum ex jactis principiis, doctrina modorum suapte sponte se prodat, non pigebit eos distinctiùs hîc exponere. Quæritur autem quid rei sit modus? quomodo & ubi sit necessarius? sitne aliquod vera actione productum? &c.

Defin. II. Communiter definitur modus sive modalis entitas, *actualis determinatio*, vel causæ ad agendum, si modus sit actio, vel formæ aduniri subjecto, si sit unio; sive cujuscunque entis ad actum aliquem suum, quæ omnia, ut quomodo vera sint, breviter, exponam, sit

66. *Defin. III.* Suppono, causam nullam posse agere, nisi determinata sit; quod de quovis exercitio, & actu entis intellige, similiter è converso, suppono, nec posse causam esse determinatam, quin hoc ipso sit agens. Nunc

67. *Dico 1mo. Si modus sit ens Completum, ab ente, vel causa, quæ dicitur agere vel moveri, physicè procedens, non potest explicari quomodo idem ens determinet.*

Dem. Cum enim *ex defin.* 3. nequeat causa agere nisi determinata fuerit, neque enim causat, dum est indifferens, & consequenter modus, quem vocas, verâ & effectivâ actione, pendeat à causa agente, eadem causâ debet esse naturâ priùs determinata, ad causandum eum modum, quàm eum causet; cum sit indifferens ad illum modum.; neque enim est essentiale causæ, ut quidpiam causet. Neque dicas, determinari eum ad effectum, qui est *ut quod*, non verò ad eum, qui est *ut Quo*. Nam ille, quem vocas, *ut Quo*, vel est verè physicus effectus, vel non; si non est: ergo non est res completa, & quæ debeat causari per influxum. Si est: phrases illæ non impedient, quo minus necesse habeat causa, ad eum determinari. Concedenda igitur erit actio actionis in infinitum; vel non est verum, quod modus ille sit physica & completa res.

68. *Dem. 2do.* Modus e. g. actio, definiri solet: *actualis determinatio causæ*, quæ causam *ut quo* determinat. Vel igitur est talis determinatio

natio conditionatè, si existat; vel absolutè. Non posterius; quia si actio illa sit absolutè actualis determinatio, etiam absolutè, & essentialiter existet; cum nequeat actu determinare, nisi actu ipsa existat: quod tam est falsum, quàm verum est, solùm ens divinum, per essentiam actu existere. Non etiam prius dici potest; si enim essentia ejus, quæ est actualis determinatio, penderet ab existentia, quæ est accidens ejus; eò quod ipsa sit ens creatum, omne verò ens creatum per accidens existat; ergo essentia ejus pendet ab ejus accidente, tanquam conditione, necessarium à contingente, æternum à temporaneo.

69. *Dem. 3tio.* Modus ille essentialiter inest subjecto existenti, vel ergo accipit essentiale prædicatum ab existentia talis subjecti, vel non. Si accipit, ipse ille modus non habet essentiam; quia quævis essentia necessaria, & æterna est, existentia verò talis subjecti contingens est, & accidentalis, adeoque essentia penderet ab accidente alieni subjecti; quod aliud non est, quàm essentiam non esse essentiam, sed accidens; & prædicatum essentiale esse accidentale, & contingens. Si verò non accipit prædicatum essentiale, à subjecto existente, ergo ipse modus non est, in existendo essentialiter alligatus existentiæ sui subjecti; & consequenter poterit saltem miraculosè existere extra subjectum; ideoque est ens absolutum.

70. *Dem. 4to.* Actualis determinatio causæ vel est ipsa causatio causæ, qua causa causat, influit, & procurrit in effectum suum, vel est res distincta. Si primum; eadem actualis determinatio erit determinatio sui ipsius ad existendum, quod est solius existentiæ divinæ; quia ipsa determinatio illa pendet à causa, & tamen ipsa causam non determinat ad causationem sui, cum natura posterior sit suâ causâ illâ. Ergo vel existit sinè determinatione sui ad existendum, quod est chymæricum; vel est determinatio sui ipsius ad existendum. Si verò est res distincta, illa neque doceri potest, & admittetur determinatio determinationis, præter cætera absurda: quibus omissis

71. *Dico 2do. De facto habetur determinatio causæ, vel principij physicè influentis, quæ non fit modus physicus, si per talem intelligas rem creatam, & completam, quæ per influxum existat.*

Dem. A tota æternitate, quando nulla res creata extitit, fuit DEUS Pater determinatus ad generandum, & idem cum Filio determinatus ad spirandum; quæ sine dubio fuerunt exercitia physica: ergo fuit eorundem determinatio, quæ tamen non fuit res creata. Nec dicas; hasce non esse causas; nam nihil deficiunt à causa, sed excedunt tantùm; & solùm ideò non dicuntur causæ, quod influxus eorum non possit deficere. Hoc autem roborat argumentum: Si enim necessaria determinatio aliqua,

&

& quæ ſit majoris, ſine fine, momenti, poſſit eſſe, quæ non ſit res creata, per influxum exiſtens, cur non alia? ſed tamen ne tibi hic ſcrupulus hæreat, ſaltem omnipotentia DEI ab æterno indifferens, determinata poſtmodum fuit per volitionem liberam, ad creandum: ergo fuit determinatio talis, reſpectu potentiæ DEI, quæ tamen non poteſt eſſe modus, eidem potentiæ inhærens, qui ſit effectus phyſicus.

72. Nec dicas, determinationem eſſe quid creatum, quod tamen inexiſtat mundo creato, non DEO; Nam ridiculum eſt, DEI potentiam, de indifferente fieri determinatam, per ejus effectum, qui tamen effectus neceſſariò eſt poſterior potentiâ DEI determinatâ, ut *ex concl.* 1. jam conſtat. Deindè ſicut impoſſibile eſt, parietem A fieri album, per albedinem inexiſtentem parieti B, ita impoſſibile eſt, omnipotentiam determinatam fieri, & actu creantem per modum determinationis, qui ſit in mundo creato, nimirum determinatio non habet alium effectum, quàm facere determinatum ſubjectum ſuum: ergo ſi ineſt mundo, mundus eſt determinatus, omnipotentia verò quomodo determinata fiet, ſi ei non inſit determinatio?

73. An verò non vides, aliud concretum eſſe, faciens, aliud fiens? mundus eſt fiens, DEUS faciens: ergo uterque debet habere ſuam determinationem, tanquam formam diverſi concreti. Mundus quidem quâ determinatur ad

existendum; DEUS verò quâ determinatur ad faciendum; atquè hoc ens creatum DEO inhærens esse nequit. Denique Pater generat filium, cum tamen modus creatus, nec in Patre, nec in Filio inhærere possit. Sed ulteriùs

74. *Dico 3tio. Etiam causæ creatæ solent determinari ad agendum, sine ulla forma, physicè producta, & recepta.*

Dem. Dum Concursus Dei paratus est, dispositio facta, & causa aliter non defectuosa, sola conditio e. g. applicatio, determinat causam ad agendum, sivè de statu indifferentiæ transfert ad statum agentis: attamen talis conditio non est aliquid productum à causa & in ea receptum. Neque dicas, in casu causam esse solùm extrinsecè, nondum autem intrinsecè determinatam. Dum enim causa desiit esse indifferens, etiam actualiter est agens, quid ei desit quæso, quo minus intrinsecè, ut loqueris, determinata sit? aut quid opus est alia determinatione, per formam physicè productam à causa, quæ necessariò est posterior determinatione causæ, tanquam sui principio? deinde ponamus fieri talem formam, quis erit ejus effectus formalis? faciet causam, inquis, intrinsecè determinatam ad causandum. Sed profectò per positam conditionem, jam est determinata ad causandum: ergo sequens forma actum agit.

75. *Dem. 2dò.* Duo lapides in aëre existentes, supra terram, in punctis diametraliter oppositis, ita descendunt versus centrum terræ, ut

alter

alter tendat ex Zenith in Nadir, alter ex Nadir in Zenith: absque dubio ergo sunt ad ejusmodi motum determinati, habentque determinationem suam. Non autem ista determinatio est gravitas, quæ eadem est, ubicunque lapis ponatur, & tamen determinatio semper est alia. Neque est aliud quidquam productum: neque enim centrum terræ, quod est utriusque terminus, quidquam efficit in lapidibus, neque lapides in centro terræ, neque aliud quidquam productum aut factum afferri potest, quod non sit fictum. Idem est de magnete, qui determinatur à puncto polari, quod neque est in lapide, nec effectus aut forma ejus, neque ideo (ut centrum terræ) est ens absolutum, sed entitas merè relativè resultans, & non producta. Hujusmodi exempla de impetu, & lumine, liceret infinita producere: sed quid opus est? *vide infra, num.* 172. & 173.

76. *Dico* 4to. *Hujusmodi determinationes nihil aliud sunt, quàm modalitates resultantes, sive formæ relativæ.*

Dem. Causa determinata, & non determinata, differunt; cum prorsus aliud sit, causam agere, & causam non agere: atqui absolutè non differt causa indeterminata, â se ipsâ & determinatâ; cum absolutè supponantur eadem esse: ergo saltem differunt relativè, sive in aliquo relativo. Differentia verò est in τῷ *determinato* sive determinatione: ideò eadem determinatio est aliquid respectivum. *Inf. num.* 117.

77. *Dem.*

77. *Dem.* 2*do.* Lapidem esse determinatum ad tale punctum, quod dicitur Nadir, & non ad aliud, quod est Zenith, aliud non est, quàm tale punctum aliter, & aliud aliter respicere; & aliter ad unum se habere atque ad aliud: quid enim quæso aliud rei hoc est? ire Thebis Athenas, & non Athenis Thebas, quid aliud est quàm talis relatio ad utrumque terminum, & non alia relatio, quæ esse posset? ergo sic determinatum esse est ipsissimum sic relatum esse, & nihil aliud: ergo etiam est nova forma talis novi concreti: hæc autem non incipit per physicum influxum. Quis enim dicat, Athenas, aut Thebas, aut punctum mundi, aliquid efficere in mobili? si magnes frangatur & frusta novum acquirant polum, quis dicat illa Magnetis puncta aliquid aut in punctis cœli, aut hoc in illis physicè operari? ergo relinquitur esse formam, quæ existat per resultantiam solùm.

78. *Dem.* 3*tio.* ex ipsa Confessione adversariorum; qui suum modum *respectivum* unanimiter nobiscum appellant: in quo vestigiis veterum insistunt, sed non attendunt, quo ducant, ex eo, quod non discernant inter entitatem & ens, deficiente eis distinctionum doctrinâ. Nam hoc ipso, quod sit aliquid minimè absolutum, sed merè respectivum, ineluctabiliter inferendum est, incipere solùm per resultantiam, & non per influxum causæ. Quod autem distinguas, *ut quo*, & *ut quod*, quia malè intelligis istas voces, non absolvit negotium: nam si verè per influxum

xum existit, jam verè absolutum ens est, quocunque modo appelles.

79. *Dico 5to. Hujusmodi formæ etsi non sint entia, tamen sunt propriè entitates.*

Dem. Primum patet; quia ens significat aliquid concretum. Tametsi autem formæ absolutæ, e. g. lumen secundum se & solitariè, sit concretum metaphysicum; eò quod sit ens completum, ut hîc supponimus; tamen formæ metaphysicæ, quia non sunt entia completa, non sunt entia, sed entitates.

80. *Secundum* eo ipso sequitur, & satis ostensum est superiùs. Nimirum hujusmodi forma, subjectum sic modaliter denominans, non est aliquid merè fictum, & solùm per conceptum existens, sed verè existit, cum lapis verè moveatur ad tale punctum, & à tali verè recedat; causa verè sit agens, cum priùs fuerit verè indifferens. Sicut ergo quævis forma non causat, nisi concretum suæ denominationis; putà, albedo non facit nisi album, calor non nisi calidum, curvitas non nisi curvum, cognitio non nisi cognitum, visio non nisi visum, &c. ita nulla cognitio potest facere tale subjectum, sic modificatum; adeòque præter cognitionem qualemcunque, est alia forma, modalis utique, quæ causat subjectum, sic modificatum; & hæc forma, si aut nulla, aut non vera est, etiam verum non est, tale subjectum sic esse verè modificatum, & sic se habere, quod tamen certum esse supponitur.

81. *Dem.*

81. *Dem. 2do.* Quia dicitur quidem relatio distingui à fundamento, per terminum; sed inde malè infertur, in relato non esse aliam formam, per terminum. Nam æquivocè intelligunt τὸ *per*, videlicet *per* non hîc significat formam, quomodo dicimus parietem esse album per albedinem; sed denotat causam (resultantiæ scilicet) uti dicimus ægrum sanari per medicinam. Fit igitur subjectum relatum per terminum, non tanquam formam, aut partem concreti, sed tanquam per causam resultantiæ formæ; cum per eum forma resultet. Sed hæc arbitror satis ex dictis liquere.

82. *Dico 6to. Possumus omnia exponere, quæ afferuntur de modis, & omnem inter Auctores litem dirimere.*

Dem. Ex dictis ritè intellectis. Nam I. agnoscenda est aliqua determinatio causæ activa, & aliqua etiam passiva. Activa est eorum, quæ causam determinant, & applicant; qualis est dispositio, conditio, Deus, aut aliqua concausa. Hanc determinationem causa patitur, & fit per eam determinata.

83. II. Determinatur autem causa ad agendum, secundùm virtutem, quam habet activam, putà, ignis secundùm calefactivitatem, ita ut ignis ipse, patiendo determinationem, fiat determinatus, calefactivitas autem fiat determinatio, respectu sui determinantis, passiva; sed respectu caloris, activa.

84. III.

84. III. Eadem determinatio verè consurgit in igne, cum priùs non fuerit, ut sæpe est dictum; & ratione illius transit ignis de contrario ad contrarium; & quia solummodò est nova forma, eaque talis, quæ non sit ens concretim; non autem fit novum subjectum; ideò illam formam nonnulli quidem appellant novam rem modalem, non simpliciter rem novam; nos verò nequaquam rem novam, sed ejusdem rei novam formalitatem, entitatem, modalitatem, aut realitatem, vocamus.

85. IV. Eadem illa forma, modalitas, aut entitas, utique pendet, non solùm à principio extrinseco determinativo causæ, de quibus *num.* 82. sed etiam à suo subjecto, cujus est forma. Diversimodè tamen, nam ab illo, vel illis pendet, ceu terminis, & causis resultantiæ; ab hac autem tanquam à causâ subjectivâ. Error itaque est, quod aliqui quamvis dependentiam arbitrentur propriè effectivam, & per influxum contingere.

86. V. Actio itaque, quâ ignis agit calefaciendo, est ipsa ejus activitas determinata, sive calefactivitas applicata. Eadem porrò actio, sive calefactivitas applicata, est formalis & activa determinatio caloris, ad existendum in subjecto; sicut & subjecti, ad habendum calorem. Hinc passio, qua calor fit, & existit in subjecto, & quâ subjectum habet calorem, est utriusque aptitudo, ad patiendum sic determinata: Scilicet tum aptitudo caloris ad fieri, tum aptitudo sub-

ſubjecti ad recipere. Unde actio & paſſio ſunt diſtinctæ modalitates ; etſi agens & patiens interdum ſit eadem res.

87. VI. Actio ergo ſignificat in recto vim cauſativam, quæ eſt perfectio ipſius cauſæ ; in obliquo autem determinationem ſuimet paſſivam. Primùm eſt eſſentiale prædicatum cauſæ ; ſecundum accidentale eſt ſuperveniens : unde ſecundùm prius quidem, actio non diſtinguitur realiter à cauſa, quod aſſerunt amodiſtæ ; ſecundùm poſterius verò, diſtinguitur reſpectivè, & modaliter â cauſa, quod modiſtæ contendunt : utrique bene, ſi bene diſtinguant.

88. VII. Actio eſt quid prius effectu, & ideò non aliquid pendens ab effectu ; nimirum actio eſt virtus cauſæ, quæ eſt prior effectu, & ſimul determinatio ejus paſſiva ; ſive eſt virtus determinata ; quæ iterum non procedit ab effectu, nec per effectum, ſed aliunde habetur.

89. VIII. Actio eſt id, quo cauſa cauſat ; nempe cauſa eſt res & ſuppoſitum, quod cauſat ; virtus autem cauſandi, quæ non eſt cauſa, ſed tantùm aliqua perfectio, ſubſiſtens in causâ, non in ſe, eſt id, quo cauſa cauſat.

90. IX.

90. IX. Eadem virtus causæ, dum est indeterminata, dicitur potentia & virtus: sed ipsâ determinatione fit actus, fit exercitium, fit actualis tendentia, fit actio. Nam sicut ipsa causa fit actu causans, per determinationem actualem, ita virtus causativa fit actuale exercitium, & causatio: sicut enim se habet potens causare ad actu causans, ita potentia causandi ad actualem causationem.

91. X. Facile dictu est, quare effectus possit esse ab alia causa, determinetur tamen per actionem, ut sit ab hac causa. Nam plures causæ possunt habere vim causandi eandem; quod tamen effectus defacto sit ab hac causa, habet ex virtute talis causæ, determinatâ ad hunc effectum, hoc est ab actione.

92. XI. Non conceditur actio actionis: quia per actionem ponitur effectus completus, sive res completa, ac individua; Actio verò non est res, sed tantùm una perfectio rei, quæ secundùm se & seorsim non potest effici, nec existere.

93. XII. Tametsi omnis modus sit forma quæpiam relativa, ut hactenus ostensum est; toto tamen cœlo diversi modi inter se differunt, prout in diversis subjectis diversa est virtus. Etenim si virtus subjecti est effectivias rei absolutæ, ejus determinatio est actio strictiùs dicta; si virtus subjecti est creativa,

determinatione fit creatio : si eductiva, eductio: si vis subjecti est intellectivitas, potentia judicandi, deducendi, attendendi, percipiendi; eadem determinatione fit intellectio; judicatio, deductio, attentio, perceptio; si sit unitivitas, fit unio; si patibilitas, est passio, &c.

Annotandum est quoque, quosdam modos esse quasi mortuos ac otiosos, non actionales; quòd non fundentur in virtute naturali subjecti: quosdam verò, quales â *num.* 56. actionales esse, & exercitationales, sive esse modos subjectorum, ut naturâ habentium. Admittimus ergo modos varios; sed nullos tales crassos, quales vulgò concipiunt, & entia vocant: *Vide infra n.* 151.

: (o) :

SE-

SECTIO II.

De Ente sive de Substantia in genere.

§. I.

De Prædicabilibus Entis.

94. PRædicabilium ordo ad hoc inventus est, ut determinatum quodpiam Ens, secundùm suam & essentiam, & essentiæ ornatum, penitissimè innotescere possit. Nam si interroges, quid sit homo? respondetur primò per genus, esse animal. Quærenti porrò, quale sit animal, sive cujus speciei; sive quid animalis sit? respondetur esse animal humanum, sive esse hominem, sive esse animal, quod dicitur homo. Ulterius interroganti, qualis sit homo per essentiam, sive quæ ejus perfectio primò constitutiva & ultimò distinctiva? respondetur esse rationale sive Intellectivum. Si porrò quæras, quomodo homini conveniat admirari? respondetur, hoc ei esse proprium, & ideò omni, soli, & semper competere, quia fluit ex e[ssentia], quod intelligit animaliter, sive dependen[ter à] sensibus. Si interrogatio ulterius fiat de [ejus] probitate, sapientiâ, nobilitate &c. respon[debi]tur, hæc ei congruere contingenter, [& per acci-]

accidens. Itaque habes quinque classes: *genus*, *speciem*, *differentiam*, *proprium*, *accidens*. Prima explicat, *quid sit res incompletè*, altera *quid sit completè*. Tertia *quid sit essentialiter*: Quarta *qualis necessariò*: Quinta *qualis contingenter*. Aliud responsum, quod extrà limites hos evagetur, formari non potest.

95. Cum prædictæ prædicabilitates, & veritates prædicabiles, nullo modo fingantur cognitionibus humanis, sed verissimè rebus ipsis insint, valdè mirum est, quosdam non velle agnoscere universalia in ipsis rebus. Ut enim loquamur de objectis, sensibus patentibus, & manu palpabilibus, nonne artifex humanus dictamina generalia habet quamplurima, de domo exstruendâ: etsi habeat insuper modos particulares, generalibus subordinatos, quæ ei serviant, ad certas domûs fabricandæ circumstantias; putà, prout aptari poterit in certo loco, tempore, ampla, arcta, ad tales, vel tales usus? sic in omnibus particularibus figuris mathematicis, triangulis, quadrangulis, circulis, & una eademque essentia trianguli, quadranguli, circuli, generatim. Quod igitur Architecto humano necessarium est, ut cœcè non operetur, cur æterno ideatori neges? si autem Ideator æternus in suis Idæis dictamina universalia habet, cur veritates æternas universales re ipsâ non poneret in rebus â se creatis? quomodo enim aliàs res factæ, cum suis Idæis congruerent?

96. Genus igitur est basis & fulcrum essentiæ, cui differentia specifica, tanquam forma subjecto, inest. Nam differentia non est pars generis, & si sit pars speciei, sine quo ipsa quoquè subsistere nequit, *juxta dicta num. 49. & seqq.* deinde genus est prius differentiâ, & ab hac, ceu formâ, determinabilis. Neque dicas, ista sic esse secundùm conceptum nostrum. Nam cum istud dicterium â vulgo philosophico centies in die regeratur, ad omnem æquivocationem semel pro semper tollendam, concedo eam phrasin; si tu per conceptum intelligas ipsam conceptibilitatem, quæ est veritas objecti transcendentalis, & proprietas entis, de quo paulò inferiùs: hæc autem conceptibilitas malè dicitur conceptus; quia conceptus est actio, vel actus intellectûs; conceptibilitas autem est ipsa veritas objecti. Concedo proinde, in objecto esse diversas conceptibilitates, sive veritates, & perfectiones objectivas, quod ipsum est dogma nostrum. Deberes ergo dicere, hæc esse *secundùm conceptibilitates* objecti, non autem, *secundùm conceptus*: quia falsum est, nostros conceptus, & actiones mentis, esse talium veritatum principia; sed potiùs illæ veritates sunt principia conceptuum nostrorum.

97. Deinde concedo, illas veritates inveniri, & detegi tantùm per actus mentis; cum reliqua, quæ distincta sunt realiter, per ipsos sensus discernantur diversa: sicut ipso gustu, visu, tactu, deprehendunt etiam bestiæ quodam-

modo, aliud esse aquam, aliud vinum, aliud panem esse, aliud lapidem, nigrum aliud, & aliud album. Hoc igitur modo, sicut dici posset, inter lignum & lapidem esse distinctionem per sensum, ita dici poterit inter animalitatem & rationalitatem esse distinctionem per intellectum: non quod illa distinctio non sit ante operationem revera, sed quod discernatur per operationem sensuum; sicut eodem modo distinctio inter gradus metaphysicos discernitur per conceptus, & operationes mentis; etsi revera, ante eas operationes, jam insit rebus.

98. Ulterius non negamus, per conceptus actuales accedere objectis novam distinctionem extraneam, & respectivam; scilicet hanc ipsam, quod res sit cognita. Sicut enim aliud est, rem esse visam, aliud non visam; gustatam & non gustatam; ità aliud est, rem esse cognitam, aliud non esse cognitam. Itaque hoc sensu res cognita, ab eadem non cognita, distinguitur ipsâ cognitione, per cognitionem, tanquam per terminum relationis prædicamentalis. Sed hanc distinctionem supponimus, non disputamus: asserimus autem, præter hanc esse aliquam aliam objectivam, quæ ipsius cognitionis sit fundamentum & principium, sive sit ipsa objecti veritas transcendentalis, quæ actuali cognitione verâ verè & rectè exprimitur; malè autem & falsò exprimitur per cognitionem erroneam.

99. Si quæras, quid sit *prædicari in quale*, respondeo, est idem quod enuntiari adjectivè; sicut *in quid*, substantivè: sive qualitativè & quid-

quidditativè, sive quo respondetur ad quæstionem, qualis sit res? quod qualitatem Philosophus nominet; sicut quidditas & substantia dicitur, quo respondetur ad quæstionem, quid sit res? Qualitativè prædicantur differentia, proprium, & accidens: sed differentia qualitativè essentialiter, proprium qualitativè necessariò, accidens qualitativè contingenter.

100. Hinc malè assumitur, omnem qualitatem esse accidens, vel accidentalem subjecto, cujus est qualitas; cum differentia, licet accidat generi, sit tamen substantialis, & essentialis perfectio essentiæ; sicut & proprietates aliquæ sunt substantiales, non contingentes, aut accidentales: alioquin malè diceretur in Symbolo: *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus S.* æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus; nam ista non accidunt Deo.

101. Licet porrò ista non accidant DEO, non ideò tamen desinunt esse qualitates: sunt enim tales, sed substantiales: Quia quærenti, Qualis sit Deus? respondetur optimè, esse Omnipotentem, æternum; Ideoque sunt qualitates, sed substantiales, ut ex hâc ipsâ doctrinâ, & tabulâ prædicabilium patet. Tametsi autem meliorem hac ipsâ definitionem qualitatis vulgus credere conatum jam pridem sit; denique tamen viderunt, se frustrà laborasse; Quoniam non invenerunt, quomodo suas novas definitiones soli qualitati, & non quantitati, vel relationi convenire ostenderent; adeoque ipsorum aliqui

non dubitârint asserere, nulli ingenio humano posse ad plenum innotescere, quid genuinè sit qualitas. Sed dummodo ne sus minervam docere præsumat, & retineatur antiquitus recepta qualitatis definitio, nihil caliginosum remanet, nihil difficile, nihil ambiguum, & per hanc omnia, quæ istuc pertinent, sine errandi periculo explicantur.

102. Supervacanea hæc cura ex eo errore profluxit; quod malè suppoſuerint, qualitates esse accidentia absoluta, quæ esse extrà subjectum non sit ἀδύνατον: qui tamen adeò incurii fuerunt, ut inter reliquas qualitatis species numerarint etiam figuram, quam posse creativè existere nemo nisi insipiens dixerit, ut de aliis speciebus qualitatis nihil dicam. Et nonne qualitates hominis sunt esse divitem, nobilem, juvenem, senem, sanum, ægrum; qualitates agrorum esse fertilem, cultum, arenosum, lapidosum; qualitates arborum, esse proceras, nodosas, frugiferas, & infinita talia, quæ nec dormiens quidem asserat, esse accidentia absoluta.

103. Quod prædicatur *in quid* & substantivè, potest quodam sensu prædicari etiam *qualitativè* & adjectivè. Sic ex eo, quod lapis sit corpus, rectè dicetur esse ens corporeum; quod Angelus sit spiritus, rectè infertur, eum esse aliquid spirituale. Contrà verò ex prædicatione qualitativa malè concluditur quidditativa. Non enim sequitur: gratia est aliquid spirituale. ergo est Spiritus: anima est aliquid humanum, ergo est

est homo : forma lapidis est aliquid Materiale & corporeum, ergo est materia & corpus. Ex quo principio ignorato vulgò formas materiales vocant substantias, quia sunt substantiales; Hypostasin sive unionem hypostaticam appellant substantiam, quia sit Christo substantialis : quæ omnia pudenda sunt.

104. Simile ferè est illud vulgaris philosophiæ effatum : *Quod constituit substantiam, debet esse substantia.* Ideò materiam & formam putant necessariò debere esse substantias, quia constituunt & faciunt substantiam. Item ideò formam cadavericam fingunt, esse novam substantiam, quia cadaver dum noviter generatur, abscedente animâ, ipsum est nova substantia. Item unio inter materiam & formam debet esse substantia, dum creatione animæ fit homo; quia alioquin, inquiunt, dum generatur homo, non generaretur substantia; cum anima non generetur, & materia prima, quam etiam â corpore humano substantialiter non distinguunt, ipsa quoque non generetur : ergò infallibiliter & evidenter putant se inferre, debere intervenire unionem, quæ generetur, & sit substantia.

105. Sed in merissimâ inanitate fatigant se, cum sit principium penitus falsum. Potius enim oppositum sequitur. Cum enim constituentia sint *partes totius*; Totum autem *constitutum ex partibus*, nulla autem pars sit totum illius, quod constituit, consequenter potius est diver-

sa â toto. Sic anima rationalis est pars hominis, constituens hominem, ipsa proinde non est homo: Idem est de corpore hominis, quod constituit hominem, & homo non est: ita unitas est pars binarii, & constituit binarium, unitas tamen non est binarius: & sic posses exempla infinita adducere, quibus falsitas patet axiomatis hujus, cujus tamen, uti plurium similium, certitudinem, tanquam sacratissimam aram, religiosissimè observandam volunt, contra quæ vel hiscere sit pœnam capitalem incurrere.

106. Quod verè negatur finitanter, affirmatur verè infinitanter de eodem subjecto, & contrà. Sic ex Aristotele, si vera est propositio, *Socrates non est albus*, vera quoque est, *Socrates est non albus*. Si enim cum hac vera: *Socrates non est albus*, falsa esse posset hæc: *Socrates est non albus*, ergo ejus contradictoria: *Socrates non est non albus*, posset esse vera. Ergo æquipollens: *Socrates est albus*, posset simùl esse vera; & tamen ejus contradictoria: *Socrates non est albus*, supponitur esse vera: adeóque duæ contradictoriæ possent esse simul veræ: quod cum fieri non possit, principium Aristotelicum verum est. Sed nolo Dialecticum agere.

§. II.

§. II.

Quæ ſit definitio Entis, ſivè quod Ejus prædicatum genericum, & quodnam differentiale.

107. Paſſim circumfertur hæc definitio: *Ens eſt aliquid aptum exiſtere*, ſivè quidquid cogitabile eſt, quod ſit aptum exiſtere, illud vocari ens. Ideò *quidpiam cogitabile*, eſt genus: nam per reſpectum ad intellectum, tanquam unum eundemque in ſpecie terminum, per quem dicitur quidpiam cogitabile, vel intelligibile, univocè conveniunt, quæcunque menti objici poſſunt; quamvis aliquod cum veritate, & aliquod cum falſitate objici poteſt, & ideò aliquod eſt ens verum, aliquod falſum, ut infrà patebit. Reliqua, *aptum exiſtere* differentiam indicant, quâ verum ens â falſo diſtinguitur. Nam falſum non eſt aptum exiſtere.

108. Ens verum diſtinguitur in creatum & increatum: utrumque enim horum poteſt exiſtere ſed diverſimodè prorſus. Nam potentia exiſtendi, in Deo nunquam eſt mera potentia, ita ut poſſit aliquando eſſe non actuata: Cum potentia exiſtendi, in Deo, ſit ipſa exiſtentia, ipſa actualitas, ipſa neceſſitas exiſtendi, ipſa æternitas actualis, ipſa eſſentia, ipſa origo, & omnis poſſibilis exiſtentiæ creatæ: cum exiſtentia creata ſit cuicunque creaturæ contingens, & eidem accidat. Ideóque ſit poſſibilitas tantum

tum existendi, potens suo actu vocare; eò quod nulla per essentiam sit æterna, sed liberè â Deo procedat.

109. Unde genus, Deo & creaturæ univocè conveniens, est *Ens verum*; differentia constitutiva Dei est *aseitas*, vel necessitas existendi, quæ sine dubio est positiva perfectio, imò ceu indivisibilis oceanus, omnem perfectionem eminenter comprehendens: quæ in Deo constituit speciem, sed subjicibilem tantùm. Nimirum hæc differentia omni, ut sic dicam, Deo, soli, & semper, primò competit, per quam primò & infinitè, ab omni ente creato differt. Ab hac & profluit infinitudo perfectionum omnium, simpliciter simplicium, quæ est proprietas Dei, soli Deo competens: quam & Deus alienare non potest, & creaturæ concedere.

110. Neque dicas, infinitudinem aliquam creatam posse poni extra Deum, aut accidentalem; Etsi substantialis & increata non possit: nam hoc idem est acsi dicerem, visibilitatem humanam non posse quidem competere bruto, posse tamen aliquam brutalem; quod nihil est aliud, quàm illusio. Nam ideò risibilitas est proprietas tantùm hominis, quia ei soli competit, & infinitudo ideò est proprietas Dei, quia nullæ competit creaturæ. Deinde infinitudo accidentis supponit infinitudinem subjecti. e. g.

infini-

infinitudo actualis æternùm durandi, utique & immensè existendi &c.

111. Quod autem creaturæ congruat infinitudo potentiâ, quam Syncategoremeticam, satis ineptè, vocant, nihil hîc officit: nam hæc est aliud nihil, quàm infinita finitudo: ut si lignum dicas posse in infinitum extendi in longum, motum esse posse velociorem semper in infinitum, &c. Nam hoc ideò fieri potest, quia lignum nunquam est longissimum, & motus nunquam infinitè velox. Ideò hæc nunquam est infinitudo actu, defectivitas autem semper propria creaturæ.

112. Sicut ergò Deus omnia habet, & est â se, nihil ab alio, Creatura verò omnia â Deo habet, & est; nihil â se; quibus differentiis extremè & essentialiter â se invicem differunt: ita creatura semper aliquid â Deo accipere potest, nihil Deus â creaturâ; quæ est utriusq; proprietas: Unde Dei proprietas non est potentia, sapientia, sanctitas, sed omnipotentia, omni-sapientia, omni-sanctitas: Nempè aliqua potentia, sapientia, sanctitas, creaturæ communicari potest, nunquam omnis.

113. Quintum prædicabile, quod est accidens, si roges, habeatne locum in Deo? respondeo, omninò accidentia modalia sive respectiva, Deo competere. Sic enim Deo congruit, esse Creatorem actu, redemptorem actu, alicui amicum, alicui hostem, esse actu Judicem, vindicem; filium esse humanitati unitum, passum,

mor-

mortuum: Spiritum Sanctum apparuisse in igne: hæc enim omnia contingenter de Deo prædicantur: licet verissimum sit, accidenti absoluto, si qua dantur hujusmodi, in Deo locum non esse. De creaturis patet, eas esse accidentium innumerabilium capaces; Sicut ex dictis etiam constat, existentiam actualem de creatura quacunque, si existat, contingenter prædicari; cum sic existat, ut possit non existere.

114. Si quæras, an dicta definitio entis sit Deo & creaturæ univoca; sive an ens verum de Deo & creatura univocè prædicetur? respondeo, Termini, *potentia existendi* significant aliquandò negativè, pro non repugnantia ad existendum. Hoc sensu est ens univocum respectu Dei & creaturæ. Aliquando significant positivam potentiam, quæ cum in Deo & creatura, infinitè diversæ sint, hoc sensu ens est æquivocum, respectu utriusque: si verò utroque sensu simul prædicatio fiat, erit prædicatio analoga: Et sic omnia solves, quæcunque hic frequentèr & clamosè, contentioséque proponuntur: An autem ens univocum sit respectu substantiæ & accidentis, ex infra dicendis patebit.

§. III.

§. III.

De Proprietatibus Entis Metaphyſicis, ſeu tranſcendentalibus.

115. Poſſibile eſt, intellectum creatum errando judicare, Hircum & Cervum eſſe unam eſſentiam, infantes mortuos fieri angelos, tenebras eſſe atramentum: ſed hujusmodi objectorum nullum eſt affirmabile â Deo, qui hæc omnia in æterna ſuarum Idæarum luce negat, eſſe factibilia â ſe. Itáque Ens, quod ſic negat poſſe terminare ſuam potentiam creatricem, non eſt ens verum, ſed falſum & fictum, unde ens verum, & verè creabile, omne, ſolum & ſemper, eſt ſic affirmabile, intelligibile, agnoſcibile; & nullum ens falſum, quodque creabile non eſt, â Deo eſt cognoſcibile, & creabile, vel affirmabile, ut tale. Hinc omne ens creabile eſt tranſcendentaliter ens, & verum: omne autem non creabile eſt tranſcendentaliter falſum, & non ens; & propterea veritas entis tranſcendentalis nihil eſt aliud, quàm immutabilis conformitas objectorum & rerum cum ideis divinis.

116. Sicut impoſſibile eſt. Deum non verè cognoſcere, & judicare, de creabilitate Entium, ita impoſſibile eſt, eum approbare, æſtimare, eligere, amare, aut velle creare ens falſum: Sic enim faceret decretum inſipiens, volendo creare,

quod

quod judicat creari non posse. Quatenus proinde quædam potest immutabiliter approbare, vel non potest approbare; eatenus quædam sunt transcendentaliter bona, quædam transcendentaliter mala; ea scilicet, quæ creata voluntas amaret vel eligeret, si ea errando judicaret esse creabilia. Sicut proindè de cognoscibilitate diximus, ita de amabilitate dicendum est: videlicet bonitatem transcendentalem esse rerum immutabilem eligibilitatem â voluntate divinâ; reprobabilitatem esse transcendentalem quandam malitiam entis; imò eo ipso non entis.

117. Tametsi verò veritatem transcendentalem entis sufficienter, & maximè, per judicabilitatem explicuimus, dicto modo: est tamen triplex rerum veritas, sicut triplex cognoscitivitas, apprehensionis, judicii, & illationis. Apprehendendo, intellectus objectum sibi simpliciter sistit & præsentat, absque judicio, saltem expresso: judicando exprimit ejus veritatem respectivam vel relativam: inferendo attingit veritatem connexionis, quam habet unum cum alio. Itáque sicut tres sunt actus intellectionis, apprehensivæ, judicativæ, & illativæ, valdè diversæ: ita tres sunt potentiæ, apprehendendi, judicandi, & inferendi, in eadem mente valdè diversæ, eò quod actiones aliud non sint quàm ipsæ potentiæ determinatæ juxta dicta. *num.* 87. 88. 89.

118. Præ-

118. Præter veritatem & bonitatem, tertia proprietas entis est ejus unitas, quæ est relatio essentialis, qua determinatum Ens respicit quodvis aliud ens, tanquam non se, & tanquam aliud â se; sive est forma, quæ reperitur inter ipsum & aliud, tanquam duo: sive qua ens cum alio quovis facit binarium, qui non nisi ex bis uno resultat, quâ quidpiam tantùm id est, quod est, & quodvis aliud non est; est ipsa indivisio sui in aliud, & distinctio sui ab alio: nam si distinctum non esset ab alio, non esset unum, sed duo; quia esset simul ipsum, & simul aliud. *Lege nume.* 1. 2. 3. *& seqq. superiùs.*

119. Sicut diversa sunt entia, sic diversa est entium vel entitatum unitas. Hinc aliqua est unitas individualis vel singularis, quâ ens individuum inferioribus caret; alia universalis, quæ inferioribus omnibus inest: alia absoluta, quæ caret subjecto, cui insit: alia modalis, respectiva, relativa, vel resultantiæ, quæ absque subjecto in nihilum abit.

120. Cujus entitatis est forma relati entis, ejusdem unitatis est ipsum relatum: nam relatum non est, nisi per formam relati, & forma nihil aliud causat, nisi suum relatum, idque per se ipsam, communicando se suo subjecto. Hinc albedo non facit nisi album, calor non nisi calidum, sapientia non nisi sapiens; quo quidpiam est formaliter existens, ipsum est existentia: quo formaliter subsistens, ipsum est subsistentia: quo linea formaliter est curva, ipsum est curvitas;

quo quidpiam est formaliter visum, ipsum est visio: quo formaliter cognitum, est cognitio; quo conceptum, præcisum, judicatum, ipsum est conceptio, præcisio, judicatio.

§. IV.

De DISTINCTIONIBUS ENTIS.

121. Cum unitas entis sit *forma* quæpiam, *qua unum non est aliud*, distinctio quoque entis sit, qua unum distinctum est ab alio, &, esse distinctum ab alio, & non esse aliud, sint propositiones ac termini æquipollentes; utique unitas entis, distinctio entis, non Identitas entis, pluralitas, ac diversitas, idem significant. Itáque inter duas substantias, cum sint duæ res, est distinctio realis. Petrus & Paulus distinguuntur realiter individuè, completè: homo & equus realiter specificè, sed non individuè & completè: animal & lapis realiter genericè, sed incompletè, non specificè, nec individuè.

122. Si quæpiam entietates ejusdem substantiæ sunt tales, quæ quandam actionem significant, aut naturam insinuent, sivè sint principia, quibus Substantia moveatur aut quiescat, illæ non distinguuntur realiter: quia non sunt plures res vel substantiæ, attamen distinguuntur objectivè, & absolutè, tanquam potentiæ absolutæ, & quæ non habeantur solùm per re-

ergo dubito, [illegible] non sit ne realis sul- [illegible] modali. Omnia aliorsum sint modi filiarum?

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [110] - 66
PUBLIC DOMAIN

ſultantiam caſualem vel contingentem. Ita ſuprà *num.* 117. dictum eſt, in eadem ſubſtantiâ mentis eſſe plures potentias actuales, & objectivè diſtinctas: eò quod ſint plures actiones, vel quaſi actiones, ejusdem mentis, putà apprehenſio, judicium, diſcurſus, quæ ſunt objectivè diverſæ, & ſeparabiles. Cum enim actio non ſit aliud quid, quàm *potentia determinata*, ubi ſunt plures objectivè actiones, neceſſe eſt, plures quoque eſſe potentias determinatas: ubi autem ſunt plures potentiæ determinatæ, ſunt etiam plures potentiæ ſimpliciter; ſicut ubi ſunt plures parietes albi, ibi ſunt plures ſimpliciter parietes. *Lege ſuprà numer.* 86. & *ſeqq.*

123. Proprietates tranſcendentales, *unitas*, *veritas*, *bonitas*, non diſtinguuntur objectivè & abſolutè, in ſuo objecto, vel ente; quia non ſunt virtutes actionales vel naturales; & una alteram neceſſariò habet incluſam, & identificatam. Nam bonitas neceſſariò eſt veritas, quia ſi vera non eſſet, bona non eſſet, ſed hoc ipſo, quo quidpiam verum eſt, etiam bonum eſt: nam ſi veritas bona non eſſet, ficta eſſet & falſa. Sic unitas eſt vera & bona; quia, ſi falſa eſſet, non una tantùm eſſet, ſed etiam alterius eſſet, ſic veritas & unitas una eſt ſui ſubſtantia tantùm.

124. Attamen eædem proprietates diſtinguuntur reſpectivè, & ſunt plures, per reſultantiam. Nam quatenus Ens reſpicit intelle-

ctum tantùm, eatenus tantùm est verum; quatenus idem respicit voluntatem tantùm, eatenus est tantùm bonum; quatenus aliud quodvis negativè sivè disgregativè, & quasi cum inimicitia & incombinabiliter respicit, eatenus est unum tantùm, & simul sunt tria respectivè. *vide supra num. 7. & seqq.*

125. Per nostrum conceptum non fit distinctio inter gradus Metaphysicos, nec universale. Imprimis enim activè quidem distinguit; quatenus distincta invenit, exprimit, enunciat, præscindit, cognoscit unum, altero non cognito: cognoscere autem est quoddam vitaliter agere: non autem facit, esse distincta, quæ talia non erant; Sicut nec facit vera, vel bona. Imò intellectus non aliter agit, quàm verum exprimendo: Si ergo exprimendo faceret plura, quæ non sunt plura, exprimeret difformiter expressioni divinæ. Deus enim intelligendo non aliter exprimit res, quàm ut sunt, ergo faceret ens falsum juxtà dicta. *num.* 115.

126. Deinde non facit distinctionem formaliter, & in genere causæ formalis: quia hoc modo non aliud concretum constituit, quàm *cognitùm*, sicut visio *visum*: cognitum autem non est idem, quod distinctum. Nempè quod formaliter facit & causat distinctum, est distinctio ipsa, sive unitas objectiva; sicut veritas facit verum, bonitas bonum. Sed nostra cognitio non est proprietas entis, non est ejus passio, non est distinctio, non est unitas ejus, non est diversitas;

sitas, sed tantùm est ejus cognitio : ergo non facit formaliter esse unum, aut verum, aut distinctum, aut diversum; sed tantùm formaliter causat concretum *cognitum* juxtà dicta *num.* 120.

127. Similiter quia conceptus noster non est unitas universalis objecti, non potest causare formaliter concretum, *universale* : nam si cognitio nostra non facit formaliter concretum individuale absolutum, aut respectivum, præterquam hoc, quod per ipsam quidpiam sit cognitum; quomodo quæso per ipsam formaliter causabitur concretum, *Universale*; cum cognitio æquè parum sit unitas universalis, ac individualis, vel alia quævis.

128. Nec dicas, ità cognosci individua, ut non reluceant singularitates. Nam quid est relucere, quàm cognosci? Dicis ergò non relucere singularitates, hoc est, non cognosci, non exprimi; sed tantùm exprimi unitatem illarum : ergo in illis reperit unitatem, quam exprimit, jam priùs in illis, & ab illis distinctam; cum ostendi non possit, quomodo per cognitionem, distincta & una fiat, & cognitio non faciat nisi cognitum, sicut non facit verum, & bonum; & ideò non nisi hanc distinctionem inducere possit, quæ est inter cognitum, & non cognitum, inter præcisum & non præcisum.

129. Dicis in rebus tantùm esse unitatem similitudinariam. Sed nescis quid dicas. Nam si similitudo vera est, unitas etiam vera est. Nam ut quæpiam sint similia; requiritur non tantùm, ut sint plura, & distincta, atque diversa quodam modo, sed etiam, ut eadem sint unum, in aliquo, vel in pluribus: nam *similia sunt, quorum qualitas* (sive substantialis, sive accidentalis) *est una*. Patet hoc certissimè in divinis. Nam natura patris, & natura filij non sunt similes, quia non sunt plures; sed est omninò una & eadem: pater tamen & filius sunt similes, quia sunt plures ipsi, & diversi in personalitatibus; in natura verò prorsus unum sunt: ergo plura entia, quatenus sunt re ipsa similia, eatenus sunt unum quid, & unitatem habent.

130. Alij dicunt, distinctionem perfectionum non esse, nisi per connotata diversa; sicut & unitatem, per respectum ad cognitionem, & similia connotata. Sed respondeo, relationem illam ad connotata esse in rebus, & ideo saltem unitatem respectivam, & distinctionem respectivam, fateris, esse in rebus; maximè, si illa connotata sint effectus sui objecti; tunc enim ostendunt distinctionem potentiarum, in ipso quoque subjecto, ut dictum est *num.* 172. similitudo porrò connotatorum includit, juxtà dicta *num.* 129. unitatem non fictam, nec solùm cognitam, aut conceptam, sed veram. Denique conceptus actualis non facit aliam vel unitatem,

tem, vel distinctionem, nisi hanc ipsam hujus concreti, quod res sit cognita, vel concepta, & qua res cognita distinguitur non cognita; sicut visa â non visa. Si verò intelligas conceptum potentialem, & conceptibilitatem, hæc ipsa est rerum veritas transcendentalis, quæ inest ipsis subjectis, in quibus proinde ipsis reperitur illa vel distinctio, vel unitas, ut sæpe dictum est. Sed de ejusmodi scripsi aliàs bene magnum tractatum: tædet hîc ea repetere, cum ista sapienti sufficiant, insipienti nihil sufficere possit.

§. V.

De Negationibus Entis.

131. De negationibus, & Entibus negativis, sæpè & fieri debet, & facta â nobis est mentio. Quæritur autem quid sit rei negatio, & quid entis? an sit merissimum nihil, ex omni parte? dicitur autem *ens positivum, quod & quatenus affirmabile* est; *negativum, quod & quatenus negabile*. Respondeo ergò ad quæstionem, ens negativum semper supponere simul positivum, & non esse ullam negationem meram, quæ non in positivo fundetur, & non simul sit Ens. Demonstratur facilè ex eo, quod non Entia, sive entia negativa, aut negationes, habeant proprietates Entis. Nam mors est pretiosa sanctis, morbus profiuus ad patientiam,

tenebræ utiles ad quietem; & ſic infinita entia negativa, non ſolùm intelligibilia, ſed etiam bona ſunt. Habent quoque unitatem; quia una negatio non eſt alia; cœcitas non eſt fames, ægritudo non eſt mors. Tenebræ non ſunt paupertas: ergo differunt inter ſe; quomodo autem? an in nihilo? ſed ſi in nihilo differunt, non differunt. An in aliquo? ergo negationes aliquid ſunt.

132. Prætereà Angelus non eſt lapis, non eſt planta, non eſt brutum, non eſt homo, non eſt DEUS: ergo juxtà dicta *num.* 106. eſt non lapis, non planta, non brutum, non homo, non DEUS: ſed non lapis eſt negatio lapidis, non planta negatio plantæ, non homo negatio hominis: ergo angelus, cum verum ſit ens, vera etiam negatio eſt entium. Idem dici poteſt de quovis ente: ergo quodvis ens non ſolùm eſt ens, ſed etiam eſt negatio entis: non ergo negatio entis eſt meriſſimum nihil, quod imperiti perperam ſibi imaginantur, dum veritates rerum obiter tantùm, & in ſuperficie conſiderant.

133. Unde negatio non eſt aliud quid, quàm relatio, quâ quodlibet ens refertur ad aliud, tanquam aliud â ſe, vel tanquam non ipſum; adeoque eſt ipſa unitas entis, qua unum cum ſit, illud tantùm eſt, quod eſt, & non eſt aliud quidlibet; poſitivum proinde ſimùl eſt, & negativum: poſitivum, quatenus eſt id, quod eſt; & negativum, quatenus omne aliud non eſt.

est. Hinc eadem differentia entis est constitutiva simul, & distinctiva : constitutiva per id quod est ; & distinctiva per id, quod non est, sive per relationem ad aliud quidvis, quod non est. Hinc subjectum relationis dicitur habere duplex esse, scilicet & *Esse in*, & *Esse ad*: Esse in, est positivum vel absolutum, quod positivè & absolutè est : Esse ad, est respectivum, ratione termini, qui aliud quid est â fundamento.

134. Hinc demum patet, quid rei sit *oppositio Entium* & entitatum. nimirum & innumerabilium entium structura, serie, taxi, & conjunctione, necesse est varios eorum ordines, respectus, & relationes, suppullulare ; ratione quorum sint interse se, aut congrua, aut discongrua : Unde qualitates, sub eodem genere, maximè distantes, quæ eidem subjecto vicissim insunt, contrariè repugnant. Privativè opponuntur forma, & ejus negatio, vel absentia in subjecto apto. Contradicunt sibi ens & non ens, lapis & non lapis, quia non lapis negat totum, quod lapis est. Ideò infinitum dicitur non lapis, quia infinita entia, indeterminata tamen, significat scilicet omnia, quæ non sunt lapis. Relativè opponuntur, inter quæ maximè spectabilis est relatio. Quæ alio modo opposita sunt, ita tamen, ut ad nullam horum Classem commodè reponantur, disparata dicuntur.

§. VI.

De Possibilitate Entis.

135. Suprà *num.* 107. Definivimus ens, *quod est aptum*, sive *cui non repugnat existere*: quæ aptitudo, & non repugnantia, sine dubio, est ipsa possibilitas: quid enim est aliud posse existere, quàm habere possibilitatem existendi? quæritur autem, quid rei sit illa aptitudo, maximè in statu meræ possibilitatis? sunt enim, qui asserunt, Ens, antequam existat, jam habere quoddam esse diminutum, vel alio nomine appellandum: cum alij contrà vulgariter sentiant, ens merum nihil esse, dum nondum existit, & per ipsam tantùm existentiam acquirere essentiam, & fieri Ens, De quo

136. Dico, *merè possibile, antequam existat, jam est aliquid positivum*, & non merum nihil. Demonstratur. quia jamtum etiam gaudet proprietatibus entis. Cognoscitur enim â DEO, & eligitur, dum decernit, illud creare; aliàs non crearet liberè, sed necessariò, quod est hæreticum; ergò est verum, & bonum: sed & unum est, quia DEUS unum, certum, & determinatum cogitat creare; cætera verò increata relinquere. Ubi autem sunt proprietates entis metaphysicæ, tam parùm potest abesse Ens, quàm parùm non potest abesse homo, quod est animal risibile. Deinde

137.

137. Existentia de Angelo prædicatur contingenter, ut quintum prædicabile: sed esse spiritum, intellectivum, liberè volitivum, prædicatur in quid, & essentialiter; ergo unum non est aliud: quis enim ferat, si dicas, Angelum posse esse, & non esse intellectivum? unum ergo est non aliud, & negatio alterius: ergo quæ de angelo prædicantur, præter existentiam, sunt aliquid præter existentiam, fiunt, inquis, aliquid per existentiam? sed si ita; pendebit essentia â suo accidente, esse parietis ab esse albedinis, quæ sunt absurda. Præterea omnis forma contingens præsupponit suum subjectum, non illud causat, vel principiat. Sic paries, dum fit albus, non fit paries: homo fit musicus, non fit homo: metallum si fiat globosum, non fit metallum: sic ergo essentia dum fit existens, non fit essentia, sed priùs est, etsi non sit existens. Rursum

138. Possibile habet potentiam existendi; impossibile eam non habet: ergò possibile habet plus, quàm impossibile; ergò habet aliquid, ergo non est merum nihil. Item quod habet positivam potentiam, est subjectũ talis potentiæ: quod autem subjectum est formæ alicujus, est aliquod ens; nam subjectum non est merum nihil. Item possibile & non possibile, sunt termini contradictionis: ergò si non possibile est non ens, possibile est ens. Item Chymæra nunquam potest existere, quia merum nihilum est. aut quia Chymæra est, sed possibile juxta te, jam in nihilo

nihilo differt ab impossibili ; quia , juxtà te , utrumque jam æquè est merum nihilum : ergò possibile etiam nunquam potest existere ; quia nihilo differt ab impossibili. Nam si dicas, differre in eo, quod aliquid futurum sit , quia extiturum : contra est, quod infinita possibilia nunquam sint extitura : ergò saltem nunquam extitura erunt impossibilia. Dicis differre , quod possibilia possint existere : sed si æqualiter modò sint nihilum , æqualiter non possunt existere; quia posse existere vel est habere aliquam potentiam , & vel significat, vel nihil significat vox illa : si aliquid significat; ergo ens possibile aliquid est , cum habeat aliquid præ impossibili. Si nihil significat, non potest unum potiùs , quàm alterum existere.

139. Quidam dicunt , possibilitatem entium esse ipsam illorum existentiam , aut omnipotentiam Dei , aut ejus Ideas , aut sapientiam. Sed de existentia falsum est ; quia potest Deus facere, ut Angelus non existat , non potest facere , ut non sit spiritus , non intellectivus, non volitivus : ergo illa prædicata realia non sunt idem , quod contingentia , sive essentia non est existentia : aliud est esse , aliud existere. Quod pertinet ad Omnipotentiam : hanc quidem & cæteras perfectiones , ens possibile essentialiter respicit : ens tamen possibile est aliquid creabile ; non sic omnipotentia : potentia existendi , est potentia , vel aptitudo passiva ; non sic omnipotentia , sapientia , & cætera.

140.

140. Quid igitur est ens possibile, dum nondum factum est? ut hoc intelligas, considera, quod Deus Pater, ex vitali contemplatione sui, exprimit, & efformat sibi verbum æternum, quo sibi perfectissimè exprimit mentalem imaginem, quam virtute, incomprehensibili modo, fœcundativâ, facit in se subsistere, & eo ipso communicat ei ipsissimam suam Deitatem totam ac individuam, sicque filium generat. Contemplatus deinde eandem imaginem sibi consubstantialem, & omnium suarum perfectionum, ineffabili modo, expressivam, deducitur ad plura alia judicia, quibus judicat, easdem suas perfectiones adintra planissimè resplendentes, nihilominus posse adhuc exprimi etiam ad extra, & creari essentias, verbo suo consubstantiali quodammodo analogas: quas proinde combinatis inter se, & coordinatis variis perfectionibus, alias atque alias in infinitum exprimit atque efformat.

141. Sunt igitur essentiæ illæ rerum creabiles, verba quædam & locutiones, quas sibi loquitur pater æternus, & communicat filio, ac Spiritui Sancto, ut sic dicam, secundariæ; vel essentiæ suæ secundariò expressivæ, atque ita ab æterno Deus *mundum mente gerit pulchrum pulcherrimus ipse*, ut Seneca scribit. Ita præsto sunt Deo semper, & ab æterno inamisibiles opes, & intellectui ejus lucent, tanquam sempiternæ faculæ, dicuntque *Adsumus*, ad nutum omnipotentiæ, ut Lessius ex Sancto Augustino loquitur.

tur. Ita ſapientia etiam creata dicitur parturiri, & genita fuiſſe ab æterno, ante montes & colles, &c.

142. Breviter ergo : Poſſibilitas rerum, & aptitudo exiſtendi, eſt compatientia & concordia prædicatorum, & perfectionum in uno ſuppoſito ; ſive relatio, aut forma relativa, qua eædem perfectiones ſunt inter ſe amicabiles atque conſociabiles : impoſſibilitas verò eſt earundem inter ſe diſcordia, ſive relatio inimicitiæ, diſcordantiæ, diſſonantiæ. Ens poſſibile eſt, quod habet in ſe hujuſmodi prædicatorum conſonantiam. Impoſſibile, quod diſſonantiam. Unde nullum ens impoſſibile eſt merè impoſſibile : Sed (ſicut de negativo dicto eſt) quod eſt poſſibile per unam combinationem, eſt impoſſibile per aliam combinationem, & econtra ; rationalitas combinata cum animalitate facit poſſibile, combinata cum rugibilitate facit imposſibile &c.

143. Unde ens rationis quid ſit, planiſſimè patet. Eſt enim Ens impoſſibile, prout per intellectum errantem judicatur poſſibile ; ideoque non factibile â Deo, nec logicæ objectum, quæ figmenta cudere non intendit. Colligitur etiam, ens poſſibile non eſſe quidpiam â ſe ipſo, quodamodo, & quaſi fortuitò ortum: item Ens poſſibile non eſſe merum nihilum, etiam dum nondum exiſtit ; cum ſit partus quidam & inventum ſapientiæ divinæ ; cujus cognitio ex verbo conſubſtantiali, tanquam antecedente,

tranſit

transit ad formanda concipiendáque entia possibilia, tanquam consequentia; sicut nos ex medio antecedente, concludimus aliquod consequens; quam tamen similitudinem vides esse summoperè claudicantem: cum Deus non discurrat propriè, & ex necessitate, sed essentiali fœcunditate intellectûs sui, unum cum altero connectat, & sic parturiat ens possibile, tanquam aliquid suum, nondum creatum, sed tamen ideatum.

§. VII.

QUID SIT ENS PER SE EXISTERE.

144. Substantia definitur â Philosopho, *Ens per se existens*: quid autem hic terminus, *per se existens*, significet, non convenit inter omnes. Primò per se existere potest significare idem, quod *essentialiter*, aut per essentiam suam, existere; in qua usurpatione solus Deus esset substantia, qui solus necessariò & essentialiter existit. Sed inquiritur definitio, quæ etiam creatam substantiam, & hanc maximè exprimat. Alii dicunt, illis terminis, *per se existere*, intelligi ens, *quod non intenditur, propter aliud, â quo sit adæquatè distinctum.* Quam descriptionem suggerunt, quia debeat comprehendere etiam formam physicam substantialem, quæ intenditur,

tur, inquiunt, propter compoſitum quoddam, à quo tamen ipſa adæquatè non diſtinguitur.

145. Sed hæc locutio vel definitio valdè deflectit ab Ariſtotele, cujus illa, *per ſe exiſtere* non adducit cauſam finalem. Deinde natura, quæ quidpiam intendit, non eſt alia, quàm mens rerum naturalium & ſubſtantiarum operativa, ſeu effectiva, qualis nec eſt homo, nec Angelus, ſed ſolus DEUS. operatur autem DEUS omnia propter ſe; qui ſibi ſolus principium & finis eſt; & ſunt adæquatè ab ipſo diſtincta, quæ facit: ergò ens nullum creatum eſſet ſubſtantia, quod eſt abſurdum: Deniqúe tota hæc cura in errore fundatur, quo ſupponunt, formam ſubſtantialem eſſe ſubſtantiam, quod Ariſtoteli expreſsè, & evidenti rationi repugnat, juxtà dicta ſuperius *num.* 103. 104. 105.

146. Reſtat proindè, ut terminos Ariſtotelicos in ſenſu planè proprio, miniméque torto, ſumamus; ut *per ſe exiſtere* ſit idem, quod *non per aliud* exiſtere: & immediatè per ſe ipſum terminare influxum potentiæ creatricis; non autem per aliud medians, tanquam ſui vicarium. Ita dum tango parietem, tangitur paries per ſe, in ſe, ſecundùm ſe, directè, ratione ſui; & licet tangatur paries albus, non ideò tangitur per ſe albedo, & ratione ſui, directè & propriè; licet poſſit dici aliquo modo tangi etiam albedo, denominativè, concomitanter, ratio-

ratione ſui ſubjecti, in pariete, per accidens, &c. contrà verò dum videtur paries albus, videtur per ſe, in ſe, immediatè, ſecundùm ſe, ratione ſui, albedo; paries autem non per ſe, ſecundùm ſe, ratione ſui, non immediatè, non in ſe, ſed denominativè, indirectè, impropriè, in alio, ſcilicet in albedine. Ita dum dejicitur paries albus, dejicitur per ſe paries, per accidens, & per aliud, albedo &c.

147. Declaratur in ipſismet accidentibus, qualia ſunt, juxtà omnes, *quæ adſunt aut abſunt, ſalvo ſubjecto*, & de quibus ſupra *num.* 18. *ſeqq.* quæ non exiſtunt per ſe, ſed per ſubjecta ſua, de quibus proinde Ariſtoteles frequenter oſtendit, imò ſupponit, tanquam immediatè evidens, quod non fiant per ſe, ſed ratione ſubjectorum. Unde dicit, *dum lignum fit globoſum, non fit globoſitas, ſed lignum globoſum:* dum homo fit muſicus, *non fit muſica, ſed muſicus.* Dum aurum fit ſcyphus, *non fit forma ſcyphi, ſed aurum fit formatum in ſcyphum:* non generantur aut fiunt formæ iſtæ, ſed reſultant in, & cum, ſubjectis. Quomodo enim poſſet DEUS creare numerum parem, aut imparem, ſine unitatibus? ſervitutem, Jurisdictionem, ſuperioritatem, ſubjectionem, ſine hominibus? præſentiam, abſentiam, durationem, locationem, ſine rebus præſentibus, abſentibus, durantibus, &c.

148. Itaque potentia DEI creativa non exercetur immediatè, & per se, circà accidentia hujusmodi, sed circà substantias & subjecta. Unde nec existunt accidentia per se, sed in, & cum, subjectis; cum non possint aliter existere, quàm quomodo excipiunt in fluxum suæ causæ: sed existunt, sicut causantur, scilicet mediante subjecto, in subjecto, cum subjecto, per subjectum, secundum subjectum, ratione subjecti. Quod igitur secundùm se, & per se, excipit influxum sui effectivum, est substantia, & est *per se existens*. Indè etiam, quia ens est, quod potest existere, eatenus tantùm est ens, quatenus potest existere: accidens non est ens simpliciter; sed ens in alio, ens alterius, ens entis, ens per aliud; Ens secundùm aliud, ens mediante alio, ens indirectè, deniqúe ens abstractim; sive entitas, formalitas entis, modus & modalitas entis, habitudo & qualitas entis, &c.

149. Attendendum quoque est, dici ens, quod est *aptum* existere, non quod actu existit: nam indicatur differentia substantialis & essentialis; cum actualis existentia sit accidens entis, & quinti prædicabilis; differentia verò constitutiva sit qualitas, omni, soli, & semper, conveniens enti; unde siquid asseritur & dicitur accidens, quod posset per se, & non in alio, existere, & ab omni subjecto divinitus & miraculosè absolvi, eo ipso tale non esset accidens: sed esset verum ens, vera substantia, eò quod

essentiæ

essentiæ rerum nec divinitùs mutari, nec essentialis differentia alteri essentiæ communicari possit. Hinc accidentia Eucharistica non sunt entia absoluta ; sed modalia, ut clarissimè in loco ostendemus. Manet proindè, quod termini isti, *ens*, *res*, *substantia*, *subjectum* (si subjectum propositionis sive logicum excipias) & similes, sint æquipollentes, quæ idem significant. *Vide supra* 101. *& seqq. idem. num.* 113.

150. Quia ergo hujusmodi formæ accidentales non sunt entia, ideò de eisdem non prædicantur, quæ de entibus: non potest dici: *Præsentia est præsens*, *figura est figurata*, *Albedo est alba*, *productio est producens*, *existentia est existens*, *curvitas est curva*, *duæ similitudines sunt sibi similes*, *&c.* ut minimè procedamus in infinitum, uti quidam objiciunt: neque enim plus dici de eis potest, quàm sint; nec dici potest, *veritas est vera*, *unitas una*, *bonitas bona*: *&c.* sed dicendum est: *Bonitas est boni*, sive entis ut boni, *veritas est veri*, *præsentia præsentis*, existentia est entis, ut existentis, figura est entis, ut figuratum est &c.

Duæ similitudines possunt esse similes, ut cum datur ratio plurium, ratiorum inæ. si sit a:b ad b:c, ut ac ad bb sit a:b ad b:c, ut aa ad bc

§. VIII.

Quid Rei sit tum Actio Creativa, tum ei opposita existentia Creata?

151 Duo hæc, cum sint essentialiter correlativa, per se invicem explicari necesse habent; nam creatio est actio Dei creantis, existentia passio rei creationem excipientis: De quibus *supra* 82. *per sequentia*. Meminisse autem hîc debes eorum, quæ supra insinuata sunt, *num. præsertim* 63. 64. 86. 93. non omnem formam relativam, vel modum, esse ejusdem generis. Quidam enim sunt quodammodo vacui, otiosi; non perfectivi sui subjecti, nec in perfectione fundati: qualis est relatio inter parietes duos, numerus par & impar, inter unitates: neque enim juvatur paries per hoc, quod sit similis; neque unitates, quod aptæ sint facere numerum parem, sunt ideò meliores. Aliæ contrà modalitates sunt completivæ, subjectorum perfectivæ, actiosæ, naturam facientes, & principia actionum & motuum, qualis est creatio.

152. Etenim creatio est *potentia Dei creativa*, sine dubio DEO naturalis, & ejus perfectio, *determinata* & applicata. Est ergo modus subjecti, ut naturam creandi habentis, sive actus entis potentiâ, ut est in potentia; sive actus DEI, habentis virtutem creandi, prout talem

talem habentis. Determinatur autem illa potentia, ut fiat actio, & exercitium actuale, per liberum DEI decretum : Unde omnia, quæ voluit, fecit. Positâ autem actione creativâ, eo ipso in ente possibili resultat existentia ejus, sive actualis passio, quâ patitur actionem creativam, ut existentia sit modus passivus, modus quietis, receptio motûs ; actuatio sui, quâ pendet â causâ, completur, perficitur, actuatur.

153. Existentia creata non involvit essentialiter, in loco & tempore, subjecti existentiam; & si alias ob causas hoc de facto necesse sit, pro corporibus mundialibus. Nam de facto mundus totus non est in loco; & cur angelus ante mundum corporeum creari non potuisset? cur item non poterat, post primum instans creationis suæ, annihilari? sic caruisset loco, & tempore. Unde dicta existentia non est, nisi actuatio entis possibilis, ejusque completio, perfectio, motio, status proprietatis, & suimet ipsius possessio. Nimirum prius merè possibile obtinebat omnes suas perfectiones essentiales, & necessarias, non tamen erat suum, sed potiùs DEI, in cujus intellectu resplendens solùm deliciabatur, & oblectabat eum, â quo necessariâ cognitione, & consecutione emanârat, & pullulârat ; sic tamen, ut soli DEO proprium remaneret : sed actione creativâ quodammodo prodit â DEO, sibi traditur, quatenus potens fit, sibimet & suo nomine operari,

cognoſci, innoteſcere. Si non intelligis quid iſtis terminis velim, cogita, myſterium hoc planiùs & pleniùs penetrari non poſſe, priusquam Dei, cujus eſt hæc actuatio, coràm intueri dabitur nobis.

154. Porrò creare eſt DEO proprium: cujus eſt Idæas & rerum eſſentias formare; educere formas etiam cauſis creatis convenit. Nimirum ad creandum neceſſe eſt, ut omnes rerum differentias, genericas, ſpecificas, individuantes, pleniſſimè comprehendat, ut creans ſciat, quid creet, & quare non erret, creando unum pro alio, & quomodo unum individuum ab omnibus rerum aliarum generibus, ſpeciebus, & individuis certiſſimè differat. Hoc ſcire non poteſt; niſi qui omnium poſſibilium eſſentias calleat: neque creare liberè, niſi potentia creativa eidem cognitioni perfectione reſpondeat. In eductione alia res eſt; quâ rerum formæ & differentiæ, ſua ſponte, ex materia reſultant: putà ex ligno ſit nonniſi lignea domus, ex terrea maſſa aurum &c. qualis materia jam priùs diſtincta ſupponitur â creatore & diſcriminata fuiſſe. Propterea conſequenter nullus Angelus habet ſui ipſius perfectam idæam, multò minus alterius rei creandæ: cum non poſſit ſcire, in quo ipſe ab omni alia re creabili differat. Facilè tamen Idæam unius corporis habere poteſt, quantum ſaltem ad illud formandum ſufficit, ſufficit autem ſcire, ſe talem ante ſe habere materiam, cujus perfectiones ei præſupponit jam, per

per creationem, inexiſtere; nihil tale ſupponit qui creat ex nihilo, ſed omnia ipſe ponere debet.

155. Numirum artifex, dum facit ſphæram ligneam, lignum quidem ſumit ex ſylvâ, non facit illud: Idæam autem ſphæræ ut habeat, neceſſe eſt, eum ſcire, ſphæram non eſſe corpus efformandum in longum, æquali craſſitie, ut cylindrus; neque in cuſpidem, ut conus; neque ſex ſuperficiebus æqualibus comprehenſam, ut cubus, &c. alioquin ſi iſta neſciat, neſcit etiam, quomodo & quibus inſtrumentis operandum ſit, Ideóque facilè aberrando, non ſphæram faciet; ſed conum, aut aliud corpus, quia ſcil. Idæam ſphæræ non habebit; quam nihilominus ſua ars dictare poteſt; quia ſpecies corporum paucæ ſunt. Qui autem vult creare Angelum Michaelem, habere debet Idæam; comparatam ſimiliter ad Raphaëlem, ad Gabrielem, & ad infinita individua Angelica, ad omnia, quæ non eſt Michael; quæ infinitæ ſunt juxtà dicta. *num.* 131. *& ſeq.* adeóque Idæam habebit Michaëlis, aut nullam, aut ad infinita extenſam.

156. Quia verò idæa eſt conceptus operis faciendi, non Theorema otioſum, conſequenter qui Idæam habet Angeli creandi, habet etiam potentiam creandi, eamque naturalem, quia eſt principium motûs. Unde qui unam habet Idæam, habet omnes, juxtà dicta *num.* 155. conſequentèr qui unam haberet, haberet etiam rerum omnium potentiam creativam.

157. Adeò eminens est & perfecta actio creativa, ut si fingamus Angelum unum tantùm ens creare posse, eo ipso infinitè perfectus videretur hujusmodi creator: nec apparet, quomodo ea actio defendi posset. Nam creatio communiter dicitur esse *rei productio ex nihilo sui, & nihilo sui subjecti.* Quis autem existimat, si DEUS non revelâsset, posse rem confici ex nulla prorsus materia, ex nihilo etiam sui, ex nulla sui parte, sicut planta fit ex semine, vel radice? Quis capiat, quomodo essentiæ rerum habuerint æternum Esse, in divino intellectu, quod intuens DEUS, formarit scientiam simplicis intelligentiæ; & scientiam deinde visionis, contemplando ejus existentiam? quis capiat actionem illam admirandam, quâ incipit res existere in tempore, cum fuerit in æternitate? quis concipiat, quid rei sit existentia; quæ non sit ipsa, per eam tamen sit ens possibile? quomodo res possibilis sit subjectum inhæsionis, vel resultantiæ, in quo resultet existentia, & tamen ex subjecto non sit, tanquam ex materia sui? quis horum omnium fundamentum aliquod & rationem adducat?

158. Quocircà indubitatè pronuncio, fieri non posse ullo modo, ut quodpiam ens, præter Deum creare aliquid possit. Nam primò hoc temerè, & absque ullo fundamento diceretur, juxtà *num. præcedentem.* Deinde ad creandum requiritur infinitudo sapientiæ, potentiæ, Dominij *juxtà num.* 153. *& seq.* quod DEO soli est proprium, *juxta num.* 109. 110. 111. 112.

§. IX.

§. IX.

Quid ſit Ens totaliter exiſtens, ſive ſubſiſtens?

159. Subſtantiam & ſubſiſtentiam veteres non diſcernebant, donec fides Eccleſiam docuit, eſſe diſtincta: ita ut ſubſtantia quidem accidentibus, ſubſiſtentia autem operationibus ſubſtet. Cum itaquè exiſtere ſit propter operari, hoc ipſo, quod creator enti dat exiſtentiam, dat ei etiam potentiam, & ſubſiſtentiam ad poſſe operari: ponendo illud in ſtatu, in quo ſit quaſi ſui compos, & principium ſingulare agendi, juxtà vires ſibi connaturales, tum pro ſe, tum pro bono univerſi. Hujusmodi conceſſio, ex parte Dei, eſt ipſa creatio: ex parte entis creationem excipientis eſt paſſio: Utrumque quoddam exercitium, vel quaſi tale, ſive ſtatus novi collatio & acceptio, & modus ſubjectorum; ut naturam habentium, prout explicare conati ſumus. §. 8. *ânum.* 151. *& ſeq.*

160. Cum igitur ens creatum â Deo, admirabili modo operandi, quaſi manu miſſum, ſuæque libertati, vel juribus operandi, permittatur; nihil poſitivum aliud requiritur ad hoc, ut appelletur ſubſiſtens: cum ipſum hoc ſit ſubſiſtere; poſſidere ſtatum operandi, fulcrum actionum habere, eſſe ſui juris & facultatis, cujus minimè erat in ſtatu poſſibilitatis meræ.

161. Jam verò innotuit ex fide, naturam humanam in Chriſto, exiſtentiam quidem ſuam habere, & ſubſtare accidentibus, ſibi propriis; Attamen ſubſiſtentiâ ſibi propriâ deſtitui, & ideò ſuis operationibus non ſubſtare; Cum hoc munere fungatur perſonalitas divina: quæritur ergo quâ ratione hæc ita ſint? ad quod reſpondeo; perſonalitatem vel hypoſtaſin, & ſubſiſtentiam creatam formaliter in negativo conſiſtere, & tale ens ſubſiſtere, non eſſe, niſi ens nulli alteri eſſe hypoſtaticè mancipatum; nullius juri, quoad ſua exercitia, obſtrictum eſſe; nulli alteri debere ſuas operationes, &c. Itaque ratione ſubjecti quidem ſuppoſitum creatum eſt ſubſtantia exiſtens: ratione formæ autem, eſt negatio dictæ obſtrictionis & obligationis ad aliam perſonam, quodque nulli tali ſuperiori perſonæ ſubjaceat. Quomodo verò negatio hujusmodi explicanda ſit, patet ex *num.* 131. *& ſeq.*

162. Quod verò perſonalitas increata ſita ſit in perfectione poſitiva, naturæ ſuperaddita, obſcurum eſſe non ſinit fides. Si enim non eſſet niſi Deitas, dicens negationem ſubjectionis ad aliam perſonam, ſicut Deitas individuè una eſt, ſic eſſet una tantùm perſona. Deinde perſonalitates divinæ ſunt principia operandi, non ſolùm hypoſtatica, ſed etiam immediata & phyſica. Cum duæ priores perſonæ realiter, phyſicáque virtute, producant tertiam, generando, & ſpirando:

rando: Tertia verò, ineffabili modo, cauſet nexum, vinculum, unionem, quietem' gaudium, earundem perſonarum, tum ſecum, tum inter ipſas: Quæ poſitivam actionem, aut quaſi actionem, ſive exercitium naturale, perſonaléque ſignificant, & ſupponunt: cum actio ſit ipſa virtus, prout ſæpe dictum eſt, maximè *num.* 151. & ideò actio perſonalis diverſa poſitivam virtutem perſonalem diverſam oſtendant.

163. Colligitur inde, quomodo perſona divina poſſit hypoſtaticè aſſumere. Cum enim ejus perſonalitas ſit perfectio & virtus poſitiva, per modum naturæ ſive principii motûs & quietis; Ideò poteſt ſibi naturam creatam unire, eámque ſibi copulare: quæ copulatio eſt modus duplex; activus ex parte perſonæ divinæ, paſſivus ex parte naturæ creatæ exiſtentis, & perſonalis: quia ipſa perſonalitas divina, determinata per liberum decretum, fit actus ſive actio, aut quaſi actio, & exercitium, actuáns atque perſonaliter perficiens; & natura creata fit actuata, & ſic perfecta, prout ferè ſuprà de potentia creativa, & exiſtentia creata diximus, *num.* 151. *&c.*

164. Dum igitur perſona divina humanitatem ſic apprehendit, hoc ipſo aufert ab ea jus, humano nomine operandi, ſed nomine perſonæ divinæ omnes actiones humanæ fiunt; Cum ipſa humanitas jam non ſit ampliùs ſola, nec ſua,

ſua, nec ſibi; ſed aliquid perſonæ divinæ, & ideò non totaliter, ſive ſeorſim, & ſibi exiſtens. Conſequenter non remanet ſubſiſtentia humana, ſicut poſitâ formâ, privationi oppoſitâ, tollitur privatio, ut tenebræ per lumen. Manet autem imò ponitur perſonalitas divina, per dictam unionem; quia poſitivum quid eſt formaliter. Quin imò ideò perit humana ſubſiſtentia quia divina ponitur.

165. Sequitur etiam perſonam divinam non poſſe aliam perſonam hypoſtaticè aſſumere; quia utraque in poſitivo eſt ſita, & neutra alteri privativè opponitur, ut non eſſet ratio, cur una potiùs quàm altera ceſſaret. Contrà etiam ſequitur, nullam creaturam hypoſtaticè aſſumere; quia utraque in negativo conſiſtit, & eſſet foramen foramine claudere. quod autem ſubſiſtentia creata ſit negativa formaliter, ex eo diſcitur, quia alioquin non eſſet ſeparabilis & contigens, quod fides docet. Nam omne prædicatum quinti prædicabilis eſt modale quid, & reſpectivum, non abſolutum, uti patet ex §. 7. *hujus ſect. num. præſertim.* 149. Si ergo eſſet hypoſtaſis humana vel creata quid poſitivum, & abſolutum, eo ipſo non eſſet humanitati contingens, & ſeparabilis ab ea, & perſona divina aſſumendo humanitatem, humanitatis etiam ſubſiſtentiam aſſumeret, quod fidei repugnat.

166.

166. Cum igitur ſubſiſtentia humana formaliter ſit negativa, ſcilicet *modus & relatio negativa ad aliam perſonam, non ſibi unitam*, patet, eam non poſſe perſonaliter aſſumere formicam. e. g. eo ipſo namque quod ſibi homo formicam uniret; etiam ſe uniret formicæ, & ideo neutrobique eſſet negatio unionis: ergo neutrobique ſubſiſtentia; nec formica, nec homo ſubſiſteret: ergo non eſſet unio ſubſiſtentialis, vel perſonalis, quod tamen ſupponitur.

167. Aliunde tamen perſona hypoſtaticè aſſumens debet id facere per poſitivam, & abſolutam virtutem, eique naturalem, quia ipſa unio eſt exercitium, & quædam actio phyſica ac poſitiva, quæ virtutem talem præſupponit. Cum ſit ipſa virtus determinata, *juxta num.* 151. *& plures ibi citatos*, ſicut etiam nuper *num.* 163. & 164. Ergo hoc ipſo, quod poſitiva talis virtus non eſſet, ſed merè reſpectiva ac negativa, jam non poſſet perſonaliter aſſumere.

168. Imo verò hujusmodi potentia aſſumptiva infinitatem ſupponit: quia per finitam hypoſtaſin non poſſet inſtitui, ac peragi ejusmodi naturæ alienæ ſubjectio, quæ ejusdem ſubjectæ actiones debeantur ſubjicienti. Quod dicitur de gutta, conjecta in oceanum, ibi fit tantum unius naturæ novum continuum, non autem hypoſtatica aſſumptio naturæ alterius.

169.

169. Collige, unionem hypoſtaticam in Chriſto non eſſe ſubſtantiam, nego aliquid creativè productum, neque quidlibet abſolutum: ſed eſſe meriſſimum accidens reſpectivum, atque reſultans; & ex parte humanitatis conſiſtere in relatione unionis paſſivæ; ex parte verbi autem, in modo actionali, fundato in virtute Poſitiva, quæ eſt perſonalitas ejus. Hactenus de prædicamento ſubſtantiæ generaliſſimè; nunc de ſpeciebus ejus aliquot univerſalibus.

: (o) :

SECTIO III.

De Ente Corporeo & Incorporeo.

§. I.

De Prædicamentis generatim.

170. ARistoteles non distribuit Ens in Substantiam & accidens, ut vulgaris Philosophia supponit, cum accidens non sit ens, juxtà dicta *num.* 31. 148. & ideo nec posuit decem genera entium, sed benè decem genera prædicatorum entis. Maximè de ente corporeo considerat quatuor: *Quid, quantum, quale sit, & ad quem locum* feratur. Prædicata autem illa subit corpus, secundùm quatuor ipsius mutationes, sive motus, quos definit, *Actus entis in potentia, prout est in potentia.* Ens porrò est in potentia ad quatuor terminos: ad substantiam, ad quantitatem, ad qualitatem, ad locum, motus ad substantiam dicitur *generatio*; ad quantitatem, *augmentatio*, ad qualitatem alteratio; ad locum latio. Juxta quos diversos motus corporis diversas species, affectiones, proprietates, actionésque & accidentia, Philosophus considerat; prout per easdem mutationum vias in diversas species ipsum disponitur, præpara-

paratur, ac traducitur, cujus vestigiis inhæremus.

171. Hinc unum tantùm ens in genere summo ponimus, quod est *Substantia*: Cujus & prædicta quatuor excutimus; quod ad finem nostrum id sufficiat: Maximè cum actio & passio in motibus entis, reliqua in motu locali comprehensa sint. Dividimus ens sive substantiam in corpoream, ac incorpoream. Licebit physico addere nostris Metaphysicis, generationem inviventium, & non viventium: Augmentationem lapidum, metallorum, plantarum; Alterationem corporum durorum, mollium, calidorum, frigidorum adscribere: motus item corporum cœlestium, undè tempus resultat. Locationem elementorum & mixtorum; Unde præter alia diversi situs occurrunt, & similia, secundùm ordinatam dividendi legem apponere.

172. Ex hisce considerantì patet, corpus naturale sive Physicum esse ac dici, cui insunt naturæ, putà principia & causæ motuum, putà generationis, augmentationis, alterationis, locomotionis: eáque partim esse passiva, partim activa, partim determinativa, partim specificativa: cujusmodi sunt causæ efficientes, materiales, formales, finales, constat item per eadem principia oriri effectum. qui sit sensibilis, h. est, qui sit ad usum, utilitatem, & conservationem mundi corporei, ac partium ejus. Unde si existeret aliquod corpus insensibile,

bile, & non constans hujusmodi principiis motuum, ipsum non esset naturale, nec physicum, sed merè metaphysicum, sive quod â Metaphysica solùm considerandum foret. An autem concedi possit ens supernaturale? respondeo, in sensu physico, Deus, & Angeli, defacto sunt supernaturales, quatenus superant totam mundi corporei seriem, & per motus physicos per se & proptiè neque causant, neque causantur.

173. In sensu morali autem ac Theologico, quatenus supernaturale quidpiam appellatur, quod per se connexionem, aut dispositionem quandam habet ad amicitiam cum Deo, statúmque Deiformem; substantia supernaturalis inter impossibilia referenda est. Nam talis substantia, quæ ex prædicabili primo, secundo, tertio aut quarto esset dicto modo supernaturalis, necessariò & essentialiter esset amica Deo, sancta, & impeccabilis quod non solùm finitudini creaturæ repugnat, de quo supra *num.* 11. *& seqq.* sed etiam libertati & Majestati Dei. Quomodo enim creatura connaturaliter, & per essentiam suam prætendat jus ad amicitiam cum Deo; cum tale jus nec homini adversus alium hominem competat? quis me compellat, ut te in amicum assumam? & quis Deum, ut secreta sua creaturæ communicet? Quapropter evidens, est, supernaturalitatem cujusvis entis esse prædicabile contingens, & cuivis substantiæ accidere; ideóque non concedi ens supernaturale, etsi entitatem ac modalitatem supernaturalem, ut diximus *num.* 150. *& aliàs abundè.*

§. II.

Quomodo dividatur Ens Corporeum?

174. Ut horum essentiam discernamus, necesse est utriúsque proprietates & operationes expendere. Cum itaque auctor naturæ voluerit in mundo corporeo identidem succedere & peragi mutationes quaternas, de quibus *num.* 170. quæ fieri nequeunt sine contactu unius ad alterum; voluit entia corporea sese invicem tangere posse, ut unum alterum à se repellat, unum in alterius locum succedat, unum alteri misceatur, &c. Sicut igitur *juxta dicta num.* 136. perfectissimum habet dominium ad rem creandam vel non creandam, nullaque res habet jus exigendi â Deo existentiam, ita liberrimè concedit, vel non concedit illa, quæ existentiam comitantur, aut consequuntur. Potestitaque rei uni dare existentiam, ut simùl vel non simùl existat cum alterâ, ut intra locum alterius vel extra, prout eum causa finalis creandi determinat. Cum proinde corpus existat ad vicissitudines motuum subeundas & procurandas, ideò dedit ei existentiam cum jure excludendi alterum à loco suo: secus facit propter alios fines, uti in Corpore Glorioso & Eucharistico patet.

jus nihil facit in physicis

175. Un-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [142] - 98
PUBLIC DOMAIN

175. Unde corpus est naturaliter impenetrabile, tangibile, & tactivum, impulsivum & impellibile, & sic locabile & loco mobile: Secus est in Angelo, qui non est in mundo tanquam pars integrans mundi, sed potius, ut mundialium corporum præses. Unde non est impenetrabilis nec locabilis, nec loco actualiter mobilis, sed intelligit, liberè vult, loquitur. Est ergò corpus quædam substantia per se tangibilis, & tactiva; Angelus substantia intellectiva, quam libertas & potentia locativa &c. comitatur; quia aliàs intellectionis nulla esset causa finalis, quod creatoris sapientiæ repugnat.

176. Corpus tamen motum localem in altero corpore non causat completè, sed tantùm ut causa determinans. Nimirum conservatio rei non est aliud, quàm repetita creatio: ergo à solo Deo præstari potest, ut dictum est *num.* 153. *& seqq.* qui ad conservandam rem determinatur ab existentiâ rei inchoatâ, & hujus causâ finali, quia etiam indifferens est res, ut conservetur vel in hoc vel in illo loco, determinatur ad locum per corpus tangens & impellens; conservatur in eodem loco quiescens, per contactum corporis tangentis otiosum & quietivum, ut ipsum Deus reproducat ibidem quiescens; ab impellente verò corpore determinatur Deus, ut ipsum reproducat in lineam fluentem juxta proportionem motûs & impulsûs. Immediatè ergo Deus movet corpora reproducendo, creatura autem determinando Deum; & aliter fieri non potest per legem ordi-

nariam ; potest aliter per extraordinarium Dei decretum , juxta extraordinariam causam finalem determinari. Ex quibus patet, gubernationem mundi corporei & rerum actiones mutativas à Deo profluere potissimùm , cùm omnes motus prædicamentales à mutatione locali incipiant.

177. Operationes Angelicæ sic fiunt : Ad intelligendum determinatur inprimis à Deo, vel modo locutorio, vel prophetico, vel aliter ; est autem locutio actio loquentis, quâ indicatur audienti alicujus objecti veritas ; & simul indicatur, locutionem eam audientis procedere à loquente, liberè sic volente. Dum igitur Deus Angelo imprimit aliquam veritatem , & eum determinat ad veritatis alicujus notitiam præcisè, hæc non est locutio , sed dicitur locutionis infusio ; uti dum operariis Turris Babylonis infundebat alias linguas : dum autem simul audienti imprimit loquens , se ista indicare , & suum hoc judicium aperire , locutio erit.

178. Præterea determinatur Angelus ab objectis ipsis intra certam sphæram præsentibus, ad cognitionem apprehensivam ; quæ tamen ulterius determinat ad judicium aliquod ; quod saltem est hoc : quo Angelus sibi & secum implicitè & tenuiter dicit : *Ego intelligo hoc.* Requiritur certa distantia : alioquin damnati Angeli in inferno viderent illa , quæ fiunt in cœlo ; & scriptura testatur , Angelos transire ad loca, quæ volunt explorare ; uti Sathan apud Job & alibi.

alibi. sic ergò objecta illa influunt determinativè ad cogitationes Angelicas.

179. Habito hoc judicio: *Ego intelligo hoc*: potest voluntas angelica intellectum suum ulterius movere determinativè ad continuandum hoc ipsum judicium, vel attendendum: item ad discursum instituendum reperiendo media; sine mediis enim novis nunquam potest à voluntate moveri ad novum discursum: ergo per media, tantùm opinativa, nunquam potest applicari intellectus ad judicium scientiale; quia discursus est judicium cognoscitivum unius ex alio, sive ex medio: ergo medium, quamdiu non est aliud, impossibile est, esse cogitationem aliam discursivam; alioquin esset actus sine potentiâ determinatâ, quod repugnat dictis *num.* 63. 64. 86. 93.

180. Insuper determinatur Angelus locutione, loquitur autem Angelus angelo, per directionem conceptuum, ut communiter dicitur, vel volendo, ut audiens sciat objectum, posita enim tali volitione, Deus intellectum audientis ad hoc intelligendum determinat, determinatus ipse per causam finalem, quæ est, ut sit in communitate angelicâ societas & communicatio. Unde damnati cum Beatis, & hi cum illis, in inferno existentibus, ordinariè loqui non possunt. Possunt custodes hominum hîc commorantes, cum illis, qui in cœlo Deo assistunt; cùm nihil obstet, quo minus id possint.

181. Sic etiam loqui nos possumus & soleG 3 nus,

mus, cum Angelis, & reliquis Sanctis in cœlo existentibus; uti dum dicimus: *S. Maria ora pro nobis*: Non sic loqui possumus cum damnatis, cùm à communione Ecclesiæ excluſi sint; nec illi nobiscum. Possunt tamen angeli damnati, & Beati, certas cogitationes nobis immittere, phantasiam movendo, à cujus operatione intellectus humanus determinatur: Sed hæc locutio non est, juxta dicta *num.* 177. Loquuntur autem Angeli nobiscum, dum apparent, per signa & voces, quas formant, crispando aërem. Cæterùm per directionem conceptuum nos quidem Beatis loquimur, non autem illi sic nobis; quia hoc requirit egestas nostra, quâ ipsorum ope indigemus: alterum prohibet ipsorum excellentia, ne talem familiaritatem nobiscum exerceant, tot quotidiè peccatis involutis, & in periculo damnationis adhuc versantibus.

182. Anima rationalis, quomodo ab Angelo differat, non est difficile explicare, dicitur enim substantia *inadæquata*, non benè simpliciter: benè tamen, si addatur *substantia humana*, sine dubio enim anima non est tota substantia humana, sed eam constituit tanquam forma, simpliciter tamen animæ nihil deest, ad hoc, ut sit *vera substantia*; cùm sit *ens per se existens*, & terminans actionem creativam, de quo supra. *num.* 144. *& seqq.* seorsim ergo existens subsistit ut substantia, sed non ut forma. Indirectè hic nota errorem quorundam dicentium: per animam constitui, non tantum hominem, sed etiam corpus

pus humanum ; cùm anima jam ſupponat corpus humanum, jam perfectum per formam corporis reſultantem ex pluribus partialibus ; quæ forma poſt diſceſſum animæ remanet, & cadaverica dicitur ; antea verò, ubi perfecta fuerit, determinat Deum ad animam creandam, ne opus humanum ſuâ causâ finali careat.

183. Anima ergo, cum ſit forma corporis, inſtructa eſt aliquâ potentiâ eſſentiali & ſpecificâ, quâ differt ab Angelo, quæ per exiſtentiam ejus in corpore determinatur & actuatur, ut fiat actualis unio, quæ eſt quædam actio vel actus, quem patitur & exigit corpus, prout ſupra *num.* 64. cujus etiam unionis, & ſubſiſtentiæ humanæ titulo, ſenſatio hominis determinat intellectum animæ, ad apprehenſionem intellectualem : intellectio autem viciſſim determinat ſenſum ad ſenſationem ; licet intellectio, etiam independenter à ſenſu & phantaſmate, ſed à Deo ſolo imprimi poſſit.

184. Objecta ſenſuum ergo determinant ad ſenſationem ; juxta illud : *objecta movent potentias*, ſenſatio externa, ad internam producta, determinat ad apprehenſionem, quam comitatur ſaltem illud judicium : *ego hoc intelligo*, juxta dicta *num.* 179. Potentia deinde voluntatis libera ulterius determinat intellectum vel ad continuandam intellectionem, vel ad eam intendendam majore applicatione, vel ad diſcurſum, media indagando. Non habet autem anima potentiam diſcurrendi, ſine motivo reperto, nec ad actum

novumque discursum, sine novo motivo; quia ubi non est potentia simpliciter, ibi non est potentia sub modo, qui modus adhæreat potentiæ, non potest proinde voluntas determinare ad perfectum judicium, quando motiva sunt tantum ad suspicionem sufficientia: quia implicat posse determinare ad actum, cujus nulla potentia est in subjecto, ut sit potentia determinata, ubi non est potentia, ut dictum est *num.* 179.

185. Collige hic etiam obiter, quia actus vitalis est *exercitium subjecti, ut potentiam* & naturam *vitæ habentis*, sive est potentia determinata naturalis; sicut implicat, potentiam & naturam separari à subjecto, & seorsim creativè existere, sic implicat, intellectionem seorsim à subjecto existere, & poni posse in lapide, aut creari; sicut vulgus, absque omni vestigio scripturæ, testimonio Patrum, & rationis judicio, ineptè supponit: sed est essentialiter immanens, quomodo potentia determinata possit esse extra subjectum, extra quod non potest esse potentia? cùm tamen actus, vel actio, non sit aliud, quàm *potentia determinata*, ut sæpe dictum est, præsertim *num.* 67. *& seqq. item* 86, 93. 153.

186. Non debeo te hîc lector dimittere, nisi exponam, quid sit actio libera. Dico ergo: *actio illa omnis*, & sola, & semper, *est libera, ad quam, voluntas seipsa determinat*: & *necessaria est* omnis illa, sola, & semper, *ad quam non ipsum agens*, vel ipsa potentia agentis *sese* hic facit determinat spontaneam deter-

determinat ; ſed aliunde determinatur. Quod autem voluntas ut libera, ſit potentia determinativa ſui ipſius, ita ut determinatione ſuimet fiat ſibi & actio ſua & paſſio, non ſolùm ipsâ phraſi quotidianâ fatentur omnes & ſcripto, & voce ; prout nihil frequentiùs auditur, quàm poſſe, velle, debere, hominem ſeſe determinare in certis caſibus, ſed etiam S. Thomas expreſsè p. 1. q. 19. A. 3. ad 5. docet, dicens : *voluntas ſe ipſam movet.* Nimirum hæc eſt virtus, & potentia poteſtativa ac dominativa, quam in voluntate, cognitione indifferente inſtructâ, omnes agnoſcunt.

187. Demonſtratur itaque propoſitio non ſolùm ex naturali quadam confeſſione, quam ipſa recta ratio, & experientia extorquet, ſed etiam ex eo, quod afferri non poſſit caſus in oppoſitum. Hinc ſolius voluntatis actus poſſunt eſſe immediatè & formaliter liberi ; cujus ſolius eſt illa potentia poteſtativa. Unde etiam ipſa voluntas, dum caret cognitione indifferente, hoc eſt, dum cognoſcit objectum vel ſolùm ut bonum, vel ſolùm ut malum, non agit liberè, ſed neceſſariò : quia tunc non movetur à ſe ipsâ, ſed à cognitione, ſolùm unam in partem, trahente. Ac propterea actus primo primi neceſſarii ſunt, quia indeliberati ; affectus boni vel mali, ab Angelis immiſſi, neceſſarii ; inclinationes in res pias à Deo impreſſæ, quas gratias prævenientes vocant, neceſſariæ ſunt, non liberæ ; & dicuntur fieri in nobis ſine nobis, ſubintellige, liberè

agentibus. Hinc in Deo ipso processiones ad intra necessariæ sunt, quia ad eas essentia determinat: creatio ad extra est libera, quia ad eam voluntas divina se ipsam determinat, &c.

188. Intelligendi sumus tamen de determinatione, ad actionem voluntatis, immediatè; nam si mediatè & remotè tantùm determinetur voluntatis actio, ita ut ipsa volitio nihilominus immediatè pendeat à determinatione ipsius voluntatis, libera erit. Hinc si Deus, dirigente scientiâ mediâ, prævideat, certo in casu, tempore, loco, & auxilio à se oblato, voluntatem creatam se determinaturam ad obsequendum & cooperandum, dum decernit tale auxilium, & talem circumstantiarum concursum, dicitur rectè eandem voluntatem prædestinare ad cooperationem illam liberam adhuc, quia se ipsam determinat. Nec malè, eo sensu, dicitur eam prædeterminare, vel actum liberum præfinire, quatenus præviè discernit, & disponit ea, ex quibus prævidet, eventuram volitionem liberam. Et equidem persuasissimus sum, haud aliam fuisse mentem in principio eorum, qui prædeterminationem docuerunt, quos paulatim Successores præposterè intellexerunt. Hoc enim præpositio *Præ*, evidenter ostendit, quâ non dicunt, voluntatem determinari immediatè, sed prædeterminari. Ecce ingens operæ pretium doctrinæ nostræ, quâ tot scandalosa & turbativa principia, uno velut verbo absolvimus,

&

& in optatiſſimam concordiam ; ſummâ cum luce, reducimus ; ſed hæc obiter.

189. Si dicas : Idem ſecundùm idem nequit eſſe determinans & determinatum, agens & patiens, prius & poſterius : ergo per eandem virtutem & potentiam non poteſt ſuppoſitum movere ſe ipſum ; nam *quidquid movetur, ab alio movetur*. R. hoc axioma, *quidquid movetur &c.* Ariſtoteles intelligit de motibus prædicamentalibus corporum, de quibus ſupra *num.* 170. *& ſeqq.* Dein, omnes agnoſcunt voluntatem moveri à ſe ipsâ, adeoque ab omnibus ſolutionem exigere poſſum. Præterea ſi in potentiâ ſui poteſtativâ homo ſit ſpecialiter Deo ſimilis, mirum videri non debet, ſi quid ibi propè ineffabile occurrat, denique ſi ſenſus ſit de materiali, quod ſecundum idem ſubjectum non poſſit agere & pati, per aliquam formam eandem, falſum eſt ; alioquin nullum daretur ſubjectum, immanenter activum : ſic per ambulationem idem movetur & movet. Si autem ſenſus ſit de formali, quaſi ipſa potentia determinativa ſubjecti volitivi fiat determinans & determinata, agens & patiens, &c. negandum eſt ſupoſitum, quod ipſa potentia fiat determinans & determinata, agens & patiens, & ſicut ambulatio non eſt ambulans, albedo non eſt alba. juxta dicta *num.* 146. *& maximè* 150. Sicut ergo corpus movetur ab alio corpore per contactum, ita volens per potentiam iſtam, tanquam per quendam relationis terminum, movetur in ſe, & à ſe.

§. III.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [151] - 107
PUBLIC DOMAIN

§. III.

Ulterius comparatur Substantia spiritualis cum corporea.

190. Satis perspeximus, Spiritum à corpore spectabilissimè differre per potentias, & actus mentis: Quæritur tamen ulterius, an sicut corpus per se impenetrabiliter existens, & extensè, ut sit tangibile & tactivum impulsivumque alterius, tamen præternaturaliter potest penetrabiliter & inextensè existere, ut in Eucharistia patet; ita spiritus præternaturaliter possit se facere impenetrabilem, extensum, tangibilem, & tactivum? Quod eum facere posse, videtur ex eo consequi, quod possit non tantùm se & alium spiritum, sed etiam corpus loco movere, quod absque contactu & impulsu videtur non posse.

191. Ad extensionem quidem quod attinet, non est Ens, sed entitas solùm & modalitas entis, quam proinde sine substantiâ seorsim existere implicat. Nec fingas extensionem immensam, cui DEUS commensus quasi sit, nam illa gratis concessâ, cum foret perfectio quædam DEI, potius esset in DEO, quàm DEUS in ipsâ; sicut sapientia & potentia sunt in DEO, non DEUS in ipsis. Deinde illud ipsum est, quod quæritur: an aliqua extensio spiritualis in spiritu admittenda sit, cùm de corporeâ tantùm nobis

nobis constet: quæ consistit in eo, quod partes corporis sese excludant mutuò, & totum corpus in longum, latum, & profundum extendant; unde spatium locale resultat, quo corpus unum suâ superficie, attactivè continet, & continetur ab aliâ; cujusmodi spatium patet, non posse congruere spiritui, & alterius experientiam habemus nullam.

192. Cùm ergo affirmanti incumbat probatio, si quis tale spirituale & angelicum spatium adstruit, ipsius est tale ostendere. Præterea hujusmodi extensio, quâ spiritus extensus esset, utique esset prædicabile spiritûs, & de spiritu. vel ergo esset genericum, vel specificum, vel proprium, vel accidens. Non potest esse genericum, quia sic univocè conveniret cum extensione corporis, quod resultat ex partibus, & per contactum superficierum, ut dictum è *numero præcedente*; spiritus autem partium expers, & tangibilis non est: Non specificum, quia perfectio specificè constitutiva spiritûs, est vita intellectualis, *juxta num.* 190. Non etiam proprium aut contingens esse potest: quia proprietas, & accidens, sunt quidam effectus differentiæ specificæ, habentque cum eâ aliqualem similitudinem, congruentiam, connexionem, proportionem; sicut admirativitas est modus quidam, congruens intellectui humano, non bruto; mensurabilitas est consequens extensionem corpoream, in longum, latum & profundum. Sanitas est accidens animalis, non Angeli;

geli; ramoſitas, proceritas, &c. accidunt plantæ, vel arbori, non lapidi, pinguedo & ſuccoſitas eſt vegetantium, non arenæ &c. quænam autem quæſo eſt connexio & ſimilitudo inter extenſionem & vitam intellectivam? quis dicat aut concipiat cognitionem ſpatioſam, longam, latam?

193. Ex his evidenter patet, planè non congruere ſpiritum ſecundùm eſſentiam ejus extendi localiter, menſurari, tangi; ſed an non propter ſpecialem finem poſſint hæc ei interdum tribui, ſicut corpori penetrari, & non extendi? R. Paritatem non eſſe: nam potentia & actus ita ſe habent, ut illud ſit eſſentiæ, iſtud exiſtentiæ: ſicut ergo eſſentia eſt immutabilis, ita potentia. & ſicut exiſtentia creata contingens, ita & actus, unde poteſt actus ſuſpendi, cujus potentia manet. Nempè actus eſt *potentia determinata*, poteſt ergo utique potentia eſſe indeterminata, ſed determinatio non poteſt eſſe ſine potentia. Sicut ergo fieri poteſt, ut intellectio ſpiritûs ceſſet, etſi intellectivus maneat, ita actualis aliqua extenſio, tactio, locatio corporis, poteſt ceſſare, etſi potentia ſe extendendi, locandi, tangendi, non auferatur, & ſicut impoſſibile eſt, corpus ut ſic actu intelligere, cùm potentiâ intelligendi ſit deſtitutum, ita ſpiritum actu extendi, locari, tangi, impoſſibile eſt, ſi illam potentiam non habeat; ſicut non habere oſtenſum eſt, ſaltem eam, quæ ex partibus reſultat.

194. Ne-

194. Neque causa finalis esse potest, cur Angelus sibi aut alteri, quem vult movere, impetum imprimat: nam impetus ille est impossibilis; quia nec uti forma modalis subsistit, ut hactenus ostensum est, nec ut forma absoluta, quas universim evertimus *num.* 146. 148. 149. cum itaque fieri non possit, ut angelus motum localem immediatè perficiat, *juxta num.* 176. sed solùm determinativè: quemadmodum corpus alterum movet per contactum, & impetum, determinando DEUM, ut ibi dictum est; ita angelus movet se, alium angelum, & corpus, liberè volendo, juxta modos & jura physica, sibi ab auctore naturæ præscripta. Nempe sicuti corpori hoc congruit, ut fiat per potentiam ipsi specificam, quæ est extendi, locari, tangi; ita congruit spiritui, ut fiat similiter per potentiam sibi specificam, quæ est intelligendi & volendi.

195. Animam rationalem in corpore suo, præterire sicco planè pede, non debeo: hæc enim penetrat corpus suum, non tangit illud, nec continetur in eo, tanquam in loco. unde nec potest illud impellere ad motum, ut simplices vanè supponunt. Neque ergo movere se potest ad exeundum extra corpus, ad quod per unionem physicam determinata est *juxta num.* 183. neque corpori suo impetum imprimere ad motum; alioquin enim illud attollere posset, & homo volare in altum ad sydera: cui nervi manuum secti sunt, aut obstructi, uti in apo-

plecti-

plecticis, posset nihilominus adhuc ea membra movere, cùm restat in eis anima: & ita posset anima ex corpore suo amovere noxios humores, tollere obstructiones, & innumera talia facere, per quæ homo sanitatem amissam repararet, & in æternum conservaret, nihilominus experimur, motum aliquem corporis, & hominis, ab animâ pendere.

196. Hinc medici distinguunt motus corporeos hominis in voluntarios, & spontaneos seu naturales: voluntarij sunt organorum, quibus perficiuntur ambulatio, statio, sumptio alimenti, & quicunque serviunt ad actiones artificum, opificum, cantio, locutio &c. Nimirum titulo unionis animæ ad corpus, *juxta num.* 183. sicut sensatio determinat animam ad intelligendum & vicissim, ita volitio libera determinat potentias locomotivas prædictas. nam ad actum volitionis moventur principia nervorum in cerebro sita, motu quodam tenuissimo & modico, qui tamen per nervos, undique exinde ad membra corporis tendentes, spiritibus animalibus instructos, propagatur ad musculos, in quibus, arte quadam mechanicâ instructis & animatis augescit, & vehemens evadit, atque inde per sensationes ad organa executiva propagatur; unde consequitur progressio pedum, agitatio manuum, apertio oris &c. unde si organa sint destructa, nervi musculique luxati, quantumque velit anima, non sequitur motus; quod ita non esset, si anima immediatè per se eos

Spontanei motus pendent ab appetitiva sensibilitate animæ, ut voluntarij a sensibilitate

eos motus exerceret: quia autem exercet solùm determinando organa, & potentias organicas motrices, evidens est, ubi cessant potentiæ, non posse esse determinationem potentiarum ad actum.

197. Sunt tamen etiam in homine motiones *spontaneæ*, *merè physicæ*, & *naturales*, à voluntate animæ, nequidem determinativè, pendentes: cujusmodi sunt vegetationum & sensationum, organis applicatis: uti motus cordis, systole & diastole; pulmonum, & diaphragmatis, ad respirationem, tussim, sternutationem; stomachi, & intestinorum peristalticus, ad propellendum chylum &c. Ad cujusmodi motus, potentiæ organicæ determinantur ab humoribus corporis, aut spiritibus, aut objectis sensuum. sensationes externæ determinant, ope nervorum, ad sensationem internam, in cerebro, eô fere modô, quô tractio funis, infra peracta, excitat sonum campanæ in turri: sensationes quoque internæ movent potentias appetitivas; appetentiæ verò, ad volitiones indeliberatas animæ: quæ omnia fiunt animâ minimè concurrente, quin & nolente, de quo Paulus: *video*, inquit, *aliam legem in membris meis &c.* attamen etiam his motionibus & actibus anima saltem indirectè imperat, & præest; quatenus per motus voluntarios imperat sumtionem cibi, medicinæ &c. aversionem vel applicationem organorum &c. unde vegetativa & sensitiva dicitur,

& principium naturale actionum hujusmodi in homine, cujus est forma.

198. Collige prædicata generica, in quibus corpus cum spiritu convenit, esse unitatem, veritatem, bonitatem, potentiam existendi, subsistendi, & si quæ similia sunt. Specificum autem & differentiale prædicatum spiritûs ùt sic, esse potentiam intelligendi & volendi; proprietatem esse specialem, inextensè existendi, & operandi motum; accidentia, esse ipsas actuales operationes, & in creatis, habitus supernaturales & naturales: corpori autem specificè convenire, extendi in spatium; proprium ei esse, moveri & movere localiter, & per contactum: accidere actuales operationes ejus, passiones, præsentias, &c.

199. Hinc ubi corpus non est, nullum est spatium: nulla extensio erat ante mundum corporeum, nulla est extra eum; nullum est vacuum possibile, quod esset spatium corpore vacuum. Unde in nihilum abeunt quæstiones illæ: *An DEUS sit in spatio imaginario? an sit motus in vacuo?* & similes; quia sunt de subjecto non supponente. Spatium imaginarium est chimæra. extra mundum nullus est locus, nullum *ubi*, nihil *extra*, nihil *supra*: nullum, quod significetur adverbiis loci. DEUS non est in loco, sed in se, sicut à se; sed nec angelus, nec mundus ipse, in loco est. Immensus tamen est DEUS, quatenus mundus corporeus in infinitum extendi potest, & tamen semper ei DEUS aderit, etsi minimè coëxtensus; sicut nec ani-


ma

ma suo corpori coëxtenditur, quia non est extensa; nec Angelus coëxtenditur corporibus, etsi de corpore in corpus transeat, alteri adsit, & ab altero absit. Hæc & similia ideò concipimus, tanquam extensa, quia intelligimus dependenter à sensibus; qui corporei cum sint, non nisi modis extensivis operantur; sicut spiritum concipimus, per modum lucis extensum & figuratum &c. ideo hujusmodi conceptus per judicia virtualiter correctiva emendare & quasi depurare solemus & debemus, ut ostendi in *via veritatis* in principio.

§. IV.

De Prædicamento Quantitatis.

200. Loquemur de quantitate permanente, reliquas Euclidi relinquimus. Hæc est ipsa moles corporis, sivè extensio in *longum*, *latum* & *profundum*; de qua jam diximus, esse ipsam essentiam corporis, si potentiam attendamus: actualem verò extensionem *magnam*, *parvam*, accidere manifestum est. Non tamen est accidens *absolutum* (quod, mirum est, quosdam asserere) sed *modale* solummodo; cùm ex dictis constet, impossibile esse, existere extensionem, sine subjecto extenso; videlicet, si addideris ad substantiam aquæ, lapidis, animalis, augmentabitur & fiet major; si detraxeris fiet minor: nihil hîc *absolutum* est, quod sit quantitas, à substantia distinctum.



201. Quærendum hîc ſolummodo reſtat, poſſitne eſſe aliquod corpus infinitè magnum, vel infinitè parvum; ùt punctum? quod non poſſe eſſe, hoc phænomeno declaro. Eſto pertica. A. B. ſurſum ac deorſum mota, circa centrum C. Dum movetur punctum B. in F. movebitur punctum A. in D. Quia vero linea A. B. eſt finita, & terminata in B. poterit ei addi unus palmus B. E. Moveatur rurſum A. B. æquali tempore deſcribet lineam E. H. parallelam ipſi B. F. ſed longiorem, & velociore motu; & D. A. fiet brevior, & tardiore motu. Addatur deinceps quot diebus ad lineam A. B. verſùs B. unus palmus: rurſum æquali tempore deſcribetur ibi linea longior, & motu velociore, ſed D. A. fiet brevior. Quia ergo A. B. nunquam eſt lon-

longiſſima, ſed ſemper finita, poterit tota æternitate addi unus palmus, & fiet ſemper linea motûs versùs B. longior, & velociore motu; & versùs A. linea D. A. brevior, tardioreque motu: atque ita versùs B. fiet linea ſemper longior & longior; motusque velocior & velocior, nunquam velociſſimus; & versùs A. linea brevior, & motus tardior ac tardior, nunquam tardiſſimus. Nunquam ergo erit motus, velociſſimus, aut tardiſſimus: ſed creſcere & decreſcere poterunt ſemper. Nunquam ergo erit linea infinitè magna, aut infinitè parva; nec motus infinitè velox, aut infinitè tardus: ergo nullum ſpatium vel extenſio eſt maxima, nulla minima vel infinita: nullum tempus maximum, nec minimum, nulla magnitudo maxima aut minima, vel infinita.

202. Dices; hæc ita eſſe, ſi ſucceſſivè additio fiat, poſſe tamen inſtantaneè, ſimul & ſemel, poni lineam maximam & infinitam. Sed ſi ita eſt; poterit etiam linea poni perpendicularis ad A. B. infinita, & fieri *ſuperficies* infinita; poterit & poni linea, perpendicularis ad dictam ſuperficiem, infinita; & fieri *cubus*, conſequenter infinitus: ſed hic, ſi infinitus eſſet, nullibi terminatus eſſet; ergo ſex faciebus non terminaretur: ergo nec eſſet *cubus*; & tamen ſupponitur eſſe. Idem eſt de cujuscumque ſpeciei magnitudine: ergo, implicat magnitudo infinita.

203. Quæritur de compoſitione partis ad partem, illa, ex qua omnis continui magnitudo, & extenſio, juxta dicta, reſultat; an ea fiat per partes in infinitum diviſibiles, an verò per partes indiviſibiles? Non intelligitur quæſtio de partibus extenſionis, ſive de partibus, ùt extenſis: quia has ſemper eſſe diviſibiles, patet ex dictis *num.* 201. & ſic Ariſtotelem intelligimus, dum dixit, *continuum ſemper eſſe diviſibile*; ſed intelligitur de partibus, ùt componentibus. Non etiam intelligitur de continuo, *quatenus* & *quod* eſt corpus mixtum ac naturale: quia quod mixtum eſt ex pluribus, haud dubiè in plura eſt diviſibile; ita ut eo ipſo ceſſet eſſe mixtum, quod ceſſat eſſe diviſibile. Sed quæſtio intelligenda eſt de ipſa ſaltem materiâ; an hæc ſaltem tandem comperiatur, dividendo, conſtare ex indiviſibilibus componentibus.

204. Etiamſi porro continuum, ratione materiæ primæ, conſtaret ex partibus, in infinitum diviſibilibus; patet, inde non reſultare magnitudinem infinitam; quia partes æquè magnitudine decreſcerent, ſicut multitudine creſcunt: ſecus autem eſt de multitudine, cui non obſtat minoritas. Unde, ſi continuum dividi poteſt in minores & minores ſine fine partes; cùm omnes & ſingulas actu contineat, in quas dividi poteſt, contineat neceſſe eſt & actu infinitas. Quod verò dicant alij; continuum non componi ex partibus actu, ſed potentiâ ſolùm; fieriq ue partes actu, ipsâ diviſione reali,

aut

aut designatione saltem mentali, miror, eos æquivocationem non cernere, quâ laborant. Nam *eatenus quodpiam sit actu, quatenus est in potentiâ ad actum*. Partes autem continuatæ, sunt quidem *in potentia ad separationem*, sive re ipsâ, sive designatione faciendam: non autem sunt *in potentiâ ad essendum*, vel *existendum*: sunt *designabiles*, sed non tunc modò *creabiles*, & *factibiles*. Quid designas, nisi quod est? Quare amphoram vini potes separare in duas dimidias, nisi quia duas dimidias continet? sed sicut se habet tota ad duas dimidias, ita dimidia rursus ad suam dimidiam; ita quarta ad suam; & sic in infinitum.

205. Quæso te, quid est continuum, nisi *totum, cujus partes communi termino copulantur?* si ergo continuum actu non habet partes, actu non est totum. Ergo, nec actu continuum: *Totum* quidquid est, habet *partes*; & quatenus non habet, eatenus non est totum. Nimirum *totum* est *omne*, *solum* & *semper*, *quod componitur ex partibus*; *pars omnis* & *sola* est, *quæ componit totum*; aut da exceptionem. Ergo sicut omne, solum, & semper est homo, quod est animal rationale; ita omne, solum, & semper est totum, quod constat partibus; ergo, si quid non constat partibus, nisi potentiâ, illud non est totum actu, sed potentiâ. ergo, qui habet in scypho mensuram vini, cui nec gutta desit, non habet tamen mensuram actu totam, sed solum potentiâ. Quid est continuum, nisi quod continuatur; per partes utique? quid continuant,

nuans, nisi quod continuat alterum? Accedit, quod auctores isti communiter concipiunt spatium, tanquam quodpiam prius corpore, quod est in spatio (malè quidem, quia diximus spatium esse essentiam ipsam corporis) per ipsum spatium sic conceptum partes omnes ac singulæ sunt actu designatæ, per totidem partes spatij: nullâ ergo ratione effugere possunt multitudinem actu infinitam partium, si continuum in partes infinitè dividi potest.

206. Quamobrem cum nequeat concipi continuum, quod non sit totum (esset enim continuum, & non esset) necessariò dicendum est; constare continuum ex partibus componentibus finitis, quæ denique in plures alias componentes dividi nequeant. Nec est, quòd aliqui hujusmodi partes tantô odiô persequantur; dummodo ratione, non impetu phantasticô, duci se velle decernant. Non enim sunt puncta *inextensa*, qualia Zenoni adscribunt; sed quæ essentialiter non tam spatium occupant, quàm secum adferunt; cum corporea sint, ut dictum est *num.* 198. 199. & pro prædicato differentiali habeant, extendi posse; ratione cujus extensionis, indivisibiliter terminentur, & incipiant; possintque secundùm ejusdem extensionis modum, in modos magnitudinis, parvitatis, &c. in infinitum variari; ut est ostensum, *num.* 201.

207. Quamobrem vehementer à vero aberrant, dum dicunt; nos tribuere minimo physico,

sico, quod spiritui proprium est, spiritui enim proprium esse, existere spatiosè vel extensè, & in loco, Negat D. Thomas; & adversarii contra eum, nullo adhuc argumento probârunt; nos autem ostendimus, prædicatum eidem essentiale & specificum esse, *potentiam intelligendi & volendi: & potentiam extendendi se, spacioséque existere, & existendo locum facere*, proprium & essentiale corpori *num.* 175. 190. 191. 192. 193. 194. 198. 199. videsne inanem esse metum, quô angeris, ne spiritum cum corpore confundamus; & ideò absque ratione te puncta nostra odisse?

208. Punctum porro, quod sic adstruimus, est pars continui, non ipsum continuum; est principium corporis, non ipsum corpus; *physicum* saltem, etsi corpus *metaphysicum* (secundùm se, vel substantiam corpoream, cujus consideratio ad metaphysicam spectet) dici nihil vetet. Eô ipso verò, quòd corpus est, extensum est; tangitque corpora, supra, infra, ad latera. Quis ista capiat, inquis. Quomodo tu eadem capis in spiritu? tuo nos ore judica: non enim error in eo est, quod dicas, ens quodpiam posse esse totum in toto loco, & totum in partibus: sed error in eo est, quod id affirmes de spiritu, qui extensus esse non potest; item in eo, quod supponas, esse locum & spatium, antequam ibi corpus sit; locus enim est superficies corporis, complectentis aliud corpus, intra se, & intra spatium suum, suâ superficie

terminatum : ſpatium verò vel extenſio, potiùs eſt in corpore, quàm corpus in ſpatio; cùm extenſio, ſit perfectio corporis, ſicut intellectivitas, Angeli.

209. Poteſne capere, quomodo æternitas Dei ſit unum indiviſibile inſtans, ſucceſſionis expers omnino, etſi omni tempori ſucceſſivo coëxiſtat? ſic cape, Deum eſſe immenſum, quatenus omni poſſibili extenſo coëxiſtit, ipſe tamen inextenſus in ſe, & indiviſibiliter ubique totus: ſic cape, exiſtere Angelum, & coëxiſtere animam cuivis parti corporis, ſemper totam, etſi contingat puncta diverſa, ſupra, infra, dextrorſum, ſiniſtrorſum. Saltem in eo eſt paritas, quod tu dicas, Deum & ſpiritum creatum coëxtenſum coëxiſtere pluribus corporibus diſtantibus, ubique indiviſibilem & totum; nos autem extenſionem quidem ſpiritûs negamus, ſed eam noſtro corpuſculo tribuimus; quod ſaltem capere debebis, & poteris, ex tuo ſuppoſito.

210. Nec mirari potes, hæc ita eſſe; dummodo, quid ſit extenſio, apprehendas. Etſi enim punctum phyſicum, quod phyſicè componit corpus continuum, in plura phyſica puncta non poſſit dividi; ipſa tamen ejus extenſio, per ſe ipſam quodamodo extenditur in puncta mathematica: hoc eſt; talis eſt forma & modalitas, cujus initium & finis ſemper eſt indiviſibilis; & eſt ipſa procurſio ab indiviſibili ad indiviſibile. Nempe, *linea*, quid eſt, niſi percurſio puncti ad punctum? quid *ſuperficies*, niſi magnitudo cœpta à linea

à linea, & terminata per lineam? quid *corpus*, nisi extensio à superficie in superficiem ducta-; ergo nulla extensio esset, nisi supra haberet simul & infra; quod tu, in spiritu, debes fateri, & in æternitate, per ipsam simultatem, habente antè & pòst.

211. Hinc à quovis puncto Mathematico lineæ, potest linea incipere & desinere, vel designari; & à quavis lineâ, superficies; & à quavis superficie corpus. Hinc globus tangit planum in puncto Mathematico: hinc angulus contingentiæ, contentus inter lineam rectam & circularem, est omni rectilineo minor: hinc omnia asserta Mathematica & Euclidêa consistunt veritate suâ; hinc argumenta, quorum plurima in *viâ veritatis* contra nos adduxi, nostra puncta indivisibilia non expugnant; cùm maneant nihilominus, divisibilia mathematicè. Hinc demum, quod est *potissimum*, etiam asserta fidei de rerum inceptione ac desitione, aliáque, in tuto sunt.

212. Placet hîc repræsentare Judicium eminentissimi Cardinalis de Lugo, apud Christophorum Hunoldum in Acroamatibus physicis, editis 1645. Acroamate 6. num. 64. postquam cum multis auctoribus docuisset, continuum esse infinitè divisibile mathematicè, sed non physicè; hoc est, ratione extensionis, quam matheſis attendit, non ratione partium physicè distinctarum; subjungit, num. 67. ejusdem Cardinalis Judicium, quod tale est, quòd videlicet *omnia per hanc doctri-*

ctrinam cohæreant ; ceſſent omnes difficultates, motus optimè explicetur, raritas facillimè defendatur, & quod caput eſt, inquit, theologicæ concluſiones, quæ ſæpe ab hac quæſtione dependent, nullam prorſus patiantur difficultatem. Lege locum mi lector.

213 Ut, quæ involutiùs dicta ſunt hactenus, diſtinctiùs exponamus, ſicut eſſentia ſpiritûs conſiſtit in duabus potentiis intelligendi & volendi; ſic, ut poſterior priorem neceſſariò præſupponat, ſive, ut proprietas à priore fluat; ſive aliter loqui placuerit; ita eſſentia corporis in duabus pariter potentijs ſita eſt; quarum prior, eſt potentia ſe extendendi in ſpacium; poſterior, eſt potentia excludendi alterum à ſuo ſpatio, ſive vis impenetrativa; & hæc poſterior priorem ſupponit, eamque complet quodammodo, ùt differentiam ſua proprietas; cum non poſſit excludere â ſpatio, quòd ſpatium non haberet. Ex quo coaleſcit vis tactiva, & impulſiva, ad movendum alterum; quâ non indiget ſpiritus, *juxta dicta Num.* 194.

214. Poteſt tamen harum potentiarum actus ſuſpendi; vel utriusque ſimul, vel tantùm poſterioris, juxta dicta *Num.* 193. Si extenſio corporis ſuſpenderetur (cujus tamen nullus finis eſſe poteſt) exiſteret corpus eo ipſo etiam penetrabiliter, abſque menſurabilitate & contactu, ſicut ſpiritus, qui ad hoc poſitivâ potentiâ non opus habet, cùm ſit quid negativum: ſi autem impenetratio ſuſpendatur, non ideò

ideò ceſſat extenſio; poſſent enim minima materiæ extenſa juxta ſeſe conſervari: ſic fieri neceſſe eſt, dum corpus glorioſum tranſit aliud corpus: in quo caſu ſaltem alterutrum corpus penetrari neceſſe eſt: fitque ad nutum Dei: de quo *Num.* 194. *& in ſequenti*: Utriuſque actus ſuſpenſio videtur evenire in corpore Chriſti Euchariſtico, ſi ibi cauſa & neceſſitas eſt.

215. Sed videtur ibi etiam non eſſe neceſſitas, cùm connaturaliore doctrinâ fieri poſſit; quia enim extenſio poteſt eſſe major & minor ſinè fine, *juxta Num.* 201. & microſcopici deprehendunt animalcula, tam parva, ut omnem fidem exuperent: ſic, ut Lœbenekius Batavus, intra unum ovulum pulicis, aut muſcæ, deprehenderit beſtiolas vivas ad viginti milliones, numeratione inſtitutâ ex certâ praxi, juxtáq; regulam certiſſimam Euclidæam 18. 12. facilè Chriſti corpus reduci poteſt ad ſimilem vel minorem parvitatem, ſine ullâ ſui partium compenetratione, aut organicâ læſione, intra ſingulas totalitates, quæ ſingula minima panis deſtructi ſuâ ſubſtitutione, occupent. Sed de Euchariſtiâ ſpeciatim infra in *dialogo*. Ego ſimili modô ſemina viventium, ab auctore mundi, rebus indita fuiſſe, & latêre arbitror. Addo tamen; tunc etiam futuram aliquam in Corpore Chriſti contorſionem, ut repræſentaretur aptiùs figura minimi panis. Nec ideo per microſcopium videri poſſet Corpus Chriſti, cum diſtinctione, tum

tum propter parvitatem nimiam, tum propter dictam contorsionem; sed si cui hoc displiceat, valeat consueta sententia. Et hæc hactenus de quantitate tum corporis continui, tum ejus indivisibilium partium, ex quibus totum continuum resultat: item quomodo ex additione partium, etiam continuarum, corpus totale augmentetur, & ex detractione minuatur universaliter dictum est satis. De corporibus particularibus, ad physicam pertinet: quamvis aliquid etiam adhuc infra sequetur.

§. V.

De *Qualitate Entis, Prædicamento Tertio.*

216. Qualitas, ex Aristotele, est, *quâ quidpiam dicitur quale*, sive modus substantiæ, quô ipsa dicitur aliqualis, vel talis: sicut quantitas, quâ dicitur quanta, vel aliquanta. Inutile est, aliam definitionem inquirere; quia hæc sufficienter omne & solum *quale* exponit. Ex eodem Aristotele quatuor sunt ejus species: *habitus & dispositio; potentia & impotentia, patibilis qualitas & passio, figura aut formâ.* Aliter dividi potest in *Metaphysicam, physicam, moralem, Mathematicam. Metaphysicæ*, sunt differentiæ entium & proprietates; illæ quidem generum, istæ specierum, aut essentiæ; ut intellecti-

lectivum, admirativum: quo ferè sensu Aristoteles 4. Metaphysicorum capite 6. formam substantialem, vocat qualitatem Materiæ; & Thomistæ potentias animæ, formaliter qualitates appellant. Vide etiam D. Thomam 1.2. *Quæstione* 49. *Arti:* 2. *Physicæ* sunt, quæ corpus physicum afficiunt, ut lumen, calor, frigiditas, densitas, color, durities, motus, &c. *Morales*, quæ cedunt in laudem vel vituperium: uti virtus, vitium, jus, dominium, reatus, irregularitas, &c. *Mathematicæ*, ex quantitate redduntur ad interrogatum quale; ut rectilineum, curvilineum, polygônum, proportionatum par, impar, rectum, obtusum. Et aliter dividi posset in *corporeas* & *spirituales*, &c.

217. Illud observo hîc, malè quosdam qualitatem cum accidente confundere; quasi verò sint termini convertibiles: cum pateat ex dictis, quasdam esse substantiales, & quædam accidentia non esse qualitates: uti quantitas, actiones, passiones, ubicationes, durationes. Ineptissimè quoque alij qualitatem, mera accidentia absoluta, non probare quidem conantur, sed imperitè sanè supponunt; quòd ex doctrina distinctionum non cognitâ, nil nisi mera ubique absoluta supponant, ingenti sanè strage genuinæ Theologiæ. *vide Num.* 99. *& sequentem.* Qualitates spirituum *supernaturales* Theologis relinquimus: *naturales*, sunt potentiæ intelligendi, volendique, & loco-movendi. Corporis

poris naturalis *eminentiores* in genere sunt, *Tenuitas, crassities, fluiditas, firmitas, durities, mollities, lævitas, flexibilitas, rigiditas, humiditas, siccitas, calor, frigus, raritas, gravitas, vis elastica, odor, sapor, sonus, lux, lumen, color.* *Speciales* sunt specialium corporum; aliæ lapidum, aliæ metallorum, aliæ quadrupedum, avium, piscium, &c. quas omnes esse, *modales*, & non posse creativè existere, facili negotiô ostendi potest.

218. Nam *tenuitas*, est modus corporis, ex particulis exilibus, quibus ipsum constat, resultans, secundùm quas facilè alterius poros subire possit. *Crassities*, modus, resultans ex partibus majoribus, figurâque irregulari constantibus, quæ ægrè in alterius poros se insinuent. *Fluiditas*, est modus, resultans ex particulis facilè disjungibilibus, ad quamvis figuram respiciendam aptis, & ideo valde mobilibus. *Firmitas*, est modus, quô partes propter figuram certam facilè concatenabiles, aut secundùm superficiem sese tangentes, ita cohærent, ut ægrè divelli possint. Sic exploratum aliquando fuit, quod duo hemisphæria ita cohærerent, ut octo equis divelli non potuerint, quod metu vacui, (ut putant) non fit; quia compertum quoque est, si tanta vis adhibeatur, quæ superet pressuram aëris, divelli hemisphæria posse.

219. *Durities*, est modus, quô partes corporis crassiusculæ, ob figuram, contextum, & immediatum contactum, ab aëre & æthere premente

mente coärctatum, tenaciſſimè cohærent. *Mollities* eſt modus, reſultans ex partibus, partim ſuâ duritie quieſcentibus, partim fluiditate mobilibus. *Levitas* eſt modus, quo partes ſuperficiei, ratione figuræ, æqualiter promirent, quoad ſenſum: *Aſperitas* quo inæqualiter. *Flexibilitas* eſt modus, quo partes oblongæ, leves, in directum tendentes, non obſtant curvationi, ita, ut aliæ molliores, in aliis durioribus, ultrò citroque moveri poſſint. *Rigiditas* econtra, qua partes intra alias moveri non poſſunt. Unde ſi cogantur accedere, fit ruptura, eò quod filatim per totum eant partes.


220. *Humiditas* eſt modus, quo corporis partes inſenſibiles laxiſſimè nexæ, perpetuò agitabiles, & ita fluxibiles ſunt, ut intra alieni corporis poros facilè ſubeant. *Siccitas* ex particulis rigidis, & inter ſe quieſcentibus, nullo liquore imbutis, reſultat. *Calor* eſt motio partium inſenſibilium, rapidiſſima & perturbata. Ita ferra incaleſcit limâ, clavus malleo. *Frigus* eſt hujusmodi partium quies. *Congelatio* fit, per interpoſitionem partium frigidarum inter partes fluidas, ut conſiſtant: quæ partes frigidæ ſunt ſalinæ, ſpiculorum inſtar penetrantes. Undè major eſt glacies, quàm fuerit liquor. Mare non congelat, propter agitationem à ventis, & ignes ſubterraneos.

221. *Raritas* eſt modus, quo corporis pori plus materiæ ſubtilis continent. *Denſitas* quo minus. *Rarefactibile* eſt, quod majores vel

plures habet poros, ſive interſtitia inter partes ſuas, non accuratè ſe contingentes, & flexibiles, obtinet Majora & plura. Habet autem poros etiam aurum, argentum, & marmor, quia efflavio magnetico, & meteorico ſunt pervia.



Gravitas eſt modus corporis, quo tendit deorſum, eò quod ſit minus poroſum, & magis prematur ab aëre incumbente, qui per poroſa faciliùs tranſit, ideò leviora. Unde motus in fine velocior eſt. Nam cum aër perpendiculariter urgeat, ac tendat verſus centrum terræ, & per innumeras lineas, patet cubum ligneum plus premi, per plures lineas, dum eſt in K. quàm dum eſt in I. preſſio autem aëris patet in antliis, & ſyphone anguſto, utrinque pervio, quem ſi ſuperficiei aqueæ ſuperponas, videbis aquam, ſuper eum, intus aſcendere, quod non fieret, ſi extra ſyphonem aqua non premeretur ab aëre.



222. *Vis elaſtica* eſt modus corporis, quo ipſum preſſum vel tenſum reſilit in priorem figuram: quod fit, dum materia ſubtilis, tranſiens per poros, imdingit ad latera, ut ſuum fluxum recuperet; ideoque corpus debet eſſe rigidum. Si duret tenſio, vel preſſio, perditur vis elaſtica; quia mate-

materia ſubtilis alias ſibi vias aperit. Materiam ſubtilem porrò exiſtere oſtendit ipſa vis elaſtica, ſicut & poroſitas corporum, aëri non perviorum. Item extractione aëris ex vaſis, quorum poros aër ſubintrare nequit, per machinas ſæpè facta, intra quorum cavitates neceſſe eſt ingredi materiam aëre ſubtiliorem. Aërem verò in iisdem experimentis fuiſſe extractum ex eo patet, quod vaſa illa fiant per extractionem vigecuplo aut trigecuplo leviora quàm ante; Item hoc oſtendit aëris preſſio ac denſio, de quo *numero præcedente*. Materiam illam Ariſtoteles vocat ætherem, Plato ſubtilem ignem, alii Archæum, Alii animam vel ſpiritum mundi.

223. *Sapor* eſt certa diſpoſitio ex magnitudine, figura, & motu inſenſibilium partium, in corpore reſultans, quâ ipſum per ſalivam reſolutum, organum certâ ratione fabrefactum, & ex nervoſis fibrillis contextum gratè vel ingratè afficere, affricare, titillare ſolet. *Odor* à ſapore ferè ſolâ corpuſculorum tenuitate differt. *Sonus* eſt motus aëris tremulus, à corpore ſonoro procreatus, & ad organum auditûs propagatus, quo ſubſultim percutitur tympanum acuſticum. corpus ſonorum debet eſſe inſtructum plurimis poris & parvis, ut ſingulæ partes tremere poſſint, in corpore fluido, quod continent.

224. *Lux* eſt vibratio Corporis lucidi, conciſa & celerrima, ſivè motus partium lucidi ſubtiliſſimarum, conciſſim reciprocus, itus & reditus,

tus, pulsus & repulsus, rapidissimè concitatus, sic ligna putrida micant, quia acquirunt partes agitatas celeri motu. *Calor* est similis motus, sed validus & rapidus. *Lumen* est vibratio globulorum æthereorum, quaqua versum, ad lineam rectam, orta ex vibratione subtilis materiæ, visum afficiens: quo facilè manifestantur corporum moles, figura, distantia, situs, color, proportio; quia ista vibrationem ac reflexionem modificant.

225. Porrò motus impeditus *reflectitur ita, ut Angulus reflexionis sit æqualis angulo incidentiæ*, & quidem luminis radius perpendiculariter incidens rectè reflectitur, quia non est mixtus ex motu perpendiculari & horizontali, sicut est quo obliquè incidentia fit. unde tunc refractio fit ad perpendiculum in medio densiore: quia in hoc acceleratur motus perpendicularis; in rariore retardatur: quia aër quasi villosus, & quasi plumosus, est in poris retardans motum, sicut globulus in tapede movetur tardius, quàm in nudâ mensâ. Motus continuatur, quia primus determinat ad secundum, & hic ad sequentem; sicut quies determinat ad continuationem quietis, *juxta Numerum* 176.

226. *Color* est modus luminis reflexi, cum certa conjugatione radiorum & umbellarum, ex Aristotele. Nam color albus est lumen continuè reflexum: scilicet quod reflectitur à corpore, constante superficie, coalescente ex

super-

ſuperficieculis innumeris parvulis, certo modo compoſitis, ut ferè omne lumen extra ſe reflectant, ſpeculorum inſtar. Nigra autem corpora, cavernosâ & ſtriatâ ſuperficie affecta ſunt, ita ut lumen ferè omne introrſum reflectant. Colores cæteri ſunt medij, juxta variam luminis reflexi cum umbra conjugationem. hinc citiùs â ſole incaleſcunt nigra, quàm alba; & nix illuminata lædit oculos. Commemoramus iſta tantùm hîc, non explicamus; fuſiùs autem & explicatè habemus in tractatu, quem inſcripſimus *Creaturam Corpoream*: fuſiſſimè autem, & elegantiſſimè Honoratus Fabry. Tu mi lector, ſi iſta non habes cognita, noli condemnare, priusquam intelligas, ut ſolent iniqui Judices.

227. Neceſſe habeo meminiſſe hîc breviter habituum mentalium: quæ ſunt *Qualitates facilitativæ intellectûs & voluntatis ad operandum.* Intellectio Angelica (idem ferè eſt de animâ ſeparatâ) quomodo fiat, dictum eſt *num.* 177. 178. 179. 180. ſicut etiam de libertate *num.* 186. 187. 188. 189. Habitus porrò acquiri ab Angelis, patet ex eo, quod diſcant linguas hominum, etiam dæmones; & illas quidem, quæ ſeriùs inventæ ſunt; cognitas habeant bibliothecas, Hiſtorias, &c.

228. Hjusmodi qualitas facilitans non poteſt conſiſtere in ſpeciebus impreſſis ſpiritualibus, quæ ſint entia abſoluta: quia nemo explicat, quomodo hujusmodi entia ſint imagines rerum ſolùm

ſolùm virtuales, & non formales. Deinde quia eſſent ſubſtantiæ, juxta dicta, â *num.* 144. *ad* 151. præterea, licet explicari poſſet, quomodo iſtæ ſpecies generarentur, non poſſet tamen explicari, quomodo excitarentur, & actu influerent; vel enim liberè excitarentur, vel neceſſariò. Si neceſſariò: quæ eſt cauſa neceſſitans? non enim poſſunt eſſe ſemper excitatæ; alioquin ſemper illa omnia objecta Angelus intelligeret, & eodem ſemper modo, atque æquè intensè. Si liberè eas Angelus excitaret, Ergo eas ante intelligeret; cum tamen ſupponantur ipſæ non intelligi, quod non ſint objecta, ſed virtualis ſimilitudo tantùm objectorum. Imò earum ipſa objecta ſemper antea Angelus intelligeret: quomodo enim intelligeret ſpecies, & non objecta ſpecierum? fruſtraneæ ergo eſſent ſpecies. Certè ut liberè unam præ aliâ excitet, utramque diſcernere, & cognoſcere debet; cum voluntas in incognitum non agat.

229. Placet ergo modus, & ſolus relinquitur, quem habet P. Fabry. quod ſcil. Angelus nunquam omninò deponat cognitionem rei, ſemel cognitæ, ſed ſemper cognoſcat, quæcunque ſemel cognoſcere cœpit: ita tamen tenuiter, remiſsè, & neglectim, ut reſpectu aliarum rerum, ad quæ ſpeciatim ſe convertit, videatur ea planè non cognoſcere; poſſit tamen earum cognitionem intenſam, & perfectam, quando voluerit, reſumere, & ſic dicitur habere facilitatem cognoſcendi omnia illa, quæ ſemel didicit,

cit, nimirum potentia cognoscendi Angelica est limitata quidem, in capacitate, & vi positivâ, ac intensivâ, attamen quasi illimitata in defectu, & in potentiâ remissivâ; sic ut quò plura nova addiscit, eò remissius ad priora attendat; sicut diximus de Motu tardiore, & lineâ breviore in infinitum, *num.* 201. Sic & nos videmur planè non meminisse, quomodo didicerimus literas, quando velocissimè, & expeditissimè scribimus & legimus. Sic qui pulsant organum &c. cum tamen certum sit, nos in similibus exercere memoriam, sed valdè remissè.

230. Habitus volitionales ex his felicissimè innotescunt. Eædem enim cognitiones, prout perpetuò voluntatem determinant ad affectus, non perfectè deliberatos, v. g. in dæmonibus ad maledicendum, in sanctis autem Angelis, ad DEUM laudandum, ad laudandas piorum hominum actiones; sic dicuntur habere facilitatem, ad similes actiones, expressè & intensivè formandas. Simili modo de animâ rationali separatâ sentiendum puta: imò etiam in statu gloriæ de unitâ corpori, respectu cognitionum inorganicarum. Sed de homine, in statu præsenti, aliter philosophandum est.

231. Dependet ergo intellectio humana â phantasmate, hoc modo & ordine. Objecta movent potentias externas. E. g. lumen, ab objecto modificatè reflexum (quod speciem nominant) incidit in oculum per pupillam, in retinam ocularem; ut in hâc imaginem objecti

distinctissimam, ope refractionum, exprimat; eamque retinam, cum sit substantia nervosa ac vivacissima, quodammodo faciat saltitare delicatissimis licet motionibus, minimarum partium, & tripudiantis in modum agitari. quæ agitatio est species impressa, & quatenus vitalis, eadem quoque expressa.

232. Affectio hæc tripudiativa porrò propagatur ad cerebrum; ubi est organum sensûs interni: quod triplici modo fieri potest, vel quod nervi ocularis retinæ, trahendo faciant similem impressionem in cerebro, tanquam funiculi; sicut funis tractus movet campanam: vel quod spiritus animales, per vias nervorum, fulguris instar, velocissimè explosi, cerebrum tenuissimè concutiant, & similem figuram ibi describi faciant, uti Willisius Medicus Anglus explicat: Vel denique quod causa prima, determinata per visionem, hujusmodi translationem absolvat, & modificationem trasferat, ferè juxta modum, expositum *num.* 176.

233. Quod si cui mirum videatur, tot rerum formas ac figuras imprimi posse cerebro, præsertim si in nervulis tantùm illa inscriptio fiat, consideret is, quâ ratione per viginti quatuor Characteres Alphabeticos omnes totius mundi historiæ, linguæ, & artes, describi possint, figuræ enim cerebrales non solùm incredibilem in modum parvæ, sed etiam ferè finè fine, aliter & aliter modificabiles, & Combinabiles sunt, juxta principium datum *num.* 201.

Porrò

Porrò affectio illa trepidativa ſtatim determinat principium nervorum, in alio cerebri tractu, ad motum appetitivum, vel averſativum, prout objectum vel ut bonum, vel ut malum ſenſui interno occurrit, eo modo, quo dictum eſt, *num.* 195. 196. 197.

234. Quia verò *juxta numer.* 183. & 184. ſenſatio determinat ad intellectionem, intellectio ad ſenſationem; & anima ſeipſam ad intellectionem remiſſam, vel intenſam, conſequenter poſitâ dictâ motione, & affectione impreſsâ, ſequitur in animâ intellectio talis objecti: hanc intellectionem ſi anima intendat, ſequitur nova & major phantaſiatio, & intenſior tremor; qui cum ſit major, pertingit etiam ad viciniores nervos: Ergo & hi ſubſultantes, novi objecti intellectionem excitant, juxta ſpecies ibi impreſſas: quæ intellectio ſi intendatur, rurſum fit propagatio tremoris ad viciniores vibras, & ſic anima totam tractûs phantaſtici regionem percurrendo poteſt examinare ſpecies, quæ lateant; easdem intendere, renovare, transferre, conjungere, concatenare, disjungere, diſcernere, ordinare: & ſic facimus, dum aliquid diſcimus memoriter. non tamen poſſunt in infinitum augeri ſpecies: quia ſpatium tandem deficit. Similes modificationes cogita etiam imprimi aliis ſenſibus.

235. Hujusmodi ſimulacrorum phantaſticorum apparatus non ſolùm, dicto modo, eſt effectus animæ, ſed ejus etiam theſaurus, &

memoria rerum cognitarum : etsi nihil sint aliud, quàm figuræ cerebro impressæ, quales ferè imprimuntur ceræ, insculpuntur plumbo, inscribuntur chartæ ; sunt virtuales rerum similitudines : sunt concausæ intellectionum : sunt virtutes & proximæ potentiæ animæ, ab eâ realiter distinctæ, juxta mentem S. Thomæ: sunt species intellectuales, quia ad intellectum subordinatæ sunt : denique sunt qualitas facilitativa, sive habitus animæ, ut intellectivæ.

236. Æquivocè proinde & erroneè finguntur, in animâ unitâ, species aliæ virtuales, quæ sint entia absoluta : tum propter causas dictas *num.* 228. tum quia essent inutiles : eò quod nihil possent præstare, nisi quod simul & prius jam præstant prædictæ formæ modales. Non enim potest anima inchoare aliquam objecti cognitionem, ad quam non determinat organum sic instructum phantasmatibus. Dum verò anima separatur â corpore, determinatur anima ad cognoscenda objecta omnia, tenuiter saltem, quæ semel in statu hujus vitæ cognoverat; quam etiam cognitionem deinceps retinet, & usurpat eo modo, quo diximus de Angelis, *num.* 229.

237. Resultant deinde identidem motiones voluntatis, vel prosecutivæ, vel aversativæ, respectu hujusmodi objectorum ; quibus haud dubiè anima facilitatur, inclinaturque ad prosecutiones, vel aversiones, magis vivaces & expres-

expreſſas, magisque intenſas; quod habitum voluntatis conſtituit, *juxta numer.* 230. atque ita habes animæ habitus mentales clariſſimè explicatos, quibus fruſtra alios ſuperaddis; cum eſſent otioſi, & prorſus inutiles. Hæc omnia fuſiùs in tractatu *de Creaturâ Corporeâ.*

§. VI.

De prædicamento ad aliquid, ſive *motu locali entis.*

238. *Quidquid movetur, ab alio movetur*, præter voluntatem liberam, de quo *num.* 186. 187. 188. 189. Corpus quidem, dum aliud corpus movet, non aliud de ſe præſtat, niſi tactum & impulſum, *per num.* 176. Angelus autem vel ſe, vel alium Angelum, vel corpus, quod vult moveri, quodammodo tangit voluntate; & ſic ad motum æquè naturaliter determinat volendo, uti corpus impellendo. Habet enim Angelus Jus phyſicum, ſic movendi volendo, uti corpus tangendo, idque ſecundùm exceſſum in perfectione Angelus, ſicut corpus ſecundùm exceſſum ponderis, magnitudinis, vel velocitatis, quâ alterum impetit. Similia de animâ habes *num.* 195. 196. 197. 233. 234.

239. Sicut DEUS moveri non poteſt; cum nunquam ſit in loco, etſi omnibus rebus ſemper præſens immenſitate ſuâ; ſic nec Angelus move-

movetur propriè ; quia non transit de loco in locum, cum in loco nunquam propriè sit. Dicitur tamen moveri impropriè ; quatenus successivè diversis corporibus , quæ sunt in loco , fit præsens ; non tamen iis coëxtensus , quia non est extensus. Contra verò durat Angelus propriè ; quia ejus existentia mensuratur tempore, etsi præsentia non mensuretur loco, vel spatio, *ut supra dixi* 192. 193. de Continuatione durationis , & temporis, est eadem difficultas, quæ de continuatione motûs ; cum tempus sit *numerus motus secundùm prius & posterius.*

240. Non potest autem tempus aliter continuari, quàm per instantia, & partes indivisibiles : alioquin nullius rei inceptio vel desitio fieri potest. Creetur enim Angelus , & incipiat aliquando existere ; profectò existere cum illo incipiet tempus, sive ipse incipiet suum tempus; sed tempus, quo incipit, constat , juxta alios, partibus infinitis præteritis & futuris , sive prioribus & posterioribus : ergo illo tempore, quo dicis primò existere , jam extitit infinitis temporibus præteritis ; igitur non primo tunc existit. Sed ante illud jam extitit : vel simul existit primò, & non primò. Similiter non poterit ullo tempore desinere : dum enim destruitur, adhuc existit, & existet infinitis temporibus. Nec dicas, tempus sumi determinatè. Nam nec Deus deter-

determinatè ſumere poteſt, ſive non poteſt ullam durationem determinare, quæ tantùm ſit præſens, & non involvat partes priores & poſteriores. Quo ſenſu ergo Theologi quærunt de primo inſtanti juſtificationis, aut peccati, in Angelis e. g. & ſimilia? Erunt hæ Quæſtiones de ſubjecto impoſſibili.

241. Debent proinde neceſſariò cocedi inſtantia temporis, ſecundùm quæ duratio fluat: attamen habent eadem inſtantia quandam diviſibilitatem potentialem, ſive quandã extenſionem in duratione, ſicut puncta ſpatii extenſionem locativam; ita ut quovis parvo poſſit dari aliud minus, & quovis magno aliud majus. Maximum eſt unius entis infiniti, æternitas; Quod eſt infinitum Nunc, *juxta dicta num.* 201. Determinare porrò inſtantia eſt Dei, cujus eſt dare exiſtentias: cum duratio ſit quædam exiſtentiæ modalitas. Unde quo modo quidpiam, aliquo inſtante, exiſtit, eo modo tunc neceſſariò exiſtit, neceſſitate conſequente: Quo quidpiam quieſcit, eo inſtante non poteſt moveri: quo movetur, illo quieſcere non poteſt: quo movetur tardius, eò non poteſt velociùs moveri: quo velociùs, eo non poteſt tardiùs. Movetur tardius, quod per inſtantia longiora; velocius, quod per breviora: quæ omnia conſideranti patent.

242. Per hujusmodi inſtantia facilè ex dictis determinari â Deo poteſt certus velocitatis gradus: Sicut etiam per puncta corporis magis vel

minus

minus extensa, motio fieri potest, & non aliter. Nimirum totum est posterius partibus, quæ sunt principia totius, ex quibus ipsum resultat. Unde totum movetur per motum partium : Si ergo supponantur partes semper esse totum iterum continuum, nunquam determinari potest pars, quæ tantùm sit pars ; ergo nunquam determinari potest certa velocitas.

243. Motus in vacuo est de subjecto non supponente *per num.* 191. 199. 200. Qui autem videtur fieri metu vacui, â recentioribus compertus est, non esse alius, quàm librativus ; & ex eo ascendere aquam in antlia, quia extra antliam premitur deorsum, ab aëre incumbente; qui & ipse â materiâ cœlesti premitur, *juxta dicta num.* 221. Patet hoc quoque in fistula vitreâ utrinque apertâ : quam si perpendiculariter supra aquæ superficiem applices, videbis aquam per fistulam ascendere, eo usque tantùm, donec corpus, quod sursum extrudendum est, gravitate æquiponderet cũ gravitate aëris incumbentis ; deberet tamen semper ascendere, si metus vacui ascensionis principium esset : cum eadem causa habeat eundem semper effectum. Datum fuit & aliud experimentum *num.* 218. & alia multa evidentissima affert Sturmius Germanus, speciali libro desuper scripto, quem fac habeas, & legas.

244. Motus localis est principium omnis motus alterativi, ut omnibus experimentis innotescit ; sicut motus alterativus est principium mo-

motûs ad quantitatem & ſubſtantiam, ſive augmentationis & generationis. Videmus enim ipſis oculis, & manu palpamus, hujusmodi motus fieri per mixtiones; mixtiones autem peragi percolatione, coctione, ſublimatione, diſtillatione, diſſolutione, exhalatione, concretione, calcinatione, commixtione, expreſſione, compreſſione, rarefactione &c. Unde inſignis calumnia eſt, quà nonnulli nobis dogma Democriti, & ſimilium Ethnicorum imponunt, qui dicuntur aſſeruiſſe, mundum coaluiſſe ex confluxu fortuito atomorum. Pudeat eos, cum Argumenta non ſuppetant, ejuſmodi figmenta, veritatis odio, afferre; quaſi verò tantùm per confluxum, & non innumeris aliis modis oſtendamus converſiones rerum evenire, ad eáſque Dei omnipotentis manum non tantùm requiramus, ſed etiam requiri clariſſimè demonſtremus.

: (o) :

SE-

SECTIO IV.

Idæa, Ortus, & Interitus Entium.

245. LOquimur de Ente Corporeo, & idæam sumimus ex primâ mundi creatione; quæ sicut per dies successivè, ita utique per horas quoque, ab imperfectioribus ad perfectiora successit, ad faciliorem nimirum informationem Angelorum, quos Creator, mundi rectores destinârat, & ideò inspectores negotii creativi habebat: Quidni nobis ille procedendi modus sit ad captum magis idoneus?

§. I.

De Materiâ Mundi & opere primi Diei.

In principio creavit Deus quandam substantiam seminalem totius Mundi, quam editio vulgata vocat inanem & vacuam, Hebræa, *Tohu* & *Vohu*, inanitatem ac deformitatem; Græca invisibilem & incompositam, quia ante creatam lucem tenebris erat involuta.

246. Substantia hæc primigenia non est aliud quàm subtilis materia, de quâ facta est mentio supra

ſupra *num.* 222. quam propter ſummam ſubtilitatem, tenuitatem, fluiditatémque ſuam Moyſes aquæ, & abyſſi nomine, exprimit: quæ actu admodum nihil eſt, potentiâ omnia continet. Non habet per ſe ullum actum, præter exiſtentiam: non enim eſt loco mobilis, neque ſecundùm totam ſui maſſam; quia non habet locum extra ſe: neque ſecundùm partes ſui; quia non habet gravitatem ad libramentum: nec eſt corpus impellens aut premens, aut aliter movens, unde *per num.* 244. nec habet motum alterativum, nec augmentativum, nec generativum: Non poteſt etiam movere ullum ſenſum hominis, nec ſub experientiâ, uſúmque ullum cadere; tum propter ſummam ſubtilitatem, tum propter actualem immobilitatem; etſi ſit potentiâ maximè mobilis, & omnis motûs principium.


247. Unde ſit licet aliqua ſubſtantia, ad Metaphyſicam pertinens, cùm immediatè actionem creativam terminet. *juxt. n.* 144. *& ſeq.* tamen non eſt corpus phyſicum; quia caret formâ ſubſtantiali, qualis ſub experientiam cadat, & aliquem actualem ſui uſum exhibeat, tanquam principium aliquod motuum *juxt. num.* 171. 172. Unde tale corpus nec eſt corpus phyſicum, & prædicamentale; nec eſt *quantum*, hoc eſt, quidpiam augmentatum, vel ad aliquam ſpeciem quantitatis aut molis redactum, néque aliquid eorum, quibus ens determinatur; & conſequenter eſt ipſiſſima prima mundi materia, ex quâ

omnia corpora fiunt, ita, ut in eis ipsa non per accidens insit, qualiter corpora artificialia insunt rebus, ex illis fabrefactis.

248. Horâ alterâ ergo primi diei, ferebatur Spiritus Domini super aquas, hoc est: omnipotens Dei manus, cum alia causa deesset, operabatur circa eandem illam materiam, tornando eam, secundùm dimidiam ferè ejus partem, in minimas sphærulas, & globulos, qui essent apti quidem transire per poros corporum diaphanorum, sed non per opacorum, dixitque, *fiat lux*. Nimirum lux non potest esse accidens merum & absolutum, *juxta numerum* 144. Ergo est effluvium corporeum, quod possit afficere organum oculare; ut patet ex eo quoque, quod reflectatur â corpore opaco, quemadmodum proprium est corpori moto & impulso: item quod radij per vitrum adunati desinant in flammam. Hujusmodi corporis minima non possunt esse materia ipsa subtilis; quæ suâ tenuitate non possunt movere organum, néq; possunt esse acuminata, cuspidata, asperata, &c. ne lacerent organum: ergo debent esse globulosa; qualia & sufficienter pulsent, moveántque retinam ocularem, & tamen simul suaviter afficiant.

249. Resultat proinde ex materiâ subtili, & dictâ globulosâ, corpus tertium, imperfectè mixtum, quod corpus luminosum dicimus; ita ut globuli sese undiqúe contingentes socientur ad latera subtili materiæ; Sicut si immensum mun-

mundi ambitum arbitreris esse instar maximæ cupæ, pisis & aquâ impletæ. Itaque materia subtilis identidem agitata in circulos, projicit quaquaversum globulos radiosè, versus omnem partem, ita ut per oculum subintrantes, retinam percussionibus subtilissimis, tangant, & tremulo motu exagitent. Quod ut intelligas, attende, quemvis motum, quamcúmque in lineam dirigatur, fieri circularem, sive generare ex se aliquem circularem, sive tendentem in lineam curvam. moveatur enim globulus, vel cor-



puſculum cujuscunque figuræ k deorsum versus l m. Hoc ut fiat, corpuſcula l & simul m sunt statione movenda. Hæc ipsa quoque debent contigua sibi loco movere: movebunt

autem illa, quæ faciliùs mobilia ſunt: faciliùs autem mobilia ſunt, pauca ſimul, quàm plura, quia plura magis reſiſtunt. Pauciora verò moventur, ſi m tranſeat in q, q in p, p in o, o in k (vel ſi m in h, h in g, g in f, f in k) quàm in aliam quamvis lineam; quia aliorſum ubique innumera corpuſcula per mundi ambitum occurrunt. Sequitur ergo eo ipſo, quod k tranſeat in l, debere fieri circellum vel curvilinearem motum l m q p o k, vel l m h g f k, quorum duorum alteruter fiat, prout ratione figuræ vel magnitudinis corpuſculorum, alia præ aliis, minus reſiſtent.

250. Quod ſi contingat h & d eſſe duplo minora, quàm m, in ſtationem m ſuccedent duo h & d ſimùl, & conſequenter orietur circuitio major d h m q u t ſ r n i e a b c. Unde vides ex minore motu circulari, vel ovali, vel qualicunque curvilineari, reſultare majorem; & ex majore facilè minorem, imò plures minores, idque in varias lineas, ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſinistrorſum. Facilè etiam cogitare potes, ratione diverſarum figurarum, magnitudinum, impetuum, partem in partem ad latera tendere, declinare, reſilire: quid inde naſcetur, niſi citatiſſimus, varius, multiplex, perturbatus, motus diverſiſſimarum partium, eo ferè modo, quo mixtim & quaqua verſum volant & revolant apiculæ, dum fœtum educunt, & examen exercent.

251.

251. Et licet hic motus perturbatissimus sit, considera nihilominus, omne corpusculum circulariter motum per se tendere & projici in lineam rectam : quod sanè in funda patet ; quæ circumacta dum projicit lapidem, hic à funda egrediens volat in rectam lineam. Unde fit, ut globuli luminares concurrantur ac tendant in rectas lineas versus omne mundi punctum, etsi in via impediantur. Non enim existimare debes, ipsosmet globulos debere immenso fluxu singulos ad oculum venire ; quod non fieri evidenter patet ex calculo arithmeticè instituto in eclipsibus : sed satis est, quod ad oculum propagetur nisus ille, trepidatio, ac subsultatio, singulis lineatim impressa. Nimirum globulus globulum contiguum alius alium tangit, sic ut longam perticam de cœlo in terram exhibeant ; qui autem perticam percutit in extremo ejus puncto, facit moveri etiam media puncta, usque ad ultimum ejusdem perticæ. Licet ergo innumeris vicibus globuli luminosi in via deflectant, retrocedant, &c. tamen percussiones & tremulæ motiones aliæ aliis identidem velocissimè succedentes pertingunt facilè ad oculum.

252. Habes nunc materiam subtilem, quam diximus, non esse corpus physicum, sed materiam primigeniam & semen mundi. Habes ex hac eadem formatam materiam globulosam, quam vocant secundum elementum, ex utrâque autem resultans corpus imperfectè mixtum,

quod dicitur materia cœleſtis, ſivè lumen, & hoc jam corpus phyſicum nuncupari meretur, cùm cadat ſub experientiam, habeatque inſignem utilitatem, moveatque ſenſum viſûs, & omnia corpora opaca in notitiam atque aſpectum producat. Cujus forma phyſica & ſubſtantialis eſt illa Potentia oculum dictô modô movendi. Tu his ad delectionem opticorum, maximè de camerâ, quam vocant, obſcura: ego ad iſta particularia non deſcendo.

253. Poſt hæc creavit Deus, vel potiùs eduxit ex materiâ cœleſti ſic explicatâ, tertium elementum: cujus minima eſſent variè figurata, oblonga, cuſpidata, cavernoſa, anguloſa, inæqualia, hamata, ramoſa, aſperata, & ſic innumeris modis efformata, ut eſſent apta inter ſe cohærere, implicari, concatenari, conjungi. Tertiam hanc materiam ſecundæ ac primæ mixtam collegit in maſſas opacas, qualis eſt tellus noſtra, radiis luminaribus impervias, quæ rudes adhuc & informes illud tamen efficerent, ut jam unâ ſui parte exciperent lumen, non tamen tranſmitterent ad partem ſui oppoſitam, ſed â ſe reflecterent; umbram autem in altera parte ſibimet facerent: quæ umbræ cùm nunquam cum lumine convenirent, & eôdem in loco concurrerent, erant ſic *diviſæ & tenebris*, ut reſultarent dies ac noctes.

§. II.

§. II.

De Generatione Firmamenti, Elementorum terrestrium & mixtorum non viventium.

254. Sicut ex materiâ proximè explicata coordinaverat Deus tellurem, ita similiter dispoſuerat innumerabilia corpora mundi, quæ ſydera appellamus, quædam opaca similiter ut terra, quædam etiam lucida, quibus ſuas, in immenſis cœlorum tractibus, regiones ſingulas ſingulis, ita attribuit, ut nullum alienas affectet. Videlicet *ſeparavit aquas ab aquis*, h. e. diverſos cœleſtis liquidi tractus, velut rapidiſſimos oceanos eſſe juſſit, in quibus ſtellæ volverentur, motibus inter ſe ita pugnantibus, ut tamen in commune totius univerſi bonum, concorde diſcordiâ conſpirent. Ingentem machinam horologam concipe, cujus rotæ in varias vias tendentes unam tamen compagem ordinatiſſimam ſimul ac firmiſſimam conſociant. & hoc eſt firmamentum, quod Deus ſecundo die ad æternam ſtabilitatem expandit.

255. Poſt hæc ſegregavit ſpeciales materiæ tertiæ particulas, diverſarum qualitatum; ſolidiuſculas præſertim, & nitroſas, eaſque in globos, laxiùs tamen congeſſit, qui materiam ſubtilem intra ſe admitterent quidem, ſed ita tamen, ut eam in fluxu expedito identidem & ubique

impedirent, ac retinerent. Quô factô eadem materia ſubtilis particulas globoſas primum, deinde & alias illas nitroſas, rigidas & haſtulatas actas in circulos, foras projicit, juxta modum explicatum *num.* 249. 250. 251. Hoc igitur modo, quatenus globulos dirigit ad oculum, eſt corpus lucidum, quatenus verò haſtulas evibrat, eſt corpus urens & inflammans.

256. Nam eædem haſtulæ penetrant intra poros corporis obſtantis, ejusque plexum continuativum paulatim ſolvunt, disjiciunt & laxant, viamque materiæ ſubtili pandunt, ut hæc ſubintrans ſimiliter ejusdem corporis aptiores ad motum partes in turbinem actas diſcutiat, atque disjiciat, quod eſt inflammare atque conſumere. Quid autem eſt ignis aliud, quàm corpus lucens & ardens, ſivè illuminans & inflammans. quamvis tamen aliquis etiam eſt ignis imperfectus, tantùm lucens & non ardens, & aliquis tantùm ardens & non lucens. Quando enim materia ſubtilis incurrit in materiam, ex quâ globulos quidem rotare & ejicere poteſt, ſed non partes hamatas, quod hæ tenacius cohæreſcant, ut in ligno putrido, reſultat ignis lucens, non urens : quando autem partes terreas & nitroſas agitare quidem poteſt, ſed propter exiguitatem ſuam nequit globulos in rotales circulos movere, uti dum incus pulſatur, fit ignis ardens in poris, non lucens.

257. Ha-

257. Hactenus Geneſis ignis, quali conſtant plurimæ ſtellæ. Porrò aër noſter eſt *Elementum fluidum, rarum, maximè pellucidum, ſpirabile, particulis tenuibus, lanuginoſis, flexibilibus, plumuloſis, cum aliquâ tamen rigiditate, & a ſe invicem perpetuo motu disjunctis, & vim elaſticam habentibus, conſtans*; quod terra, quam circumfluens ambit, determinat in globum. Poteſt tum comprimi, tum rarefieri, & extendi. Cujusmodi particulas creator ex materiâ ſimiliter tertiâ, *de quâ Num.* 253. deſumptas laxè commiſcuit. Forma ejus ſubſtantialis eſt modus ex tali materiâ taliter unitâ reſultans, quanquam aër ſolus, ſemper, & primò eſt corpus ita deſcriptum.

258. Aqua eſt *elementum vulgare, humidum, fluidum, conſtans particulis oblongis, fluidis, flexibilibus, jugiter inter ſe agitatis, glabris, teretibus, & anguillarum inſtar lubricè volubilibus, cum terra unum globum conſtituens.* Proprium aquæ eſt quod frigefaciat, quia ejus particulæ, poros ingreſſæ, motum materiæ ſubtilis impediunt; ſivè, quia, ut alij loquuntur, ignem potentialem, quæ eſt materia ſubtilis, dividunt. Humectat, quia particulæ aquoſæ eisdem poris inhærent. Emollit, quia cum aliis per poros ſe miſcet. Flammam extinguit, dum motum partium ignis impedit, obſtruitque meatus; Abluit, quia ſordes ſecum avehit. Calefacta rarefit, quia particulas ignis rejicit. Elevatur ferveſcendo in bullas, quia agitatione

ignis collectum aërem concludit: quæ bullulæ coëunt in unam, aëris pressione; sed tum hujus, tùm cœterorum elementorum proprietates habes fusiùs demonstratas in *Creaturâ corporeâ*.

259. Terra est *elementum frigidissimum, & siccum, constans particulis, multiplici figurâ, magnitudinéque præditis, inter se arctiùs cohærentibus.* Sunt autem ejus particulæ majores igneis, aqueis & aëreis, ad magis fixam quietem: undè frigus nascitur, quod difficulter sint disjungibiles, & mobiles â subtili materiâ. Porrò dubitari non potest, hujusmodi elementa, terrestribus analoga, etiam reperiri in stellis iis, quæ solidæ potissimum sunt. Colligis autem materiam omnium primam contineri in secunda, secundam in tertia, quæ sunt primigenia, & magis propriè dicta elementa: quæ ulterius continentur in quatuor vulgaribus, velut aliæ præ aliis de iisdem plus minusvè participant: sicut etiam ulteriùs ista continentur in mixtis, quamvis secundùm formam substantialem contenta semper in continentem transeant.

260. Quædam corpora ex dictis imperfectè & minùs arctè sunt mixta, prout videbis in sequentibus: qualia sunt multa ex meteoris, imò & elementis. Nimirum Mixtio est *miscibilium alteratorum unio.* Nam alteratio unionem de facto præcedere debet ac solet, juxta *Num.* 244. Unio autem perfecta est, quâ arctiùs & pressiùs miscibilium minima inter se impli-

implicantur & hærent, ut poros exiguos relinquant: Imperfecta, quâ laxius inter se coeunt, & vacua magna inter se partes remanere sinunt, ut facile rursum dissolvi & disjici possint. Sic mixtum quoddam valdè imperfectum est corpus cœleste ac luminosum, de quô *num.* 249. & 252. Sicut & elementum tertium, de quô *num.* 253. Tale quoque est ignis, de quo *num.* 255. Tale est aër *num.* 257. Tale aqua & terra *num.* 258. & 259. Terra enim plurima miscetur aquâ & aëre; Aqua similiter & aër spongiæ instar plurimâ miscellâ terraqueâ & materiâ subtili ac igneâ quàm maximè turget.

261. Hinc actione perpetuâ subtilis materiæ ac luminis circà terram nostram, ex miscellâ terraqueâ atque aëreâ, nitrosâ, sulphureâ, tenace, viscosa, cujus partes subtiliores separantur, filamentosæ autem, tenaces, crassiusculæ, hamatæ, concatenatæ, cohærere inter se pergunt, nascitur identidem substantia laxissimè plexa, quæ fumus & halitus dicitur: quæ si terrestrior & aquosior, & ideò crassior fuerit, dicitur nebula, gravitate suâ deorsum premi solita; si minus gravis, & aëre levior fuerit, ab ipso aëre sursùm attollitur: si æquiponderata cum aëre, hæret in eo, & nubes vocatur: si nubes rarefiat, & plurimum extenuetur à subtili materiâ, desinit in aërem, ut deinceps lateat sub actu aëris, nec jam ampliùs sit nubes, sed aër, quia, juxta Philosophum, illud quidpiam est, quod

est

est potissimum in illo. Ita modicum aquæ vino copioso infusum definit esse aqua, sed fit vinum lymphatum, sicut & gutta aquæ vitro vini injecta fit vinum, & actum aquæ amittit &c.

262. Quod si nubes prematur, ut guttulæ aqueæ sese contingant, fiunt guttæ majores, quæ gravitate suâ, filamenta, quibus hærebant, rumpunt, & descendunt, quæ pluvia est: quæ subtilior est hyeme quàm æstate: quia æstate nubes altiùs ascendunt levitate, hyeme contrà parùm â terrâ attolluntur. Unde ex altiore loco cadunt de æstate, & inter cadendum pluribus sociantur, & sic fiunt majores: quæ si concrescunt in glaciem, grando dicuntur in æstate; in hyeme pruina aut nix. Si nubes materiâ multâ inflammabili constat, de quo *Numer.* 155. facilè generantur meteora, & igneæ, trabes volantes, capræ saltantes, stellæ cadentes, ignes fatui, fulgura, fulmina: quæ duo ultima discrepant in eo, quod fulgura sonum non edant, quod materia non retineatur, sed igne concepto, ad modum pulveris tormentarij, facilè dissipetur.

263. Fulmen cum explosione tormenti bellici analogiam habet quàm maximam. Etenim subtilis materia fumum ex pyrio pulvere accenso factum projicit ad latera tormenti, quo ejus pori obstruuntur, sic ut eadem materia transire non possit, unde imminens â tergo, aërem intus concluſum summoperè imprimis comprimit,

mit, deinde globum, & quæ ingesta sunt, impetuosè urgens cum minor ibi sit resistentia, subitò propellens, in aërem protrudit; qui juxta vim suam elasticam se primùm, dicto citiùs, expandens, & reciprocatis vibrationibus instar chordæ tensæ, multiplicans ictus tympanum acusticum horrisonè concutit, & improbum tremorem imprimit, qui est sonus, pro *num.* 223.

264. Similem in modum eadem materia subtilis intra nubem, versus terram, & ad latera miscellâ tenaciore, & incrassatâ firmatam, dum materiam sulphuream & inflammabilem intus urget, agitat, & accendit, habituque spissiore parietes nubis obarmat, ut clausis poris obstacula occurrant, quibus â transitu retinet, demum â cœlo perpetuis incrementis intrusa, velut indignata demum rumpit nubem, & aërem, priùs similiter coärctatum, in libertatem expellit, simili sono reciprocandum: Quod si miscella sulphurea & viscosa, intus igne acutissimo coarctetur, subitò compinsitur massa in lapidem, cum impetu evibrandum, qui cuneus tonitruosus dicitur, & propter arctissimam complexionem mixtum perfectum est.

265. Simili eventu, sed dissimili actione, ex humore viscoso, nitro & alumine gravido, cui & plurima terræ ramenta insunt, percolatione intra terram factâ generatur paulatim succus lapidescens & lapidificus, qui massam terream irrigans convertit in substantiam duram, arctè

plexam,

plexam, non inflammabilem, nec malleô ductilem, quæ est corpus & mixtum perfectum, quod lapidem dicimus: Utriusque lapidis, tum intrà nubem, tum intra terram, coagmentativam actionem feliciter imitatur ars lateritia. Neque non est quidquam in lapidibus, quod non sit & in lateribus, nisi quod lateres non fiant actionibus per naturam subordinatis. Certè si natura ipsa coagularet similes massas, eisque ita ignes applicaret, jam lateres forent lapides, minùs scil. perfecti: prout inter lapides etiam naturales alius alio perfectior, firmior, nobilior est.

266. Lapides bonitate partim adæquat, partim superat metallum, quod est *mixtum, perfectum, fossile, durum, liquabile, & malleo ductile.* Duritiem habet â terrâ, liquabilitatem & ductibilitatem ab aquâ, quæ eidem tanquam proxima materia insunt: plexum habet multiplicem, & maximè triplicem. Unus est primigenius spiritus ex elementis: Alter est, quô iidem spiritus copulantur. Tertius, quô partes metalli, jam perfecti, continentur. Solus ultimus solvitur liquatione: Undè â statu liquatorio redeunt metalla ad statum consistentiæ. Collige ex his & hactenùs dictis â materia prima incipiendo, semper corpus imperfectius secundum materiam contineri in perfectiore, ita, ut in illud tanquam materiam proximam resolvi possit. Item collige semper pro aliâ formâ sivè pro alio com-

composito requiri aliam materiam, ut docet Philosophus.

267. Quid censes lector, de corporibus hactenus explicatis? putasne esse necesse, ut constituantur per formam absolutam; talem *scil.* quæ possit seorsim creativè existere: an sufficere formam modalem ac respectivam, talem *scil.* modalitatem substantialem, quæ ex tali materia, sic actuata, resultet? Illud affirmant absolutistæ, qui Peripateticos malè se nominant, Platonici rectiùs appellandi. Dicitur enim vel fingitur Plato docuisse (quod etiam Origeni attribuit Velcurio pag. 4.) ideas vel formas corporum priùs extra materiam extitisse seorsim, ac postmodum materiæ, tanquam sigillum ceræ, impressas fuisse. Isti verò dicunt, non posse connaturaliter, posse tamen miraculosè, id fieri: atque ita quod Platonici sic esse & fuisse affirmant, Semi Platonici saltem posse esse concedunt. quæritur quo argumento?

268. Nihil negandum est, inquiunt, omnipotentiæ Dei, quod non manifestè implicat: Sed non implicat manifestè formas materiales seorsim existere, ergo non est negandum. Hic unicus est Achilles, in quo mirum sanè est, circulum viros doctos non videre. Certum est namquè, chimeram non posse fieri ab omnipotentia DEI: Certum quoque est, modalitatem, sivè entitatem modalem, absque subjecto existentem, esse chimeram: quis enim non dicat esse chymericum, existere ambulationem

absque

absque ambulante, curvitatem absque curvo, actionem absque agente, præsentiam absque aliquo præsente? dum igitur quæritur, an forma materialis sit entitas, quam implicet absolvi â subjecto. Item dum quæritur, an sit quid absolutum, etiam quæritur, an sit possibile eam existere â subjecto. Respondent autem Semi-Platonici, posse existere seorsim, quare? quia non est hoc negandum omnipotentiæ: quare non est negandum? quia non implicat manifestè. h. e. quia non est manifestum, eam esse entitatem modalem. Hoc autem ipsum est, quod quæritur, an sit manifestè talis entitas. Dicis esse entitatem non merè modalem, quia potest extra existere. Quare? quia non est entitas merè modalis, quam manifestum est, non posse extrà existere. Sed hoc ipsum quæritur, an & ex quo manifestum hoc sit.

269. Deinde ex eo, quod quidpiam non sit evidens, non sequitur ejus oppositum. scil. medium, ex quo quidpiam concluditur vel est fidei, puta auctoritas revelantis: vel est motivum scientiale per causam, aut effectum: aut per αὐτοψίαν vel experientiam sensuum immediatam ac evidentem: vel est medium se ipso & absque discursu certum, ut illud: *Totum est majus sua parte:* vel saltem est medium opinativè potens inferre, puta: *Cœlum nocte rubet, ergo pluet.* Nullum horum est istud: *Non est evidens rei contrarium, ergo res est.* Nequè enim hoc medium est revelatum: neque constat

ſtat per cauſam vel effectum: neque per experientiam ſenſuum: neque eſt axioma immediatum: neque motivum opinandi. Sic non eſt manifeſtum, non ſtaturum mundum adhuc bis mille annis: ideò non poſſum tamen opinari, adhuc ſtaturum tamdiu. Non eſt manifeſtum Turcarum Tyrannum non eſſe prædeſtinatum: ſcil. indè non poſſum opinari, eum eſſe prædeſtinatum. Similiter, ergo ſi non ſit manifeſtum, formam non eſſe ens abſolutum, non ideò poſſum opinari eſſe ens abſolutum, & poſſe ſeorſim exiſtere.

270. Aliud argumentum. Partes alias confluere, alias avolare, alias denſari, alias rarefieri, alias calefieri, coqui, &c. ſunt accidentia: ergò ſi in talibus conſiſtant formæ, hæ erunt accidentia mera. Sed eſt fallacia in argumento malè ſuppoſito. Nam hæ ſunt actiones, quibus alterantur corpora, & per quas demum reſultant formæ: non autem ſunt ipſa forma. p. *num.* 244. Forma autem eſt *modus materiæ ſubſtantialis talis compoſiti*, ſive eſt actus primus & prima perfectio talis corporis, quâ aliquod corpus primò eſt id, quod eſt, & primo non eſt, quod prius erat. Unde actus primus ab Ariſtotele dicitur. Et talis modus â tali corpore abeſſe non poteſt, niſi deſinat eſſe eôipſo ipſum corpus.

271. Certè enim ſi metallum non haberet hoc, quod ſit liquabile, & malleô ductile, eô

ipsô ceſſaret eſſe metallum: ideò ductilitas & liquabilitas eſt ejus forma & modus ſubſtantialis, quô eſt metallum, & non lapis: quod autem deindè ſit calidum aut frigidum, laboratum aut crudum, ſignatum aut non ſignatum, figuratum in longum aut latum &c. hæc poſſunt abeſſe & adeſſe, ſinè deſtructione metalli, & ideò accidentia ſunt, & actus ſecundi vel ſecundarij, quales adveniunt enti in actu, ſivè enti jam ſubſtantialiter actuatò, & formato, non ipſa ſubſtantialiter formant.

272. Præter dicta non reperio argumenta contra nos, quæ nomen mereantur. Sed benè dicteria non pauca: noſtram doctrinam eſſe periculoſam in fide: fuiſſe eximios viros, qui docuerunt contra nos: communem viam eſſe tenendam: nobis contradici â ſatrapis &c. Sed hæc frivola ſunt & vecordis animi. Primi falſitas abundè infrà patebit. Viri eximij ubi nos intellexerint, doctiores fient. Communiſſimum eſt errare & peccare, non ideò melius. Ultimum confitemur, ſcil. nihil eſſe, quod plures â nobis avertat, quàm ignava meticuloſitas, neque enim veritas majorem tyrannidem patitur, quàm â ſemidoctis, ubi hi Scholarum gubernacula nacti fuerint.

273. Sed aliqua contra Semi-Platonicos opponamus. Subſtantia ſpiritualis eſt ſpiritus: ergo ſubſtantia materialis eſt corpus: ut patet vel Tyronibus

ronibus ex lineâ prædicamentali: ergo cum juxta ipsos forma materialis sit substantia; erit corpus: quod absurdum est. Frustra distinguis substantiam *adæquatam* ab *inadæquatâ*; de prima verum id esse, non item de secundâ. Nam etiam anima rationalis est substantia inadæquata, h. e. ordinata ad corpus, cum quo constituit hominem, & tamen est spiritus, cum sit substantia spiritualis: ergo si forma plantæ. v. g. est substantia, etsi inadæquata sit, non ideò non erit corpus. Vide supra *Num.* 182.

274. Item forma materialis penetrat materiam: ergo habet saltem proprietatem metaphysicam spiritûs, juxta *num.* 175. 192. 193. 198. cum connaturaliter penetratio fiat: ergo est spiritus, quia qui adstruit proprietatem metaphysicam, ponit essentiam. Item quia eadem forma penetrat materiam, nihil potest omnino conferre ad motum corporis loco moti; cum neque tactu, neque aliter perficere motum possit juxta *num.* 176. 195. 196. 197. & consequenter neque ad alium motum, alterativum, augmentativum &c. p. *num.* 244. ad quid stat ergo truncus inanimis, & otiosus sinè ullâ potentiâ?

275. Existat forma lapidis extra subjectum, quænam sunt ejus prædicabilia? estnè dura, aspera, rigida, gravis, formabilis in statuam,

an mollis, flexibilis, levis, liquabilis &c.? si primum; quomodo ergo penetrabilis naturaliter? Item quomodo non tunc sola ipsa est lapis, cum habeat omnia prædicata lapidis? si secundum; quomodo est forma potius lapidis, quàm aëris, aquæ, vini, metalli? Hujusmodi quæstiones formare poteris de quâlibet formâ, & pullulabunt innumera sine fine somnia somniorum, & figmenta figmentorum, quorum ipsos Semi-Platonicos pudebit. Vide *Creaturam nostram corpoream.*

276. Contra verò in nostra doctrina, videbis omnium corporum perfectè & imperfectè mixtorum, in omni specie, quorum aliqua experientia ad nos pervenit, proprietates, effectus, operationes, ad vivum expositas, & ad suas causas reductas ac demonstratas, quod sanè scientiæ munus est: ut nihil nobis aliud necesse sit, quàm nostram doctrinam exposuisse; & ipsam vidisse veritatem, est eam amabilem fecisse, & pleniſſimè commendâsse. Vide supra eundem nostrum Tractatum: hìc tantùm brevem ideam posuimus.

§. III.

§. III.

De Generatione plantæ opere tertij diei.

277. Ens vegetativum eſt *corpus organicum animâ vegetativâ inſtructum.* Eſt autem anima vegetativa *Actus primus corporis organici potentia vitam vegetantem habentis.* at Vita vegetans eſt *Potentia naturalis vegetandi*, ſivè movendi ſe motu augmentativo, per alimenti aſſumptionem, digeſtionem, & in ſuam converſionem ſubſtantiam. Hujuſmodi ens & corpus vegetativum dicitur Planta: cujus organa, vel partes heterogeneæ, aut diſſimilares ſunt: radix, truncus, medulla. Similares aut homogeneæ ſunt humor, nervus, trachea, caro, cutis, ſpiritus: adnaſcuntur folia, gemmæ, ſurculi, flores, ſemen, tanquam novæ & ſeparatæ plantæ. Porrò ſicut alibi, ita & hîc ars microſcoptica myſteria plurima revelavit.

278. Radix conſtat tunicâ, ex tenuiſſima ſeminis membranula ducens originem: cui ſubjacet alia ſubſtantia corticalis, innumeris poris inſtructa, ad humorem excipiendum, hîc ſupponitur pars lignoſa, originem ex ſemine ducens, poros habens pauciores & laxiores in longum porrectos; cum pori corticales quaquaverſum tendant: Ultima pars radicis medulla

eſt, parenchymati ſimilis. Caulis ſivè truncus conſtat fibris lignoſis, rectis ac transverſis; quibus inſeruntur utriculi rotundi, â cortice ad medullam porrecti, ſucco turgentes; qui ſuccus â fibris in utriculos eis appenſos exſudat, ut excoquatur ibidem. Præterea ſunt in caule tracheæ, tanquam fiſtulæ ligneæ, quæ in foliis reticulatim ſe implicant, in ſurculis erumpentibus torquentur in ſpiras, conſtantes particulis ſquamatim diſpoſitis, utriculorum ordine transverſo interſectis. His tracheis includitur aër, qui calore diei & frigore noctis, alternatim dilatatus & condenſatus ſucci motum urget, premendo laxandóque tubulos ligneos, & utriculos ſuccum continentes.

279. Medulla ex innumeris quaſi bullis coagmentata, ſive ex globuloſorum, & membranoſorum utriculorum, per longum diſpoſitorum, ordine conſtat. Hujus meatus favis melleis non abſimiles, ſecundùm longitudinem, æquè ac latitudinem radicis, extenduntur: ampliores quàm pori corticis, per minuſculos tamen porulos, microſcopiorum ope viſibiles, inter ſe communicant. Porro cortex æquè ac medulla, ex ſeminis ipſius ſpongioſo mollique parenchymate formatur: undè in radice infima cortex eſt uberior, & exigua medulla; in trunco cortex tenuior, ſed amplior medulla, ut alterius imminutio, ſit incrementum alterius.

280.

280. Humor est plantæ veluti sanguis, per totum diffusus, qui & colatur circuitione quadam, per structuram fibrarum fieri solitam. Fibra seu nervus mollioribus partibus dat robur & consistentiam. Canalem quoque exhibet humori vehendo, quem per spiritum contractûs sursum movet, alioquin deorsum cadentem per ductus membranosos, tanquam utriculosos. Spiritus autem est portio subtilis & insensibilis, per totum discurrens. Trachæa est vas patulum & amplum, constans lamellis tenuibus vel squamatim dispositis, vel in spiræ modum contortis. Caro, Parenchyma, seu pulpa, est portio cæteris circumfusa. De cortice vel cute jam dictum est, eam imitari medullam: constat ex situlis relinquentibus vacuitates, circùmcircà parvis globulis implendas. Cum hæc ad ea, quæ intendimus, explicanda videantur sufficere, cætera omittimus: monentes tamen ad semen formandum, sicut in primâ creatione, ita in propaganda plantâ, specialiter Deum concurrere, ut insinuavimus supra 215. Cum enim in materiâ seminali lateant innumera rudimenta, & compendia plantæ, unum tantummodò crescit; quia quod primum germinat, cæteris alimentum absumit. Promoventur tamen deindè ad novum uterum tanquam ovarium, quod ex gemmulâ, plantâ crescente, nascitur.

281. Facile nunc explicamus, quomodo planta ſuccum ab extrà aſſumat, & quaſi attrahat: Cum enim, juxta *num.* 221. aër, â materiâ cœleſti preſſus, ſurſum premat aquam, faciatquè intrà fiſtulas ſursùm aſcendere, corpus autem plantæ ſecundùm ſtipitem, corticem, & medullam ſit penitùs fiſtuloſum, quid mirum, ſi per ipſum humor aſcendat: Non tamen aſcendit quævis aqua promiſcuè, ſed quæ ad poroſitatem radicis proportionata eſt, ut facilè admittatur. Radix enim eſt quoddam cribrum, quô alimentitia ſubſtantia, ſit nè idonea an minus, in principio ante omnia examinatur.

282. Facilè etiam oſtendimus, quomodo ſuccus intrà plantam percoletur, ſubtilizetur, aſſimiletur, & in ſubſtantiam tranſeat. Nam ſicut alterno motu cordis Syſtoles, & Diaſtoles, ſanguis animalis circulatur, & per anguſtias venarum arteriarumque capillarium, aliaque organa proportionata, percolando diſponitur: ita alternatione dierum ac noctium, frigorisque & caloris, identidem ſuccus plantæ, per varios ductus, agente etiam vi elaſticâ aëris, per utriculos, nunc transfunditur, nunc refunditur, donec aptè diſponatur.

283. Accedit, quod materia ſubtilis vim habeat maximam aſſimilandi ſuccum, ſtagnantem intrà poros corporis, per quod ipſa tranſit, ita, ut partes minimæ ſucci, partibus minimis corporis, quàm ſimillimæ fiant, quia videlicet dum

dirigit

dirigit vias ſuas per partes corporis, eaſdem continuat in ſucco, qui occurrit & obſtat. Accipe analogiam, ſi chartam acubus, in figuram crucis perforatam, ſupponas alicui plano, eiqúe tenues arenas affundas, arenæ illæ per foramina chartæ defluentes planè ſimilem figuram crucis efformabunt in plano ſubſtrato.

284. Partes autem humoris heterogeneæ, partibus plantæ heterogeneis ſimiles, ſimilibus ſpontè adhærent, & filatim, ſicut in panni textura, ad complexionem coëunt: ita aqua aquæ facilè miſcetur, non aqua oleo: ex filis laneis laneam telam, non ex laneis & lineis facimus. Cujus cauſa eſt, quia minimæ & inſenſibiles partes, in diverſis corporibus, diverſas habent figuras, ſitus, motus, magnitudines, ut plexum concordem & meatus ſociabiles non admittant. Atque exinde liquet, cur fiat illa materiæ diſpenſatio, ut ſolidiora ſolidioribus, mollia mollioribus adhæreſcant, aliæ particulæ ſucci, ligno, plantæ, aliæ cuti, & carni ſocientur, in augmentationem totius plantæ.

285. Quod reliquum eſt de plantæ magnitudine, ac figurâ, ſicut & partium ejus, filorum, ſurculorum, gemmarum, florum, in primogenium ſemen referendum eſt: quod aliud non eſt, quàm inſenſibilis quædam plantula, potentiâ vegetans, non actu. Colores

demum, ſapores, odores, in partium minimarum figuram, magnitudinemque, & exinde conſequentem plexum, ac ſuperficierum aſperitatem, vel lenitatem, eſt referendum: prout diximus. *Numer.* 223. 226.

286. Collige omnes plantæ proprietates, & actiones vegetativas, per formam modalem, ſivè animam reſpectivam, quæ eſt modus totalis, ex partialibus reſultans, explicari poſſe, prout reipſâ jam explicuimus: cum tamen per animam abſolutam, quam cæteri fingunt, nihil omninò dicatur. Nimirum omnes actiones vegetativæ per motus locales, tantùm ac neceſſariò, peraguntur, ad quos nihil prorſùs confert anima abſoluta; quia id fieri deberet determinativè, vel modo proprio corpotibus, & impulſivè; cum tamen forma illa penetrans nullum corpus contingere poſſit, juxta *num.* 238. 213. 176. vel fieri deberet modô propriô ſpiritibus: de quô *Num.* 194. *& ſeqq.* cum tamen forma illa per adverſarios ſit materialis utique, quid igitur ſtat ibi forma otioſa & iners?

§. IV.

§. IV.

De Ente ſenſitivo, opere 5ti & 6ti diei.

287. S. Auguſtinus Quæſt. 57. Scribit, incompertum ſibi eſſe, an anima bruti ſit corporea, an propriam habens ſubſtantiam, an poſt corpus ad nihilum redeat, etſi certum ſit eam deficere cum carne. Non vidit ergo S. Doctor argumentum, ex quô poſſet certò concludere, animam brutalem eſſe ſubſtantiam, quæ propriè & immediatè creata ſit. quod ſubſtantiæ eſſentiale eſſe noverat, uti nos oſtendimus, ſuprà *Num.* 198. Sicut ſubſtantiæ ſoli congruit, ſi deſinat, annihilari, cum forma modalis ſolùm deſinat in materiam. Hoc ipsô nempè quod actio creativa ceſſet, ceſſat etiam exiſtentia ſubſtantiæ, ut patet ex ibidem dictis. Suſpendebat ergo S. Doctor in hoc judicium ſuum, & ſaltem non videbat rationem urgentem, quare talis anima ſit ſubſtantia.

288. Ratio autem urgens erit, ſi anima bruti principiet actiones, quales non poſſint, niſi â ſubſtantiâ, provenire: Sunt verò actiones brutorum, admirandæ ſenſationes, externæ & internæ: motus, & progreſſio localis, pabulatio, educatio pulli, prolatio vocum, quibus affectus internos ſignificant, item quo cicurentur & artes addiſcant: Quemadmodum ipſe non

ſemel

ſemel vidi canem, qui ad chelym dexterrimè ſaltitabat, erectô ſurſum capite, inſiſtens poſterioribus pedibus ad ſemiquadrantem horæ, prioribus manuum inſtar ad pectus compoſitis, & togâ indutus. Quæritur ergo an ex hujusmodi actionibus rectè inferatur anima bruti, quæ ſit ſubſtantia ? an verò intellectus erroneam hujuſmodi concluſionem formet ex eo, quod iſtas actiones videamus.

289. Et quidem verum eſt, ſenſus in ſuis propriis actionibus non errare : quia ſenſus ſemper moventur ita & afficiuntur, ſicut objectum eos immediatè attingit, & ſicut objectum eis communicatur. Baculus in aquâ fractus apparet, quia videtur per lumen reflexum immediatè : reflectitur autem lumen refractè, ergo refractè afficit oculum, eô ſcil. modô, quô baculus communicatur ſenſui, de quô opticos conſule. Similiter ſylva remota apparet cœrulea, cum ſit viridis : quia ſylva in magna diſtantia, reflectit radios luminis divaricatos, & â ſe invicem magis magisque recedentes, ita ut eminùs ipſi minùs continui maneant, & quibus umbræ includant : & ideò procul iidem radii, ſic magìs commixti cum umbris, reddunt modum coloris cærulei, qui propè ſylvam magìs inter ſe continui, modum coloris viridis habent : ergo ſemper imprimitur ſenſui viſio, qualiter objectum immediatè ei ſiſtitur. *vide Creaturam corpoream de coloribus.*

290. At-

290. Attamen intellectus errat in afferendo quidpiam ex operatione ſenſuum, quod cum uſu ſenſuum non eſt connexum in eſſendo, etſi ordinariè ſit connexum in exiſtendo. Sic in dictis caſibus errat intellectus judicando aliter ac eſt. quia judicat de ſubſtantiâ, cum ſenſus occupetur circa lumen reflexum, illa duo verò licet ordinariè connexa ſint in exiſtendo, non tamen in eſſendo, exiſtentia verò mutat ſuum modum, in caſu refractionis, & ſic intellectus decipitur. Sic errat, qui in Euchariſtia judicat adeſſe panem, quia hoc accidentia, ſenſuum judiciô, indicant. Ordinariè enim talis ſubſtantia cum talibus accidentibus connexa eſt quidem in exiſtendo; ſed quia non in eſſendo, ſivè eſſentialiter, poteſt fieri aliter, & intellectus decipi, non ſenſus.

291. Similiter in eô errat intellectus noſter, dum judicat, juxta experientiam ſenſuum, bruta dum ſentiunt, objecta ſenſuum cognoſcere, ſicut nos. Nos enim quidquid ſentimus, etiam intelligimus illud ipſum, & ipſam ſimul ſenſationem. Jam dum videmus colorem viridem, ſimul colorem viridem intelligimus, & ſimul intelligimus nos videre illum colorem, juxta legem phyſicam, de quâ *Num.* 183. 184. Contra fit in brutis, quæ audiunt, vident, currunt, comedunt, appetunt: non tamen cognoſcunt, ſe audire, videre, currere, comedere, neque harum actionum objecta cognoſcunt; quia potentiam cognoſcendi nullam habent.

Et audire eſt cognoſcere, etſi
abſit actus reflexus

292.

292. Hinc factum est, ut gravissimè errarent Hæretici, Manichæi, Albigenses, Samaritani, Luciferani, Arabes, Elcesartæ, circà animas hominum, quas ab animabus brutorum aut non omninò, aut parum admodum discernebant: scil. ex operationibus externis, quas brutorum & hominum planè similes, & easdem supponebant, de internis potentiis judicabant atque concludebant, animas hominum aut esse materiales, uti sunt brutorum, aut animas brutorum esse spirituales, uti sunt hominum. Sed error erat in suppositio antecendentis. Tametsi enim actiones sensuum, secundùm se ipsas, formaliter non differant in hominibus ac brutis; imò in his propter meliora organa, sæpè perfectiores sint, quàm in illis, attamen respectivè differunt totô cœlô, quatenùs *sc.* in homine conjunctæ sunt actionibus mentis, in bruto minimè. Mens autem & sensus diversa sunt valdè, & ex unius generis actibus duplicis generis potentias inferre non debemus.

293. Facta est itaque istis Hæreticis illusio huic similis. Erat artifex, qui fabricârat machinam horologam, inclusam ligno, exterius in figuram & picturam canis Anglici, adeò dexterè, sculpto, ficto, & efformato, ut identidem nictaret oculis: quod opus cum præ foribus suis collocâsset, transeuntes resiliebant frequenter, quod canem in se insultum parare, ex volutatione oculorum, arbitrarentur. Aliàs vidi simiam similiter fictam, quæ utrâque manu pulsabat tympanum, movebatque oculos

non tantùm, ſed vertebat totam faciem in partem circuli, & labia, velut loquens, claudebat & aperiebat, tanquam coronam circumſtantium ad ſua caſtra invitans: jurâſſes, non tantùm eſſe ſimiam vivam, ſed etiam hominem. error tamen erat, quia plus erat in conſequente, quàm antecedente.

294. Videamus igitur, quouſque actiones ſenſuum brutalium aliquid de potentiis inferre poſſint. Primùm igitur, ſenſuum actiones non arguunt formam abſolutam. Quid enim eſt potentia ſentiendi? Eſt *potentia recipiendi ſpeciem ab objecto extrinſecùs occurrente*, vel patiendi affectionem vel impreſſionem, ab objectô extremo profectam, *cum potentia activâ movendi appetitum.* Duo ergo involvit ſenſatio. Potentiam paſſivam ſpeciei naturalem; & iterum potentiam activam determinandi potentiam appetitivam ad motionem circa bonum aut malum. Eſt enim potentia appetitiva potentia naturalis, quâ ſubjectum ſentiens movetur vel ad bonum, vel â malo: vel *quô animal convertitur ad bonum, & avertitur â malo ſuo.* Malum autem eſt, *quod tendit ad deſtructionem, bonum, quod ad conſervationem.* Senſus ergo habet ſe paſſivè & activè; appetitus paſſivè tantùm, in quô â voluntate liberâ differt.

295. Nihil horum requirit formam abſolutam. Nam impreſſio ſpeciei non poteſt fieri, niſi in organo, ad hoc aptè diſpoſito, ut figuram capiat: Cujus analogia eſt in cerâ reſpectu

ctu ſigilli, imò in charta reſpectu characterum. Non poteſt autem hujusmodi figura materialis vel ſcribi vel imprimi ſubſtantiæ, quæ ſit naturaliter penetrabilis, nec animæ rationali quidem: quæ propterea propriè & formaliter non ſentit; ſed homo ſentit per organa, ſivè per potentias organicas: Intelligit autem per intellectum homo, non ſolùm id ipſum quod ſentit, ſed etiam ipſam ſenſationem, quoad *an ſit*, etſi non plenè quoad, *quid ſit*. Quarè non potes ſcribere in aquâ, aut ſculpere in aëre? vides requiri certum organum, & nihil aliud, quod fruſtrà fingitur.

296. Similiter ipſa figura impreſſa, ſivè ipſum organum ſpecie affectum, vel ipſa potentia ſenſûs determinata vel actuata, per ſe ipſam ſufficit ad determinandam appetitivam ad motum, quæſo quarè non? hujusmodi certa actuatio ac habitudo ſivè modalitas determinat creatorem ad infundendam animam, eamque diſſociandi rurſùs in morte; & hujusmodi infinita, cur non & potentia viſiva, inſtructa ſimili ſpecie, poſſit? præſertim cum ſic fieri in homine ſupra jam oſtenderimus *Num.* 195. 196. & 197. Denique potentia appetitiva determinari poteſt ad motum, etſi non ſit ipſa, niſi aliqua modalitas animalis, juxta modum explicatum in iiſdem locis citatis.

297. Po-

297. Porro ſicut potentiæ ſenſitivæ determinant appetitivas, ita appetitivæ progreſſivas. Canis ergo, de quo *Num.* 288. appetebat edulium ſpeciebus excitatis per muſicam, & cohortationem heri ſui. Senſatio ergo externa movebat internam; hæc appetitivam; hæc potentias loco-motivas, ac progreſſivas: cujusmodi progreſſio, quædam itineratio ad epulum erat. Nec difficulter explicatur cicuratio, & quomodo artes addiſcant. Docebis plantam, ut fructus alienos germinet? Ramos ejus inflectis & curvas, dum teneri ſunt; & ſic quaſi habitibus novis imbuis: cur non cerebrum ita flecti corrigique poſſit? dum prolem pariunt matres humanæ, mutantur in corpore, ut ſanguis eis tranſeat in lac; quarè non ſimilibus modis ferinæ: præſertim cum, ſicut intellectus humanus imbutus eſt potentiis quibuſdam univerſalibus, ad intelligenda prima principia, quæ certis in circumſtantiis, tranſeunt in actum; ita beſtiæ quibuſdam ſpeciebus & affectibus potentialibus inſtructæ ſunt, uſui futuris, ac determinandis, in tempore ſuo.

298. Sed age ſymbolizationem ſenſûs & mentis diſtinctiùs exponamus. Potentiæ ſenſuum in homine dicuntur cognoſcitivæ. & rectè, quia ad cognitiones mentales, tanquam earum principia concurrunt, modô expoſitô *Num.* 183. 184. At in brutis abuſivè ſic appellantur: quia in his, illô modo principiandi carent, rectius *informabiles* appellandæ. Sic

communiter dicunt actiones ſenſuum uniri, in homine, animæ rationali, & Phantaſmata depurari, ſpiritualizari, &c. Quod non habet cum ſenſum, quaſi figuræ ipſæ corporeæ infiganrur, aut reipsâ uniantur ſpiritui, qui ingens error eſſet.

299. Sed Phraſis iſta ſignificat, quod ſenſenſatio determinet intellectum, ad cognitionem mentalem, ſenſationi analogam, ut ſæpè diximus: ſicut etiam, quod partim motio appetitûs, partim intellectio, ſic excitata, determinet voluntatem, ad affectus voluntativos, circâ bonum & malum, cum analogiâ ad appetitum. Sicut *per Num.* 294. Senſus ſe habet activè & paſſivè, ita intellectus in homine, patitur intellectionem ſenſationis, & activè determinat voluntatem, ad affectus. & ſicut potentia appetitiva ſolùm patitur motum proſecutivum & averſativum, ita voluntas quatenus analogizat cum appetitu, ſolùm patitur affectus quoſdam invitè, & ſæpè reluctando, ut S. Paulus fatetur & queritur: & hæc eſt potentia patiendi, ſecundùm quam ſpiritus torquentur in inferno, & oblectantur in cœlo.

300. Attamen voluntas non ſolùm paſſivè ſe habet, uti appetitus, in quô eſt ingens differentia, ſed etiam activè, quatenùs agit liberè, dum ſeſe ipſa determinat: quam potentiam juxta Tridentinum utique exercet in actibus meritoriis: ſicut paſſivam in ſuggeſtionibus Diabolicis,

bolicis, & gratiis prævenientibus. *Lege Num.* 186. Libera volitio neceſſaria eſt ad diſcurrendum : oportet enim attendere, applicare potentiam, conſiderare media, quô modo ſe habeant ad concludendum : alia interdum inquirere, inventa aliter diſponere, &c. juxta *Num.* 179. Quam libertatem quia bruta non habent, ideò nequeunt diſcurrere. Quod non habeant, ex eo liquet, quod nunquam eligant bonum minus, præ majore; & eodem ſemper modo, in agendo procedant.

301. Hinc evidens eſt, operationes animæ noſtræ toto cœlo diſcrepare ab operationibus bruti. Nam Imo. Anima influit quoque in actiones vegetativas, & animales, & ad dexterrimam coordinationem, conſtructionémque ſpecierum, & memoriam comparandam, per *Num.* 197. & 234. deindè intelligit & cognoſcit verum, quod nequeunt bruta. Imò loquitur per directionem conceptuum. *Num.* 181. Denique hæc & ſimilia poteſtativè ac liberè facit : quæ libertas planè non pendet â rebus corporeis, ſivè â phantaſmate ; niſi quatenus intellectus prærequiritur, & ſecundùm potentiam apprehenſivam ſaltem, â phantaſmate pendet. Unde ſequitur, quia in operando, modô etiam ſuo nobiliſſimo, non requirit conſortium corporis, etiam non requirere in exiſtendo ; & ideò in morte ſeparari quidem ab eo, non tamen mori ipſam : quia exiſtentia ſemel habita determinat

nat ad conſervationem, ſi hæc fruſtranea non ſit.

302. Collige demùm animam materialem abſolutam non poſſe concurrere ad actiones ſenſitivas: neque modo ſpirituali, ut anima rationalis, *Num.* 194. *& ſeqq.* quia non cognoſcit, neque corporeo. *Num.* 238. 213. cum nihil poſſit contingere, æquè ut forma vegetativa, de quâ 286. Sed dicunt aliqui, non intelligere quidem, ſed tamen cognoſcere cognitione aliquâ materiali, & intendere finem materialiter. Sed quid hoc eſt aliud, quàm terminus nihil ſignificans? vel enim cognitio materialis eſt reverâ aliqua expreſſio veri, & quædam cognitio mentalis: vel eſt cognitio ſolùm apparens, quatenùs ita agit brutum, quaſi cognoſceret: vel quod ibi interveniat cognitio, non bruti ipſius, ſed Dei, ſic dirigentis brutum: vel quod reverâ ſit aliqua actio media inter cognitionem & ſenſationem, quæ ſit omni ſenſatione perfectior; ſitque quaſi cognitio aliqua, ut ſic dicamus, ſylveſtris & degenerans.

303. Sed horum nihil ſubſiſtit. Non primum. Quia brutum ſic reverâ foret animal rationale, & hæreſin defenderes manifeſtam. Secundum non meretur hoc nomen, aliàs in figmenta illa, de quibus *Num.* 293. materialiter viverent: quod quis dicat? Tertium verum eſt, quod ſcilicet actiones bruti arguant miram ſapientiam, & potentiam in creatore, qui habet omninò ſuos fines; ad quos easdem actiones

nes ipſe dirigit, etſi non ipſum brutum dirigat, ut ſuas operationes: ita ut brutum potiùs agatur ad finem, quàm agat. vel agat ad finem intentum â Deo, non intentum â ſe: Si hoc, ergo velis dicere per materialiter cognoſcere, vel materialiter intendere, per hoc tamen non probas animam bruti eſſe ſubſtantiam. Ultimum de actione mediâ minimè ſequitur, & nominari vel explicari non poteſt hujusmodi actio, quid rei ſit & cujus potentiæ?

304. Non ſequitur autem hujusmodi actio media, quia *inferunt* tales operationes ſolùm talem formam, vel animam modalem, conſiſtentem in coordinatione, & ſub ordinatione talium potentiarum organicarum, ex quibus una totalis & ſubſtantialis forma reſultat, prout explicuimus, & oſtendimus *Num.* 200. formam vero abſolutam, quæ ſit ſubſtantia, adeò non inferunt, ut nec poſſit quidem creari talis ſubſtantia, quæ hujusmodi actiones immediatè & per ſe exerceat, & ſit materialis, juxta ibidem dicta. Quin imò anima etiam rationalis defacto, actiones hominis animales, directè & per ſe, non influit, ut vulgus malè ſupponit, ſed ad eas (directè & ſecundùm ſe) impertinenter ſe habet: quia non tangit ſua organa, & ſic non movet per ſe completè, ut ſæpe & ſatis clarè oſtenſum eſt.

305. Quæres, quidsi ergo Deus animam rationalem, in corpore sano, annihilaret? Resp. abstrahendo ab implicantiâ morali, id fieri quidem potest, tunc autem corpus humanum esset animal truncum, in statu non naturali, sed portentoso existens: reverâ tamen non esset homo, sed brutum, quasi embryonicum, quod actiones animales & vegetativas nihilominus exerceret; quia ad hoc potentias retineret in prodigioso illo supposito.

306. Simpliciter tamen & absolutè hujusmodi annihilatio implicat: quia tale animal supponitur subsistere, cum actiones sint suppositorum, & tamen reverâ non posset subsistere, quia non haberet ultimam perfectionem & formam, ad quam ordinata est talis machina: sed esset animal truncatum, & potius frustum animalis & truncus hominis: opera autem Dei perfecta sunt. Nimirum tales actiones & organa requirunt sociari cum principio intellectivo. Nam corpus hominis est nudum, indigens vestimentis: est delicatum, requirens somnum & quietem in lecto, opus habet cibo cocto, & potu conveniente &c. Sinè potentia autem intelligendi & discurrendi non posset sibi hoc animal parare vestes, ædificare domos, coquere cibos, ideoque mox periturum esset: ergo opus nobilissimè paratum non posset consistere & durare: cujusmodi nugatoria proinde actio Dei est impossibilis.

307. Col-

307. Collige demum ex dictis, actionem vitalem consistere partim in actione, partim in passione, juxta *Num.* 294. 299. 300. & esse *exercitium substantiæ agentis in se & patientis à se.* Potentiam vitalem autem, *potentiam naturalem substantiæ agendi ac patiendi in se.* Aliam esse materialem, ut plantæ & animalis, aliam spiritualem, ut Dei & spirituum. Quæ profectò in genere proximo non sunt univoca; Quia vita materialis est potentia corporis, & quidem organici. Spiritualis autem est spiritûs: ergo analoga, coveniens in genere remoto, differens in proximo. Ignis non vivit, quia non est substantia perfectè mixta, neque organica.

: (o) :

SECTIO V.

De Cauſis Entium.

§. I.

De cauſis & cauſalitatibus earum univerſim.

308. PRincipium entis eſt varium, & multiplex, quod generatim definitur, *Unde aliquid incipit eſſe, fieri vel cognoſci.* Horum aliqua dicuntur cauſæ, ſcil. *Principium â quo, Principium ex quo, principium per quod, principium propter quod.* Principium â quo, ſivè *â quo primum incipit motus*, eſt cauſa efficiens: Principium *ex quo aliquid fit, ita ut inſit, eſt* cauſa materialis: *Per quod aliquid eſt* vel conſtituitur, eſt cauſa formalis: *Propter quod aliquid eſt*, eſt, & cauſa finalis nominatur, quæ omnia adeò clara ſunt, & ita ſufficiunt ad explicanda omnia, quæ huc ſpectant, ut non niſi caliginem offundant, qui alias formare definitiones inconſultè laborant. Tametſi verò ex mente Philoſophi hæc ſpectent ens phyſicum, ſeu corpus naturale, poſſunt tamen latiùs etiam ad alia adhiberi.

309. Exemplum cauſæ efficientis eſt, E. G. Architectus, â quo primo incipit fieri, & eſſe, domus: Cauſa materialis ſunt ligna & lapides,

ex

ex quibus conſtruitur domus, ita ut maneant in ipſa domo. Cauſa formalis eſt illa ſymmetria, diſpoſitio & ordo materiæ, per quam ſtrues illa ponitur in eſſe domûs, & differt ab omni, quod non eſt domus. Cauſa demum finalis domûs eſt habitatio, ſivè aptitudo, ut illa congeries rerum ſerviat ad hoc, ut homo cum familiâ ſuâ commodè in illâ morari, & vitam ducere poſſit.

310. Hujus mundi corporei cauſa efficiens eſt DEUS, mundi creator: â quo primo ejus exiſtentia habet ſuam originem. Materia ejus prima eſt corpus *inſenſibile*, & ſubtiliſſimum, quod ſemen vocavimus: ex quo productum corpus globuloſum, quod ſubtili commixtum, compoſuit corpus luminoſum, ſivè cœleſte, aut elementum ſecundum. & ex hoc elemento ſecundo eductum eſt tertium: ex tertio elementa vulgaria, & reliqua mixta; ita ut ſemper præcedat, quod ſit materia ſequentis, cum in eo, ut materia, inſit, ſed deſinat quoad formam, quæ eſt ille modus materiæ primus ac ſubſtantialis, per quem corpus coexiſtens eſt id, quod eſt, & omne aliud non eſt. Finis eſt gloria DEI, & creaturæ beatitudo, prout ſuprà explicuimus, â *Num.* 245. *& deinceps.*

311. Advertendum verò eſt hîc, quod dicit Ariſtoteles de motu, quod ſit *Actus entis in potentiâ, prout eſt in potentiâ:* ſivè quod motus ſit quædam exercitatio & actuatio entis, non quatenus habet actum, ſed quatenus eſt in viâ

ad actum. Nimirùm actus est quies subjecti; motus, via ad subjecti quietem: quies verò sivè actus dicitur aliàs â Philosopho συντελέχεια perfectio, forma: id videlicet, per quod subjectum perficitur, actuatur, formatur. cujus privationem priùs fuerat passum, & quô habitô quiescit. Sic ex homine musico, inquit Aristoteles, fit musicus: Musica enim est actus, cujus privatio præcesserat, & quâ acquisita perfectior fit homo, sublatâ imperfectione, quæ in non musicâ, & in privatione musicæ, sita erat.

312. Hujusmodi actus Entis nobilissimus, & universalis est existentia: quâ acquisitâ ens, de merè possibili, fit existens; Nimirum non existentia erat privatio existentiæ, quæ per existentiam tollitur; ut manifesti erroris convincantur, qui sibi persuadent, ex merô non ente fieri ens, per existentiam. Nam existentia est actus entis, ut fatentur: ergo non existentia est privatio: privatio autem est alicujus subjecti capacis: subjectum autem, quod privatione laborat, non potest esse merum non ens, & merum nihilum, quia quod privatum est aliquo actu, aliquid esse debet. Patet in exemplo Aristotelico, quô fit musicus, non ex non homine, sed ex homine, non musico. Ita planè ex Ente non existente fit ens existens, quod ens erat privatum existentiâ, sicut homo erat privatus musicâ. Et hic est sensus, quô quidpiam creativè fit ex nihilo, ut suprà diximus.

313.

313. Alius actus non entis universim, sed entis corporei, & materiæ physicæ, est forma substantialis, qui & actus primus, principalis ac substantialis dicitur: quod illô acquisitô, cujus privatio præcesserat, materia illa physica (quia non loquor tantùm de materiâ primâ) fit tale corpus primò, per se, formaliter, & immediatè, & ab omni non tali discernitur: de quô multa diximus & demonstravimus *num.* 245. *p. conseqq.* Alius actus corporis sivè subjecti corporei est quantitas, sivè mensurabilitas, aut magnitudo molis in longum, latum, & profundum: de quo *Num.* 200. ubi & ostendimus, hujusmodi formam non esse nisi modalem: cum nihil tam ridiculum esse possit quèm creari magnitudinem, quæ non sit alicujus rei magnæ: mensurabilitatem absque re mensurabili, longitudinem, latitudinemque, per quam tamen nihil sit longum, nullum subjectum latum, nullum corpus profundum: apage stultitias hascè!

314. Alius prætereà actus est qualitativus, sivè qualitas, quâ corpus de non tali fit tale; Et hic, sicut antecedens, dicitur secundus vel secundarius, adveniens enti constituto jam in actu suo primo, substantiali & specifico: cujus species aliquot enarravimus *Num.* 216. Quamvis ex ibi dictis facilè appareat, hujusmodi qualitates alterativas propè esse in infinitum multiplices. Denique actu locativam, sivè formam ubicativam, â *Num.* 221. exponere cœpimus.

Tan-

Tandem in hoc ultimo actu fundati cæteros *Num.* 244. diximus. quod consideranti experientias obscurum esse non potest. Unde fortè est factum, ut cæteros omnes ab hoc ultimo, quem omnes involvunt, communi appellatione, nonnisi motus vocarit Philosophus, scilicet dum sunt in fieri & procurantur.

315. Actus enim prædicti acquiruntur motibus, quos aliàs, universaliore nomine, actiones vocamus. Nam motus ad substantiam, ad quantitatem, ad qualitatem, ad locum, non sunt nisi actio generativa, augmentativa, alterativa, loco-motiva. Porrò solius causæ efficientis proprium est agere: quæ propterea activa, & actionalis, vel actuativa, dici potest: sicut actio est quædam subjecti actuatio, actûs procuratio, completio. Causa materialis non agit, sed patitur, cum ex ea formam effectiva educat, fiatque corpus, cui ipsa materia inest. Formalis similiter nihil agit: sed est ipsa forma & actus, quô quidpiam fit. Finalis non agit, sed impellit efficientem, si hæc mentis est compos.

316. Actiones diversæ diversas causas efficientes demonstrant. Primæ notæ est Creatio, quæ terminatur semper ad ens absolutum, & DEO soli congruit, ut dictum est. Secundæ notæ est Generativa, quâ, quia & creatur materia, & educitur forma, meretur dici complexa, ut ratione prioris pertineat ad DEUM solum, ratione posterioris corpori quôque congruere possit.

possit. Tertiæ notæ est augmentativa, quâ efficiens causat adjectionem partis ad partem. Quartum locum alterativa, & quintum locativa occupant. Quibus causa efficiens & disponit ad generationem, & ipsasmet reliquas actiones peragit. Actionem loco-motivam quomodo exerceat Angelus, Anima, Corpus, dictum est: scil. determinando DEUM ad creandum in lineam fluentem; Eô modo, quo sacerdos consecrans determinat Christum, ut se ipsum ibi replicet: in quâ actione tamen sacerdos agit, & ab illo est præsentia Christi, sicut motus est ab Angelo, Animâ, &c.

317. Actionem vitalem non debeo immemoratam transire, sitam in eo, quod subjectum actuet, ac perficiat se ipsum; Vivit enim formaliter planta, quatenus organicâ formarum partialium mixtione, ac subordinatione, succum ab extra haustum, sibi assimilatum, incorporat. Sentit animal per hoc, quod impressione intrinsecùs acceptâ, se ipsum movet ad prosecutionem boni sui, & fugam mali. Spiritus verum sibi exprimit, & ad boni amorem, malique odium se actuat: Quod facit DEUS actuatione substantiali, indefectibili, æternâ. In quibus omnibus plus analogiæ, quàm identitatis univocæ apparet. Ignis vitâ caret, cum nec sit corpus organicè mixtum, nec agat propriè in se.

318. Agit causa in causam, dum eadem ad agendum determinat, dum movet loco, vel retinet.

tinet. Dum Angelus Angelum vel abigit, vel sistit, & alligat loco, velut incarceratum; dum ei loquendo cognitionem imprimit, vel dolorem voluntati infligit: Dum Dæmon sollicitat voluntatem humanam ad peccatum, aut bonus Angelus, vel DEUS, ad bonum impellit. Non ideò tamen causa creata agit in DEUM, dum eum sibi ad concurrendum associat, ut fit in motu locali, juxtà sæpius dicta. quia DEUS tunc determinatur, juxta proprium sui ipsius decretum, non cum violentiâ ac necessitatione.

319. Patet ex dictis, varias esse causarum spècies: Partiales, totales, universales, particulares, generativas, alterativas, viventes, non viventes &c. Nullius tamen causalitatem esse creativam, præterquam DEI. Cum nullius effectus sit absolutus. Licet enim post plures actiones, & effectus causarum secundarum, tandem resultet corpus, istud tamen eatenùs solum est absoluta substantia, quatenus primam materiam involvit, â solô Deô creatam; Cujus actio maximè propriè influxus dicitur, cum creatarum causarum actuationes solummodò resultatoriæ dicendæ sint.

320. Præter easdem creaturarum actiones reverà nulla alia nobilior est, quàm vitalis. quâ causa suam vitam exercet, & est ad intrà. Unde quidam non arbitrantur, vitam communi nomine actionis exprimendam esse. Hinc & actio DEI creativa, ad extra tendens, propriè quidem

actio

actio appellatur; Non tamen vitam DEI, ad intrà tendentem, temerè volunt actionem dici debere, cum hac appellatione nobilius quidpiam contineat, utpotè quâ vitâ processiones personarum fiant, ineffabili mysterio.

321. Nam Pater æternus, in quo tota Deitas, cum plenitudine omnis boni, primùm subsistitur, cum vivat intelligendo, eandem vitam intellectualem ita perfectè exercet, & actuat, ut eam faciat speciali modo compleri, terminari, atquè subsistere: Atquè eô factô videt vitam, totamque naturam suam individuam subsistere, non solùm suâ propriâ subsistentiâ Patris, sed insuper aliâ novâ Verbi sui intellectualis, & ideò unam Deitatem suam in duabus Personis. Deinde Pater & Verbum, cum item vivant volendo, eam vitam voluntativam ita, admirandum in modum, actuant, perficiunt, complent, terminant, ut rursùm aliô modô, eam vitam faciant subsistere immediatè. Quæ proinde compleat realiter eandem simplicem Deitatem Patris, quæ & eadem est Verbi, & ideò eandem Deitatem subsistere tertiâ quoque subsistentiâ; Ut sit & maneat DEUS unus & idem individuus; sed ter subsistens. Si viveret pluries, pluribus personis subsisteret. Non vivit per omnipotentiam; quæ est ad extrà. Unde per eam non fit nova personalis processio. Nota admirandum mysterium vitæ.

§. II.

§. II.

An concurſus DEI neceſſarius ſit ad omnem actionem cauſæ creatæ.

322. Quæſtio procedit de cauſa efficiente, cujus ſolius cauſalitas eſt actio, juxta dicta nuper *Num.* 315. Verum tamen eſt, etiam reliquas cauſas cauſare phyſicè, & eſſe cauſas phyſicas, contra frequentem errorem vulgi, exiſtimantis, per cauſam phyſicam intelligi effectivam, quaſi reliquæ non eſſent phyſicæ. Utique habent cauſalitatem phyſicam, & effectum phyſicum, ſed talem, qualem loco citato *num.* 315. deſcripſimus. Proximè ergo ad harum actiones non poteſt cauſa prima concurrere, cum actionem nullam exerceant: attamen remotè ſaltem concurrit cauſa prima ad harum cauſalitatem, quatenus eaſdem creativè conſervat.

323. Reſpondeo igitur. Primum: ad omnem actionem locô-motivam neceſſarium eſſe concurſum DEI, activum utique, quod ſæpe dictum, & evidenter demonſtratum eſt *Num.* 176. & conſequenter ad actiones quoque alterativas, augmentativas, & generativas, quæ ſinè locativâ non peraguntur: juxta dicta 244. & 214. Undè conſequens eſt, contra Atheos, exiſtere DEUM, cujus Providentiâ, ſapientiâ, & omni-

omnipotentiâ mundus corporeus neceſſariò gubernatur. Sed & mundus Angelicus & respublica tota ſpirituum.

324. Nam & motiones ſpirituum activæ, ſivè fiant in ſpiritus, ſivè in corpora, ſimiliter evenire non poſſunt, absque concurſu cauſæ infinitè ſapientis, quæ motus tales complere debet neceſſariò, idque dependenter ab inſpectione ſecretorum cordis, juxta voluntates & jura ſpirituum, de quo *num.* 194. 195. *& aliàs.* Item locutiones angelicæ, & quæcunque fiunt per directionem conceptuum, ſinè concurſu DEI non poſſunt perfici, juxtà *num.* 177. 180. 181. Denique ad hæc omnia, & quæcunque ſimilia vel diſſimilia ſunt, requiritur concurſus & coactio DEI, ſaltem remota; quatenus omnes res & cauſas creativè in ſuo vigore conſervare ſolus poteſt, ut oſtenſum eſt *Num.* 153. *& ſeqq.*

325. Attamen ſunt nonnulla actionum genera, quæ, præciſiſſimè conſideratæ, concurſum ſivè actionem DEI ſimultaneum ſecum poſitivum, & immediatum, non patiuntur aut requirunt: Cujusmodi eſt illa determinatio, quâ voluntas libera ſeipſam determinat. Sivè ad volendum, ſivè ad quidpiam ſingulari modo cognoſcendum. Nam cum illa determinatio ſit primum, â quo volitio libera & intellectio, vel etiam alia quæpiam actio interna & conſequens, dependet, rectè dicenda eſt exercitium cauſæ efficientis & activæ: quæ tamen eſt ſui

ipsius & solius tantummodò, ut dictum est *Numer.* 186. *& seqq.* Nam si ab extrà esset determinatio, libertatem fundare non posset.

326. Similiter tùm ipsa volitio, passivè determinata, tum intellectiones, etiam passivè determinatæ, quæ suprà potentiam nihil dicunt, nisi determinationem passivam, eò quod sint tantùm potentiæ determinatæ, juxtà sæpius dicta, quatenus præcisè taliter sunt, actionem DEI secum minimè exigunt. Neque enim actio DEI passivè se habere, & passionem juvare potest. Nimirum requiritur tantùm, ut potentia sit determinata. Si ergo determinata jam est aliundè, rursùm determinari non potest. Sed dico præcisissimè tales actiones & passiones sumendas esse. Nam quatenus per volitionem E. g. locutoriam DEUS determinatur, ut id, quod Angelus loquens audientem scire vult, eidem audienti notum faciat, absque dubio termini ipsi ostendunt, DEUM cooperari debere.

327. Item dixi, positivum concursum non esse necessarium. Nam saltem permissivus etiam ad hujusmodi requiritur. Cum illa DEUS, etsi liberrimæ sint creaturæ, possit tamen centum modis impedire. Quo sensu scripturæ dicunt: Cor regis esse in manu DEI. Item si libera actio debeat esse meritoria & supernaturalis, patet talem sinè respectu ad gratiosam coöperationem DEI esse non posse. Demum, immediatum adjeci, quia remotum saltem,

saltem, & indirectum necessariò requiri, per se evidentissimè patet. ergò si cui ista distinctio difficilis fuerit, fortè satius fuerit simpliciter dicere, necessarium esse DEI concursum etiam ad ista, donec aliud urgeat promere major necessitas. præstat namque aliquando loqui simpliciter, quàm subtiliter, quando audiens non est capax.

328. Sed videor negotio lucem additurus, resolvendo illam quæstionem: An duæ causæ totales, totali influxu possint in eundem effectum influere? Resp. enim non posse. Nam eô ipso utraque partialiter agit pro se, cum utriusque actio sit utriusque potentia determinata, quæ conjuncta faciunt actionem totalem ad unum effectum. Sic homo, dum movet lapidem, lapidem tangit, DEUS autem creativè promovet. Si DEUS tangeret, actum ageret, quia hoc homo jam fecit: si homo crearet, actum ageret: quia DEUS hoc fecit. Unde homo solus tangit, quod DEUS non potest: Et DEUS solus creat, quod homo non potest. Utriusque tamen actio consociatur in unam locomotivam.

329. Simili ergo modo voluntas libera se sola determinat ad actum, quod DEUS non potest, ita scilicet, ut creaturæ sit determinatio solius: quia eô ipsô, quod DEUS determinat, jam non sola voluntas creata determinat sese. Vicissim verò DEUS gratiam effundit, quod voluntas creata non potest: attamen simul exer-

cent actum DEO gratum & meritorium, qui est effectus totalis, utrique causæ simul tanquam totali, & unicuique seorsim partialiter, juxta partialem cujusque potentiam respondens. Eccè quomodo singulatim causæ concurrant ad totum, sed non ad singula totius.

§. III.

An quælibet causa possit elevari ad causandum quemlibet effectum?

330. Non quæritur de causis non activis. Nam non omnis finis ad quodvis medium impellere potest. nec ex quâvis materiâ quidlibet fieri: nec ex omni ligno Mercurius sculpi potest: nec per calorem subjectum frigefieri; nec homo peccatis sanctificari. Ergo quæstio de causa efficiente est: circà quam fides docet, voluntatem liberè operantem posse elevari, ad exercendos actus supernaturales De-iformes, supernaturalis gloriæ meritorios: quod fit per mutuam conversionem voluntatum amicabilem, tum DEI ad creaturam, tum creaturæ ad DEUM, juxta illud: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.*

331. Creatura item potest elevari, ad Deum beatificè videndum, & glorioso amore possidendum: quod fit, dum potentiæ mentales, de se ad hoc insufficientes, gratiosè â DEO ad hujusmodi

modi felicis vitæ actus determinantur. Præterea potest creatura, per gratiam DEO liberam, cum eôdem DEO amicitiam contrahere, & amicabiliter agendo, elicere actus tantæ dignitatis, & bonitatis moralis, ut condignitatem habeant, quæ laudentur, amenturque â DEO, & hæreditatis præmiô compensentur; quod per vires naturæ fieri non potest. Quinimò actiones humanæ Christi per ejus personalitatem, bonitatem, & sanctitatem; sortiuntur infinitam.

332. Elevantur quoque formæ & materiæ sacramentorum, ut significent, operenturque effectus gratiæ: eò quod censeantur actiones Christi, cujus nomine fiunt, & â quô ad eos effectus sunt institutæ: quæ operationes sintnè physicæ an morales, quæri solet. Resp. non esse physicas: quia aqua E. g. non habet ad hoc potentiam naturalem, & physicam, quod deberet esse, si operatio physica esset; eò quod actio aliud non sit, quàm *potentia determinata* & actuata, ideoque actio naturalis sit potentia naturalis determinata.

333. Nec etiam est actio moralis: quia hæc est causæ liberè agentis, ita ut laudem vel vituperium mereatur; Sacramenta autem non sunt causæ liberæ, sed necessariò operantur. Restat ergo, ut dicantur actiones sacramentales, agunt-que sacramenta, tanquam instrumenta in manu Christi, ut per ea ipse animas sanctificet, quatenus per illa DEUS movetur, tanquam per

instrumenta, & actiones Christi instrumentales, ad gratias conferendas, sicut aliàs diximus, eum moveri, & determinari, ad motus locales, locutiones angelicas, & similia perficienda, & suo concursu complenda, sed aliis titulis. Sacramentum ergo nihil agit, quia non est ens subsistens, sed per illud CHRISTUS agit, quâ DEUS, determinatus â ministro, per positum signum.

334. An autem quidlibet aliud ad hoc assumi â Christo poterat? Resp. plura assumi potuisse, non tamen quælibet, sed quæ habebant aptitudinem, ad significandam gratiam. Sicut ergo poterat assumi ignis E.g. ad aliquod sacramentum; ità quis putet, ex quôvis Augiæ stabulo quidvis produci potuisse ad effectum sacramentalem significandum? similiter etiam in moralibus & supernaturalibus requiritur, ut in potentia elevanda sit potentia proportionata ad hoc, ut ei combinetur vel conjungatur actio concursiva DEI. Ut actio elevetur ad esse supernaturale, debet esse libera, & agentis liberi. Undè asinus nequit fieri amicus DEI, nec rudendo potest mereri.

335. Sic ergo quia lapis potentiam nullam habet intelligendi, habet tamen tangendi alterum corpus, & loco pellendi, ideò ad contactum lapidis potest DEUS moveri ad corpus ab eo impulsum reproducendi, ad certam lineam fluentem, atquè ita actionem lapidis tactivam ac impulsivam sibi subordinare, ad motum complen-

plendum. non autem eandem actionem potest sibi associare ad hoc, ut lapis intellectionem producat: quia intelligere est agere ad intrà, quod DEUS non potest facere in lapide, & quia lapis potentiam talem in se agendi nullam habet, non potest illam DEUS concurrendo actuare, ac determinare ad actum.

336. Hinc nulla causa creata elevari potest ad creandum. Cum enim nullam habeat causalitatem sivè potentiam activam aliam, quàm resultatoriam, & ens absolutum nullum de se efficere possit juxtà dicta *Num.* 319. *& aliàs*: ideò DEUS nullam etiam potentiam creatam ad hoc determinare vel assumere ad suum consortium potest: quod enim non est, usurpari non potest: & actio esse nequit, ubi nulla est potentia ad actionem. Unde nulla potentia intellectiva elevari potest ad volendum, nec voluntas ad intelligendum, neque vis calefactiva ad frigefaciendum &c.

337. Unde nulla cujuscunque corporis potentia naturalis elevari potest ad actionem vel spiritualem, vel materialem alterius corporis. E. G. Lapis non potest applicari, ut ferat rosas, mera planta ut sentiat; spina ut ferat uvas &c. Cum enim hujusmodi rerum potentiæ sitæ sint in dispositionibus organicis & modalitatibus loco-motivis, in sensu composito & supposito, quod exeant in actum & applicentur, necessariò applicantur secundùm id, quod sunt & possunt. Ita serra non potest applicari ad scriben-

dum: gladius nonnisi pungit & scat: malleus nonnisi percutit: vel ergo talia non applicantur secundùm id, quod sunt, & tunc solus DEUS effectum ponit: vel si applicantur & influunt, possunt tantùm illud efficere, ad quod nata sunt & facta. Atque ex dictis satis apparet, non quidlibet ad quodlibet elevari posse.

§. IV.

An causa possit agere in distans, & quando non existit?

338. Causa finalis quodammodo ageret in distans, si moveret voluntatem absque præviâ cognitione; & voluntas, si ferretur in incognitum, quasi in distans ageret, quod fieri non potest: non tamen hinc sequitur, quod finis non moveat secundùm esse reale, sed cognitum. requiritur enim conditio illa, sine qua non, ut bonitas finis cognita sit. Causam materialem & formalem præsentem esse debere, per se patet: Unde quæstio de causâ activâ rursum intelligi solum potest.

339. Non etiam ad causam activam spiritualem hæc quæstio pertinet. Nam actio spiritûs nec locum requirit, nec â locô dependet; sed ad eam præsentia vel absentia impertinens prorsus est. quod autem ad intellectiones vel locutiones Angelicas præsentia aliqua requiratur, sicut

ſicut dictum *Num.* 178. pendet â lege poſitivâ Dei ſic ordinantis, ad certos fines; non autem ex naturâ talium actionum ſic neceſſarium foret. Poteſt tamen etiam diſtinctius dici, tales actiones eſſe in diſtans, quatenus ſunt præcisè ſolius cauſæ creatæ, non tamen quatenus ſunt Dei concurrentis, & ſic ſimpliciter non eſſe in diſtans.

340. Actiones vitales cum ſint ad intrà, patet non poſſe eſſe in diſtans, ſic enim eſſent & non eſſent quod ſunt. Similiter cauſæ corporeæ, alterativæ, generativæ non poſſunt agere in diſtans, ita ſcil. ut operatio nulla diffundatur per medium, cum tales actiones non peragantur ſinè multiplici motu locali, qui per medium neceſſariò propagatur. Magnes putatur agere in diſtans, quia ejus myſterium, & modus agendi, vulgò neſcitur. Quod tu apud Honoratum Fabri aliosque recentiores reperies. Curationes medicorum, quas vocant in diſtans, non eſſe in diſtans, ſed naturales, ſaltem per ſe loquendo, dubium mihi non eſt. Sed nolo his inhærere, quæ magnam ſylvam verborum requirerent. Sympathiarum & antipathiarum exempla ſat multa in vicino, puta in corpore noſtro, circumferimus.

341. Cauſa non exiſtens cauſare non poteſt. Quia dum cauſa non exiſtit, etiam ejus cauſa-

litas & potentia non existit : Si autem potentia non existit, ipsa determinari & actuari non potest. Dum igitur videtur causa agere, quando cessavit existere, non illud causæ cessanti, sed alteri, quæ recenter succedit, attribuendum est. Ita globus sursum pulsus movetur non ampliùs manu projicientis, sed impulsu aëris eum sursum insequentis : juxta principium suprà insinuatum *Num.* 243. *& seqq.* & alibi de motu librativo. Item de exclusione pullorum ex ovis &c. quæ nimis particularia ad physica deviant.

342. Quæres, quomodo explicandæ sint actiones Thaumaturgæ tum Sanctorum hujus, tum Beatorum alteriùs vitæ ? Resp. ferè eodem modô, quô actiones Christi Sacramentales. Nam sicut humana Christi voluntas, titulô unionis personalis habet in suâ potestate Deitatis omnipotentiam, determinandam volitione humanâ, sic habent Sancti eandem sibi assistentem, titulô gloriæ vel alterius finis specialis. Si igitur volitio humana determinativa fuerit deprecativa (sicut videtur saltem esse in unctione) dicetur actio humana sanctificativa esse moralis : si autem fuerit simpliciter potestativa juxta illud : *Data est mihi omnis potestas*, erit volitio illa veluti naturalis, qualis omninò est voluntatis divinæ, cui naturaliter competit remittere peccata, admittere in gratiam. Utriusque volitionem

&

& operationem totalem, ex partialibus resultantem, Sacramentalem vocavimus, illam ergo Sanctorum satis erit Thaumaturgam, vel gloriosam vocare.

343. Quæres rursum, cujusmodi fuerit causalitas ligni vitæ? Resp. duplici modo potest explicari. Primò, quod fructus ille manducatus juxtà legem physicam, pro illo statu, connaturaliter latam, habuerit vim determinandi Deum, ad concursum pro tali effectu idoneum: sicut sæpè diximus fieri motum localem ex contactu corporis *juxta Num. 176. deindè* si vera sint, quæ narrantur de lapide philosophico, poterat etiam fructus ille specificam hujusmodi virtutem continere. Imò lignum vitæ pro argumento mihi est, quæ dicuntur de lapide Philosophico, fabulosa non esse, cum arbitrer lignum illud cum dicto lapide idem unumque esse; hoc discrimine, quod lignum illud naturaliter & vulgò creverit. Lapis autem nunc rarò admodum, & non nisi per specialem Dei providentiam, interdum in notitiam hominum veniat. Nimirum Lapidem Philosophicum dicunt varios status admittere, ut vertatur vel in liquorem, vel corpus solidum, ut fiat modo potabilis, modo mandibilis, cur non etiam in modum fructûs, aut succi naturalis porari possit? Sed hæc nimis particularia, à meo scopo nunc aliena,

aliena, ſpeciatim proſequi non laboro, qui univerſalibus tantum me occupare decrevi, & quidem quatenus ad dogmata Theologica fundamentaliter & plenè explicanda ſervire videntur, quod & ſufficienter me arbitror hactenùs præſti-



LIBER

LIBER DIALOGORUM

R. D. ALOYSII TEMMIK

CUM

AMATORIBUS VERITATIS

DE

MYSTERIIS

â DEO revelatis,

Quomodo cum vera Philoſophia conſentiant.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [249] - -
PUBLIC DOMAIN

DE EUCHARISTIA.

AGAPETUS.

Gapet. Scripsisti Lamuel in Soliloquio tuo, te velle per ea, quæ ibi tractas, dogmata divinæ fidei stabilire: velim mihi proinde Mysterium S. Eucharistiæ ut digneris exponere: videtur enim multo arcanius & involutius esse, quàm ut per ullam Philosophiam humanis obtutibus patescere possit.

Lam. Soliloquium meum summa tantùm genera continet, eaquè strictim valdè breviterque data: ideò rectè mihi præbes ansam de eisdem pluribus differendi. Et vide, nè plus, quàm ferre possim, meis reculis arroges. Non enim positivè & universim hòc mihi sumo, quasi revelata dogmata naturali scientiâ niti posse contendam. Nosti Agapete, & ego novi aliud esse credere, aliud scire. liberrimè fecit Deus quæcunque voluit, liberrimè & ex iis, quæ fecit, aliqua reticuit, aliqua revelavit. cum ergo scire sit *demonstrativè concludere*, ex principiis scil. necessariis atquè æternis, quomodo ex iisdem potero demonstrare ea, quæ â Deo sint liberè facta, decreta, credenda proposita? Absit â nobis,

bis, Agapete, amentia tanta : sed illud tantùm sum conatus ostendere, veritates fidei nequaquam, ut hæretici blasphemare solent, esse veritatibus scientialibus contrarias, sed cum eisdem exactissimè convenire.

Agapet. Scio Lamuel mentem, scio propositum tuum. Detriumphâsti hæreticos eô ipsô, si eis ostenderis, eosdem evidente carere argumento ad demonstrandum errorem in Philosophiâ, cui quodcunque dogma conforme sit. Nempè aut per summam amentiam ab universali Ecclesia discedunt, aut evidenti debent argumento ostendere, dogma illud cum lumine naturali pugnare, & ideò revelatum esse non posse â Deo. Et quidem, ut ad rem veniamus, circà Eucharistiam ferè innumera reperiuntur hæreticorum deliria, ut indicat catalogus â te mihi nuper exhibitus. Nunc autem contra eos velim te tantum audire, qui realem in Eucharistia Christi præsentiam pertinace vaniloquio oppugnant.

Lam. Hujusmodi furfuris erant Berengarius, Henriciani, Oecolampadius, Calvinus, Carolostadi⁹, Martyriani, Tropistæ, Sacramentarii &c. Sed quibus eorum argumentis cupis me respondere ?

Agap. Accidentia accusant, quæ tenacissimè arbitrantur â substantiâ separari non posse, quod tamen necessarium esse Romana tradit Ecclesia. Sic enim Tridentinum Sess. 13. C. 2. Florent. & Lateranense Cap. Firmiter. §. uno vero, expresè

preſsè docent, *manere ſpecies Panis & Vini deſtructâ eorum ſubſtantiâ.* Manent proinde in Euchariſtiæ myſterio, teſtante Eccleſiâ, entitates quædam incompletæ, quæ ſunt extra ſubſtantiam panis & vini, & extra primarium ſubſtantiarum iſtarum conceptum: ipſi vero chymæricum aſſerunt merumque figmentum accidens extra ſubjectum, quod tamen realis ſit entitas: eſſet enim tale accidens, inquiunt, ens abſolutum, quale per ſe abſolutè exiſteret, & ſubſiſteret: cujusmodi ab annis ferè tantum ducentis excogitatum, toti veterum Philoſophiæ incognitum fuit. Si Averroem excipias & fortè Platonem quoque, qui formas ſubſtantiales cum perhibeatur docuiſſe, etiam accidentales non negaviſſe præſumi poteſt.

Lam. Magis circà ſubſtantias ipſas, quàm circa accidentia laborant, Agapete; Dicuntque penetrari corpora, & localiter replicari, prorsùs ἀδύνατον eſſe. *AGAP.* De iſtis poſterioribus equidem judico te eis feciſſe abundè & ſatis. cum in Soliloq. *Num.* 174. clarè oſtenderis, & quisque, niſi Deum neget, facilè agnoſcere poſſit Deum eſſe liberrimum ad conferendam creaturæ non modò exiſtentiam, ſed etiam quemvis exiſtentiæ modum. Profectò nihil obſtat, quò minus creet quidpiam intrà vel extra ſpatium alterius ſemel vel iterum ac ſæpius in uno vel pluribus locis, dummodò cauſam finalem cur ſic agere velit, habuerit, poteſt continuari exiſtentia rei ab hodie in craſtinum duratione,

poteſt

potest & continuari de uno in alium locum translatione locali, quarè non posset discontinuari utroque modo ? quare non potest id, quod horâ primâ existebat, horâ secundâ â Deo destrui, horâ autem tertiâ rursùm creari ? Si igitur utroque in termino temporis res potest existere & non in medio, cur non in duobus terminis loci, & non in medio ? ubi disparitas ? ubi impedimentum aut vinculum, quo stringatur omnipotens ?

Lam. Rectè, Agapete, discurris: non solùm evidente conclusione non possunt demonstrare contrarium, sed nec conclusione probabiliter opinativâ : Sola eos suspicio tenet, fortè hæc impossibilia esse ; sed hæc ipsa quoque in luce argumentorum tuorum in nihilum evanescat necesse est. Adversus quam tamen eis hunc syllogismum oppono : *Superbum & fatuum est, ex meræ suspicionis motivo & quidem pessimè fundatæ recedere â totâ Ecclesiâ, quæ gubernatur â Spiritu S. & innumeris Doctoribus omni Scientiâ & Sanctitate conspicuis illustratur : hoc faciunt Sacramentarii in hoc Articulo ; quiâ non possunt ullo fundato judicio nos oppugnare : ergo superbè ac fatuè agunt.*

Agap. Circa *penetrationem* magis hærent, quàm circa *replicationem.*

Lam. Responde ergo eis secundùm *Num.* 214. 215. & res eis in salvo est, quamvis noster discursus utrumque æqualiter monstrat in Dei potentia esse.

Agap. Crede, Lamuel, ad alterum illum tuum defendendi myſterii modum etiam orthodoxi riſum reſpondent.

Lam. Sæpè ridemus temerè, donec res nova videtur: non video, cui ſit ridiculum, ſi Chriſtus uti voluit, eô modo, quem in ſeminibus animalium conſueto rerum ordine, creatorem adhibuiſſe certis experimentis docemur. Cœterùm tu eis reſponde licet, communi reſponſo penetrationis, quam tamen aliàs, dum Chriſtum legimus per januam intrâſſe, Lapidem & uterum Virginis penetrâſſe, cum S. Patribus admittere haud dubitamus.

AGAP. Sed dicunt cum penetratione membrorum non ſubſiſtere organiſmum: non ergo Chriſtus habebit corpus organicum: ergo non humanum nec vivens: quomodo ergo erit Corpus Chriſti?

Lam. Huic ſcrupulo perfectè medetur alter meus defendendi modus ex *Num.* 215. Sed tamen quia idem dici poteſt de corporibus glorioſis Beatorum, qui quôvis momentô ſimiliter ſua corpora poſſunt penetrabilia reddere: in quô actu fatendum eſt, ipſorum membra tunc non eſſe organa animæ, quibus ipſa poſſit ullum actum animalem vel ſenſitivum exercere: propterea reſponſio ad hoc directior danda eſt. Concedo ergo, Agapete, in ſenſu ſic compoſito corpus Chriſti non eſſe organum vitale: undè eſt in ſtatu mortuo, in quo nec progredi localiter, nec videre, nec audire, nec loqui,

qui, nec tangere potest: sed est velut agnus occisus, & mactatus, & tamen vivit. Potest nihilôminus anima Christi dicere; *Hoc est Corpus meum* quasi occisum, in statu mortuo, sacrificatum. Sicut anima alia separata dicere potest de suo corpore sepulto & putrefacto: Hoc est meum corpus sepultum, putrefactum &c. quia videlicet in tali statu reperitur per accidens, non per naturam: Per se ergo manet organicum & humanum, unde distinctius ut loquar, est corpus non organicum in statu & quiete suâ naturaliter acquisitâ Nego, in statu præter naturaliter, imò connaturaliter, ex speciali Dei decreto comparato: Concedo. Nimirum Agapete mi; *Natura est Principium motûs & quietis, per quietem* intelligitur actus ille, sivè forma, status, perfectio, quem per motum intendit & acquirit natura. Sic forma substantialis lapidis est quies & actus ille, quem natura parabat, per actionem lapidificam. Sicut ergò lapis non est corpus organicum simpliciter & absolutè, eòquod habeat alium actum naturalem inorganicum, ita si corpus Christi talem statum suum inorganicum haberet tanquàm quietem â naturâ paratam, tunc esset simpliciter & per se inorganicum: Nunc autem est per accidens tale, & ex spontaneo decreto: deindè habet Christus in potestate, quovis momento se restituendi in statum organicum. Undè Christus tanquam Persona simpliciter est homo, est animal, est habens corpus organicum;

Sicut est dives, qui habet pecuniam in cistâ, etsi non in manu: Deindè qui nummum sponte objicit, sed in vicem assumit aureum, non est egentior: ita Christus, etsi in statu mortuo careat usu sensuum, aliundè tamen anima ejus inorganicè & immediatè omnia cumulatè intelligit, quæ per sensus intelligere posset, quæ omnia corporibus glorioſis Beatorum applica. *AGAP.* Non video, quid contra hunc tuum discursum sapienter ab Hæreticis dici possit. Hic enim status cedit Christo in gloriam, quia sic sacrificare se ipsum potuit, & voluit, sic se sacrificando Passionem suam & mortem cruentam significare: & sicut assumendo humanitatem nihil amisit, quod erat, sed factus est quod non erat, ita hoc modo factus est agnus occisus & vitam hominis non amisit. Quoad ista nihil amplius requiro, sed accidentia extra substantiam timeo, ut æquè feliciter monstres. *LAM.* Imò etiam feliciùs & evidentiùs. *AGAP.* Fortè adferes mihi visionem Phantasticam, quali viderunt interdum Prophetæ objecta, quæ non erant præsentia, aut etiam planè non existebant. Sic Paulus vidit arcana verba, nescius tamen, an extra corpus: Sic & Angeli mali organis internis Sagarum imprimunt species, & simulacra rerum, quæ nusquàm sunt. *LAM.* Absit, Agapete mi, absit, ut ejusmodi visionem tibi persuadere cogitem, quâ liceat dubitare de reali præsentiâ Christi. *AGAP.* Etiamsi præsentissimus omnino est Christus in Sacramen-

mento, poteſt tamen apparere ſub alienâ ſpecie, per oculorum diverticulum quodpiam, ſicut apparuit Magdalenæ, & diſcipulis viatoribus, quorum oculi tenebantur, ne eum agnoſcerent. *LAM.* Scio poſteriore hoc modo quoſdam orthodoxos arbitrari, ſe reſpondere abundè. Sed non ita ego: Viſionem oſtendam realem veram, phyſicam, naturalem, nihil ludibrii, nihil inanis apparentiæ habentem. Cedo modò quæ ſunt illa accidentia, quæ tibi rem adeò difficilem tepræſentant? *AGAP.* Video Panis quantitatem, magnitudinem, figuram, colores, ſaporem, odorem; Non eſt Panis; quis iſta capiat? *LAM.* Non omnia recenſuiſti, Agapete; Tangis etiam hoſtiam conſecratam, vides eam agere & pati, humectari, ſiccari, nutrire, frigefacere, calefacere, frigefieri, calefieri. &c. Sed hæc omnia, ut intelligas, quomodo pane deſtructô maneant, ſcire te oportet, quid rei ſint, dum ipſo in pane ſubſiſtunt; Quid igitur in pane eſt quantitas, Agapete? habeſnè exploratum? *AGAP.* Dicunt vulgo eſſe accidens, quod & reliquorum accidentium ſubjectum ſit, quod & D. Thomas docere videtur, qui eam quantitatem dimenſivam appellat. *LAM.* Si ergo reliqua accidentia in quantitate ſubſiſtunt, ipſa quantitas amabo in quo ſubſiſtit? quod enim exiſtit, aut in ſe, aut in alio ſubſiſtat neceſſe eſt: & quod non ſubſiſtit ſibi, & per ſe, ſivè pro ſe, quomodo alterum ſubſiſtere faceret, cùm Ne-

mo det, quod non habet ? quod si quantitas extrà panem per se subsistat, substantia est, sicut quod intelligit mens est. Si non per se subsistit, per quid ergò aliud ? Vides quàm non sit firmum suppositum tuum ? *AGAP.* Dicunt esse accidens absolutum. *LAM.* Sed hujusmodi accidens si per se subsistat, etsi miraculosè id fieri dicas, substantia erit, sicut animal, quod intelligit, homo est. Deinde quid est quantitas Dimensiva Panis, nisi forma, quâ panis mensurabilis est, in longum, latum, & profundum, ? hæc sanè est quantitas molis, & magnitudo Panis est mensurabilitas. An tu verò existimas, posse existere aliquam longitudinem aut latitudinem, aut omninò mensurabilitatem, seorsim extra ullum subjectum, ita ut existat creativè longitudo, dum nullum est longum, Mensurabilitas, dum nihil est mensurabile &c. ? Potesnè capere ambulationem, dum nihil est ambulans ? Scriptionem, dum nihil est scribens &c. ? *AGAP.* Verum ut fatear mihi chymærica hæc semper sunt visa. Sed me juvare in hoc labyrintho haud aliter possum. *LAM.* Audi ergò & verum expandam tibi, tanquam lucem meridianam, in quâ nihil caliginis restet. *AGAP.* Avidissimis auribus auscultо, Loquere, Lamuel. *LAM.* Non igitur quantitas Panis (& cujusvis corporis) est accidens absolutum, quale tu fingis, sed est accidens panis modale, ex ipsâ corporis essentiâ resultans. Nimirum

mirum corpus per se ipsum & in substantia suâ est ens extensum, locum & spatium suum sibi adferens, â quo & aliud corpus similiter extensum excludit, penetrari per se non sustinens; quamvis fieri possit, ut Potentia hæc naturalis, suo actu Physico careat, prout dictum est in Soliloq. 214. Hoc ipsô ergo quod sit extensum quid, & spatium faciat, est mensurabile, est longum, latum, profundum: sic tamen, ut mensurabilitas, longitudo, latitudo, profunditas non sit aliquid potens seorsim subsistere. Sicut potentia videndi est aliqua facultas oculi, quæ tamen extra oculum non potest existere. Capin hoc? *AGAP.* Capio. *LAM.* Deinde panis ita dividi potest, ut veniatur ad minimum panis, quod si porrò divideres, faceres partes non panis, sed farinæ, aquæ &c. partes ergo panis minimis constat finitis. Porrò minima singula panis sunt extensa & impenetrabilia, juxta naturam & potentiam naturalem. ergo punctum panis additum puncto facit lineam, linea lineæ superficiem, superficies superficiei molem facit resultare. Capis & hoc? *AGAP.* Capio sanè, nec requiro aliud, quod quantitas panis sit: *LAM.* Hoc est ergò accidens ex pane resultans, quod dicitur quantitas panis, & nequaquam est separabile quid, sed merè modale, cui impossibile est, posse seorsim subsistere. *AGAP.* mi-

ra loqueris. Sed quomodo in Euchariſtia exiſtit, ubi Panis non eſt? *LAM.* Audi ſis, Agapete. Corpus Chriſti juxta decretum ſpeciale Dei ſub titulo & ſigno panis exiſtit. *AGAP.* Verum eſt. *LAM.* Ergo toties ſolùm, quot ſunt minima panis. *AGAP.* Sic omnes communiter docent. *LAM.* Licet ergo ſingula minima Euchariſtica contineant omnia corporis membra compenetrata, tamen unum minimum Euchariſticum alterum minimum Euchriſticum non penetrat, ſed excludit loco ſuo, quod Deo facile eſt, juxta dicta in Soliloq. *Num* 174. 214. Quo poſitô ex minimis Euchariſticis fit eadem linea, quæ erat panis, eadem ſuperficies, eadem totalis moles & magnitudo. & quia figura nihil eſt aliud, quàm Extenſio terminata, extenſio eadem eôdem modo terminata, dant eandem figuram, eadem quoque totius complexi Euchariſtici erit poroſitas, quæ panis, eadem complexio, eadem compoſitio, eadem impenetrabilitas ac tangibilitas &c. *AGAP.* Subſiſte pauliſper Lamuel, videris enim mihi ad ſcopulum impingere, video enim, quomodo iſta, ex tuo diſcurſu, quodammodo in quantitate ſubſiſtant. Sed ipſa quantitas ſubſiſtet in Corpore Chriſti. *LAM.* Imo in Corpore Chriſti ſubſiſtunt etiam reliqua illa, non in quantitate, licet inſint, vel potius adſint quantitati, aut in eâ reſultent, tanquam modalitates talis extenſionis & quantitatis, & cum quantitate ſubſiſtant planè in Chriſti corpore ita exiſten-

ſtente, ſicut exiſtebant & ſubſiſtebant in pane, in cujus jura modosque exiſtendi ex aſſe ſucceſſit corpus Chriſti. Undè Eccleſia non definivit illa accidentia exiſtere ſine omni ſubjecto, ſed exiſtere ſinè ſuo naturali ſubjecto, cujus exiſtentiam & præſentiam naturaliter monſtrant. Volens enim Eccleſia docere, nullam reſtare ſubſtantiam panis, illud de accidentibus aſſeruit, quod erat ad rem. Scilicet illa quidem remanere, ſed non remanere in pane. Confirmamus itaque definitionem Eccleſiæ, dum oſtendimus accidentia ſubſiſtere in Corpore Chriſti, hujus enim præſentiam realem, & perfectam ſucceſſionem in locum panis, quam Eccleſia aſſerit nos iſtô modô clarè oſtendimus, ac demonſtramus, cum genuinâ Philoſophia dogma fidei prorſus congruere, quid velles amplius? *AGAP.* Eſt ſanè, quod velim amplius; Nam hoc poſito, accidentia illa non erunt panis accidentia, ſed Chriſti, cui inſunt. *LAM.* Nego conſequentiam, Agapete; nam ejus ſunt & dicuntur eſſe, cujus ſunt propria per naturam. vel ſunt accidentia Chriſti ut Euchariſticè exiſtentis, Panis autem, ut naturaliter exiſtentis. Ita qui in ſcena paludamentum geſtat, â Principe commodatum, nonnè geſtat quod principis eſt proprium? dicit tamen eſſe ſuum, ut in ſcena principem agit. Denique nè diſſimulem quidquam, Concedo etiam, Agapete, illa accidentia ut individua ſunt, non eſſe panis, ut ſunt eadem ſpecie. Porrò de individuationibus

rerum nulla est cognitio sensibilis, nulla proinde quæstio, nulla propositio; Unde dum sunt specie eadem, quæ ante, rigidissimè & propriissimè dicuntur absolutè esse accidentia panis, quid acuratius rigore Geometricô? in quo tamen, quæ eadem specie sunt, simpliciter & absolutè eadem asseruntur. Ita qui geometricè reperit Semidiametri Circuli magnitudinem versus Zenith, simpliciter & rigidè dicitur reperisse longitudinem Semidiametri versus Nadir. Licet longitudo non individuè, sed tantùm specificè sit eadem, quia videlicet de individuatione rerum nulla est inter homines quæstio, nulla cognitio & habet se quasi non esset. *AGAP.* majorem geometricô rigorem Ecclesiæ requirit definitio: *LAM.* Erras Agapete, nequè enim Spiritus S. majorem usurpat. Nam Numeror, C. 84. Dies duodecimus â consecratione altaris vocatur dies Consecrationis. Ubi Salianus dicit, fuisse eundem diem non in individuo, sed tamen in specie eundem. Sic Ecclesia ordinat Officium pro Die Resurrectionis Domini, pro Die Octava Resurrectionis, pro die Quinquagesima sivè Pentecoste. Ubi intelligit tantum tales dies in specie; eò quod individui iidem jam ante millenos annos elapsi sint. Visne tu Spiritum S. & Ecclesiam in hâc Phrasi corrigi? *AGAP.* Convincis ubique Lamuel, & hâc me quoque formidine liberas; sed quid de coloribus? *LAM.* Legisti nè Agapete, quid rei colores sint? Nam si non legisti, non dicam,

quod

quod quæris ; neque enim me intelligeres, & diceres postmodum, me id tibi explicare non posse. *AGAP.* Legi in Creaturâ tuâ corporeâ, nihil esse colores aliud, quàm lumen, certô modô reflexum â corpore, & modificatum juxtâ diversitatem superficiei reflectentis. *LAM.* Etiam in Aristotele legere poteras (neque enim nova hæc est doctrina) qui lib. de sensu & sensibili asserit, esse conjugationem luminis & umbræ. Sed strictim, & breviter, ut solet : vix autem tractat hæc quisquam copiosius & jucundius & quodammodo sapidius, Honorato Fabri. Cum igitur intelligas, pergo dicere. Nonne Agapete, eô ipso quod minima Eucharistica sint extensa, & ideò ex eisdem complexum taliter asperatum resultet, quale erat Panis, necessariò sequitur, eandem â complexo Eucharistico fieri luminis repercussionem, quæ fiebat â pane? ergo & iidem planè colores necessariò resultant. *AGAPET.* Tace Lamuel, totum, quod paras dicere, intelligo, & stupeo connexionem. *LAM.* Tu quidem facilè intelligis, erit, qui non intelligat : quin imò qui & rideat, qui rem de coloribus non habeat probè perspectam. Sed totum negotium finiamus. quia ex Num. 223. constat, quomodo fiat sensatio saporis, cum minima & insensibilia Eucharistica secundùm magnitudinem, figuram, & modum, simillima sint minimis panis, eadem per salivam ad organum devecta, quidni eandem saporis operationem faciant ? & hoc conformius est

dictis

dictis Patrum, illud inculcantium, *Christum tangis, Christum manducas &c.* Odor panis propagatur per halitum intra poros panis, hærentem. Situs in minimis particulis, halitui innatantibus & cum pane non continuatis, & ideò nunquam consecratis: quæ manent similiter intra poros Corporis Christi. quod si quædam particulæ fuerint continuè unitæ, & sic consecratæ, eô ipso quod avellantur, & halitui seorsim innatent, desinunt esse consecratæ, sicut desinerent esse panis, saltem usualis, atque sensibilis aut consecrabilis. Intra eadem minima, sivè per poros, cur non possit humor insinuari, & rursum â materiâ subtili expelli, atquè ita hostia humectari ac desiccari? cur eadem minima Eucharistica non possint vel rapidissimè moveri, & â motu rursùm quiescere, in quô frigus, & calor est situs? *AGAP.* Video hæc & similia nunc omnia, & nihil mihi porro obscurum videtur ex iis, quæ istùc pertinent. neque aliud restat dicendum, nisi quod Philosophiam tuam omnibus laudum encomiis efferendam & palàm omnibus commendandam profitear: quam is solus refugiat, qui caliginem amet, & fidei veritatem oderit. Ego, fateor de eâ similia non speravissem, utinam permittas mihi de aliis quoque mysteriis interrogationem instituere; *LAM.* Sine me Agapete; tu dicta hæc menti imprime: sufficit diei malitia sua; ego loquendo defessus sum.

DE

DE ANIMABUS BRUTORUM & HOMINUM.

BENEDICTUS.

BENEDICT. Retulit mihi Agapetus insignem tuum, ô Lamuel, quem secum heri habueris de Eucharistiâ sermonem, quô contra Hæreticos dogma catholicum, de reali Christi sub speciebus panis præsentiâ, firmissimè propugnaveris, & juxtà genuinam Philosophiam, argumenta in oppositum totaliter enervaveris. quô sum inductus in spem, fore, ut similiter ex te audiam, quàm inaniter ac dolosè similes Hæretici de animabus brutorum hominumque sentiant: quæso te fac satis desiderio meo. *LAM.* Nosti ipse Benedicte, quàm mihi sit eloquium tenue ac siccum, quod si ergò Agapeto factum est satis, necesse est cogites, id veritati tum fidei, tum Philosophiæ, non mihi adscribi debere; quod si igitur in ea, quam præscribis, materia, similiter experiri placuerit, profer argumenta, quæ ex naturali ratione petita, ab iis in eadem re adduci cognoveris. Nam illud tantùm nunc ago, ut ostendam, quàm hujusmodi argumenta ex verâ Philosophia non fluant. *BENED.* Variæ sunt hæreses, quæ nec ex auctoribus suis dici possunt ex naturali argumentatione pendere, ac proindè si ita statuisti, Lamuel, nunc omittendæ, quâ enim physicâ ratione adduci potuit Georgius David,

David, ut diceret *Animas omnium hominum salvari, omnium corpora damnari? Animas omnes in principio simul creatas docuit Origenes, Albanenses, Priscillianistæ: Planè eas non â DEO, sed ab Angelis creari, Massiliani, Seleuciani, Saturniani volebant: Separatas non pati ignem, Trinitarij: Non informare corpus, Petrus Joannis: factas ex igne & spiritu, Enthusiastæ: de terrâ Seleuciani: esse aut DEI substantiam, aut ex DEI substantia, Apocaritæ, Brachitæ, Dicartitæ, Faustus Manichæus, Gnostici*, Marcionistæ fabulantur. Quorum tamen asserta ex nullo physico principio, quod æstimari mereatur, deduci potuêre, sed ex sola errabundorum capitum vertigine, & malignis suggestionibus dæmonum suos fontes trahebant. Quô eôdem reponas errorem Arabicorum, Luciferianorum, Hermanni Reiswich, dicentium, eas mori cum corpore, & cum eô resurrecturas. *LAM.* Ultimos hos cognatos existimo illis, qui inter brutales & humanas non discernebant: eò quod brutales intelligere putarent, ut Manichæi: nec non cum eis, qui transmigrare eas de corpore in corpus affirmabant, quod item erat Manichæorum Tertulliani, Albanensium, Etæsaitarum, delirium. Item qui cum eodem Tertulliano, & Luciferianis, eas generari per traducem, esseque corporeas somniabant. *BENED.* Istos tamen cognoscimus non levibus argumentis inductos, quæ hodiedum non paucos eis sectatores efficiant,

ciant, & quæ â te dissolvi sit omninò operæ pretium. *LAM.* Cedo nobis, quæ sint argumenta illa, quæ hodiedum vigeant: Arbitror enim per hoc ipsum me omne eis filum abscindere, quod ostendam, brutorum animas non esse substantias, cum humanas tales esse ipsimet affirment. *BENED.* Sic equidem & ego arbitror, sed an tu eis hoc evidenter demonstres, cognoscere volo. *LAM.* Satis est, si ipsi demonstrare non possint suum assertum, quod eis ex eo ipso incumbit facere, quia hi Ecclesiæ, Spiritûs S. revelationibus nixæ, absque manifestâ Theseos suæ ostensione, sinè insipientia se non possunt opponere. Quid igitur argumenti habes pro eis, quod animæ tales substantiæ censeri debeant? *BENED.* Quod operatur eôdem modô, quô substantia, h. e. quo anima hominis, ipsum quoque substantia est. *LAM.* Concedo. *BENED.* Sed eôdem modô operatur; *LAM.* Nego min. *BENED.* Anima humana movet suum corpus juxtà diversa ejus organa, pedes ad gressum, os ad manducandum, oculos ad videndum &c. quod idem facit anima bruti. *LAM.* Distinguo multipliciter hanc propositionem. Anima humana movet corpus, imprimis movet completè, quasi per se & per suam virtutem naturalem & specificam traducat partes de loco in locum, Nego. movet solum determinativè, quatenùs liberè volendo auctorem naturæ determinat ad hujusmodi transpositionem creativè & completè faciens

ciendam, quod illius solius est potentiæ & officij juxta Num. 176. combinatum cum 195. 96. 97. 232. 234. Concedo. Sed nec hoc quidem modô potest movere anima bruti, etsi esset substantia materialis; quia nec velle potest, neque impellere suum corpus, quod penetrat, juxta Num. 238. 213. 194. 302. Præterquam quod probandum est animam bruti, quidquam agere ut quod, cum enim asseram, esse solum modum substantialem, qui per se non subsistat, quidquid fit, in bruto; facit brutum per animam modalem, non autem anima modalis per se. Secundò subdistinguendum est, hoc ipsum, quod anima humana exerceat directè motus corporeos, etiam determinando tantum & volendo. Concedendum est enim de motibus voluntariis, Negandum autem de spontaneis: juxta Num. 196. & 97. Ubi iterum anima bruti nec indirectè quidem tales motus corporeos exercere potest, ut anima. Sicut ergo negandum est suppositum, quod anima humana omnes motus corporeos sui corporis per se immediatè & directè peragat, ita multo minùs est concedendum, quod eos faciat anima bruti. *BENED.* Communis opinio est, animam immediatè movere corpus suum, per quendam impulsum ei impressum. *LAM.* Est communis phantasia potius quàm opinio. quali ferè figmento communiter concipimus Angelos ut pueros. Sapientis tamen est, hujusmodi conceptum phantasticum vero judicio corrigere:

BENED.

BENED. Prudenter tamen loquimur cum multis, ſentimus cum paucis. *LAM.* Imò etiam ſæpè valdè imprudenter; maximè ubi in tali loquendi modo hæreſis latibulum habet, & experimur ipſo facto contrarium. videmus enim quotidiè nullum corpus aliter, quàm per contactum impulſivum moveri. experimur etiam in nobis, nos movere membra corporis noſtri volendo. *BENED.* Verum eſt, tum moveo pennam ſcriptoriam, cum impulſivè tango: moveo autem digitos meos, dum volo; oculos, dum volo: linguam, dum volo: Sed ubi in eo hæreſis latet, ſi dixero animam poſſe ſuum corpus impellere? *LAM.* Mirum eſt quod hoc interroges. Nonnè fatendum eſt Benedicte, potentiam tangendi, & impellendi eſſe propriam corpori? certè non dices, naturaliter eſſe contingens corpori, poſſe impenetrabiliter aliud corpus impellere ſivè impulſivè tangere; Non eſt ergò quinto modo prædicabile de corpore: ergo aliô modô vel ùt genericum quid, vel ùt ſpecificum, vel ut differentiale, vel ſaltem ut Proprium; & ideò eadem potentia vel eſt intrà eſſentiam corporis, vel eſſentialiter ac indiſpenſabiliter fluens ab eâ. Non erit autem tantùm generica perfectio corporis, quia nemo dicet etiam ſpiritum eſſe connaturaliter impenetrabilem. Sic enim etiam eadem anima noſtra ſuum corpus & DEUS totum mundum corporeum â loco ſuô excluderet: ergo erit differentialis aut propria, quæ convenit omni &

soli: Si ergo anima nostra eam potentiam etiam ipsa habeat, evidens est, eam esse ejusdem speciei cum corpore; erit ergo substantia corporea, qualis etiam erit anima bruti, cum & ipsa supponatur movere suum corpus ùt anima humana. Videsnè Benedicte latibulum Sathanæ? *BENED.* Video nunc profectò, & miror, me nunc primùm videre. Latibulum hoc manifestè evadis, imò dissipas Lamuel, ostendendo, corpus quidem â corpore moveri per impulsivum contactum, animam verò volendo movere tum suum, tum aliud corpus, dum ipsa est â corpore separata. Attamen quidquid dixeris Lamuel, video organa corporis humani moveri eôdem modo, quô organa corporis ferini, similitudinem motuum negare non potes. *LAM.* Distinguo illud eôdem modô. Si in humano corpore motus spontaneos & minimè præcisè voluntarios spectes seorsim ab omni alio, Concedo, motiones easdem in utroque corpore fieri eôdem modô: sed propterea etiam tales motiones ab anima humana immediatè non pendent, ut dicitur in Soliloq. Num. 197. Imò inde argumentum contra adversarios detorqueo; si in homine existant motus ab animâ humanâ non pendentes, imò animæ adversantes, non requiritur in bruto anima, quæ sit substantia, pro eisdem vel similibus motibus causandis. Sunt autem omnes motus ferini spontanei ac naturales, & minimè voluntarij, cum in homine multi sint voluntarij immediatè, & qui

qui ſpontanei dicuntur, etiam ipſi quoque ſaltem remotè & indirectè imperio voluntatis ſubjaceant. Unde addidi clauſulam ſuperius, ſi præcisè eos motus in homine ſpectes, eos eſſe brutalibus ſimiles. *BENED.* Quæſo te Lamuel, quomodo ergo fiunt hi motus in corpore ferino? *LAM.* Eôdem modô, quô & in humano. Noſti Benedicte, quod objecta movent potentias ſenſuum externorum, hi moti movent potentias appetitivas, progreſſivas &c. Similiter contingit in corpore humano; Lege Soliloq. Num. 197. 132. 233. 274. 295. 296. 297. In eo tamen adhuc quoddam diſcrimen eſt, quod idem iſte Synorganismus in bruto ſit ipſa anima bruti modalis & reſpectiva, cum aliam non habeat, in homine autem ſit potentia organica animæ, quæ Spiritus eſt, ab eâ realiter diſtincta, ad mentem S. Thomæ. Nimirum ſi Domina Domi eſt, huic ancilla ſervit, ſi Domina nulla eſt, ancilla pro Domina reputabitur. *BENED.* Quomodo ſodes, Lamuel, objecta movent potentias? *LAM.* Hæc omnia per quendam motum Localem & contactum fieri exiſtima. Nam auditio fit, dum motus aëris elaſticus Tympanum acuſticum tremefacit. Viſio dum radij corporis luminoſi per pupillam ingreſſi retinam ocularem pulſant. Sapor & odor dum corpuſcula proportionata ad organorum texturam promota illa ſuaviter titillant, aut ingratè vellicant. In Tactu per ſe res patet. Atquè ita ab objectis imprimitur organo,

quædam figurativa modificatio, quæ propagatur deindè ad cerebrum juxta dicta Num. 222. 223. 24. 26. 31. 32. 33. atque hujusmodi qualitas impressa organo, prout apta est determinare potentias appetitivas, progressivas & executivas, dicitur sensatio & vitalis. Meminisse te autem, Benedicte, oportet, hujusmodi motiones esse subtiles admodum, modicas, ac exiguas juxta Num. 201. Nullus autem motus contactivus congruit substantiæ penetrabili. *BENED.* Motio hujusmodi organica præcedit quidem sensationem, sed ipsa sensatio est actio distincta, quæ est quædam objecti perceptio & experientia, quâ sensus objectum experitur ac discit. *LAM.* Perceptio illa non est quid aliud, quàm ipsa receptio affectionis, ab objecto impressæ grata vel ingrata: alioquin enim esset cognitio, quæ solius est mentis. quænam autem actio media esse possit, inter dictam receptionem & mentalem cognitionem, dici non potest, nec ullo argumento monstrari. *BENED.* Negare non potes Lam. brutum sentire, æquè ac hominem; sed homo sentiendo experitur aliquid novi, aliquid discit, aliquid cognoscit, ergò & brutum exercet aliquam cognitionem sentiendo, etsi ea mentalis fortè non sit. *LAM.* Distinguo assumpt. sentit æquè, si sensatio nudè secundùm se & præcisè spectetur Conc. si spectetur respectivè ad suum effectum & finem, Nego quod æquè. Effectus & finis sensationis brutalis est, Benedicte,

motio

motio appetitûs, & prosecutio boni, vel fuga mali: sensationis humanæ finis & effectus est idem, sed non tantum. Verum insuper est, ut moveat intellectum, ac voluntatem, quæ in bruto non extant. Experimur ergo nos, quod sensu discamus, quatenùs simul intelligimus, non autem experiuntur hoc bruta. Lege Num. 231. 232. 234. & alibi. *BENED.* Sed undè hæc habes? *LAM.* Ex eo, quod quisque experimur, nos intelligere dependenter â Phantasmate, discere videndo, audiendo &c. *BENED.* Etiam bruta profectò cicurantur, discunt servire homini, docentur artes. *LAM.* hæ autem artes non superant dignitatem connexionis specierum Phantasticarum, prout excitant motiones appetitivas & progressivas vel prosecutivas boni, & mali aversivas. planè autem non accedunt ad artes ac scientias humanas, in quibus intellectus & libera voluntas plurimùm relucet. de quibus Soliloq. 234. 235. *BENED.* Ergo artes humanæ & ferinæ differunt utique, sed solùm circà magis & minus. *LAM.* Absit Benedicte; differunt utique specificè & totô cœlô, ut ajunt. Nam homo intelligit, discit, ac discursu concludit multa ultra omnem sensuum experientiam remota, de cœlis, de motibus, & magnitudinibus stellarum, de DEO, de Angelis, & alterâ vitâ, de peccato, de merito: Item homo eligit minus bonum præ majore, insensibile præ sensibili, exercet se in abstinentia, in patientia, paupertatis & pœni-

tentiæ ſtudium ultrò amplectitur, repugnat ſenſui & appetitui, & innumera talia, quorum nihil in brutis reperies; quorum actiones ultra ſenſuum limites non exeunt. *BENED.* Exeunt etiam: quis enim inſtruit aviculas conſtruere nidos, educare prolem &c.? *LAM.* Hæc & talia implantata ſunt organiſmo brutorum, cujus tamen motiones nonniſi certo tempore ad actum deveniunt, dum E. G. copioſior æther ſole redeunte adfluit; ſicut molendinum ſemper quidem paratum ſtat, non currit tamen, niſi dum certo anni tempore ſufficiens aqua affluit. unde ſemper eodem modo bruta agunt, quo nata ſunt, nihil mutant, nihil diſcurrunt, nihil eligunt. *BENED.* Quidquid ſit, non absque cauſa dixit Origenes, animam generari ex ſemine paterno, & transfundi per traducem: experimur enim etiam in modis intelligendi, & volendi, hoc eſt in docilitate & habitudine morum filium proximè referre patrem. videtur ergo anima humana (ſicut & ferina) conſtare ſimul ex materia quâdam ſubtili, ſimul potentia intelligendi inſtructa eſſe, cum utrasque operationes animales & mentales in eâ notemus. *LAM.* Ipſiſſimam chimæram, Benedicte parturis nobis. Argumentum nihil evincit: quia per ſemen transfunditur quidem ſimilitudo organismi corporei, ex quâ reſultat ſimile temperamentum, ingenium, docilitas, propenſio ad conſimiles mores, prout ſatis explicavi Soliloq. Num. 234. 235. 237. & aliàs: qui orga-

organismus, licet interdum figuratè vocetur anima, dicente Salomone, se nactum esse animam bonam, tamen ab animâ realiter distinguitur, estque diversarum in homine actionum principium, scilicet repugnantium propensionibus mentis. Et quia communiter neglectim educantur filij in juventute, dum essent organa flexibilia & correctionem admitterent, plerumque etiam assuescimus obsequi sensibus, ideò ferè contingit, filios in moribus quoque esse parentibus similes: attamen contrarium quoque non rarò accidit. Itaque pro bruto supervacuè fingis duplex hujusmodi principium; cum actiones in bruto mentales adhuc nullas ostenderis. In homine quoque superfluè: quia diversitatem illam jam abundè ostendi, non ab eôdem principio provenire. Præterea si anima ex materia, quantumcunque subtili, constaret, esset substantia corporea, & ideò corpus; licet dicas esse substantiam inadæquatam: sicut substantia spiritualis, licet inadæquata, si phrasin illam usurpare velimus, est spiritus. Ergo corpus cum corpore faceret corpus physicum, quod nec Paganus Philosophus feret. Undè propter hoc ipsum argumentum non possum admittere animam bruto esse substantiam, licet reliqua omnia dissimularem. *BENED.* Potest Spiritus ordinari ad corpus, dicimus de anima, ergò & corpus illud subtile. *LAM.* Nego paritatem Benedicte, quia spiritus, dependenter â sensu, intelligere & sensui præ esse potest:

nihil autem anima illa bruti, quæ foret ſubſtantia corporea, dependenter â corpore operari poteſt: *BENED.* Animam humanam immediatè ſentire actione quâdam materiali, quæ ſit intellectione inferior, pleriquè ſupponunt. *LAM.* Benè dicis, ſupponunt, quia nemo oſtendit: & certè talis potentia ſentiendi, quia ſubſtantialis eſſet animæ, remaneret etiam in eâ ſeparata, ergò tunc videre quoque, audire &c. poſſet, quô nihil monſtroſius eſt in ſpiritu, qualis eſt anima, cum tangi non poſſit. *BENED.* Ut ſentiat hôc modo anima, conſortium requirit corporis & organi. *LAM.* Explica igitur, quomodo & quarè requirat: hoc nos quidem explicamus, ſed minimè tu. Nimirùm ſentit quodammodo anima, dum ſenſationem ejusdemque objecta intelligit & ſic ſenſationem facit ſuam. *BENED.* Nihil habes amplius Lamuel, quô animam brutalem, quæ ſit ſubſtantia, expugnes? *LAM.* Poſſem innumeris argumentis illam animam ita diſcerpere ac dilacerare, ut planè vix umbræ ſimilis remaneret: ſed miſeret me propemodum tam inanis ſimulacri ac ſomnij. Non recuſabo tamen facere, ubi neceſſarium cognovero: pro nunc ſatis eſſe duxi, communia argumenta evertere. *BENED.* Feciſti hoc planè: & verò per hoc non ſolùm demonſtrâſti, differre toto cœlo animas brutales ab humanis: ſed ſimul etiam oſtendiſti transmigrationem eô ipſo, quod illæ non ſint ſubſtantiæ, eſſe commentum. Non potuiſſe creari

ab

ab Angelis, demonſtras in Soliloq. *Num.* 153. *& ſeqq.* Non eſſe de ſubſtantiâ Dei; quia aliàs eſſet Deus cauſa materialis, imo diviſibilis eſſet in partes, & ideò non eſſet ſpiritus juxtà *Num.* 190. 191. *& ſeqq.* Alias aliorum amentias facilè eâdem præſentis diſcurſûs operâ ſuperas. Quô modo anima per ſe mori poteſt, cum mors non ſit niſi diſſolutio compoſiti, quod eſt ex anima & corpore, ſi anima de ſe eſt Spiritus merus, & ſubſtantia planè non compoſita. Si compoſita eſt, ut aſſerebant Enthuſiaſtæ cum aſſeclis, ſed imperitè conabantur probare ex diverſitate actionum, quas erroneè ſupponebant, ex eâdem animæ ſubſtantia immediatè pendere: illius tu falſitatem manifeſtè, Lamuel, demonſtras, ut perſpicuè intellexi. Attamen ſubitò hìc & ex improviſo, Lamuel ne iraſcere mihi quidpiam proponendum adhuc occurrit. *LAM.* Propone fidenter Benedicte, libentibus auribus accipio. nam otium iſtud tibi ſacratum cupio. *BENED.* Quomodo ergò anima ſeparata patitur ignem, ſi in ſubſtantia ſuâ minimè ſentit? cum enim potentiam immediatè ſentiendi, necquidem quæ media ſit inter merè mentalem, & merè animalem habeat, quomodo ad hujusmodi potentiæ actum elevari poterit? videris hoc ipſe revellere in Solil. *Num.* 335. 36, 37. *LAM.* hæc objectio Trinitariis favet Benedicte; ſed nego eis ſuppoſitum, quod anima patiendo propriè ſentiat: dolor ille &

cruciatus Benedicte, ſpiritualis eſt, & propriè mentalis, verumque ac vitale exercitium tùm intellectûs, tùm voluntatis, de quo lege *Num.* 298. 99. 300. ad exercitium porrò hoc cogitur anima & ſpiritus, invitè licet, ab igne, qui ad hoc ſpecialem â Deo commiſſionem & quandam legem eſt nactus, ut ad tales doloriferos actus vitales in ſe exprimendos animam determinet, & ſic eam veriſſimè cruciet. *BENED.* Intelligo & eſt factum ſatis, debeo tibi omnia pro diſcurſu. *LAM.* Nihil Benedicte, præter unum, debes, quod rogo. *BENED.* Quid illud? *LAM.* Ut ſi quid prætereà argumenti occurrerit, pro parte hujuſcemodi errorum, mihi communicare non negligas. *BENED.* Ego verò hoc planè polliceor. Nominatim propoſiturus ſum de illo Manichæorum delirio, qui duas ponebant in homine animas, alteram malam, creatam â Deo malo, quæ operetur actiones malas; alteram Bonam, creatam â Deo bono, quæ bonas operetur. *LAM.* Hoc facies Benedicte, ubi convenerimus: pro nunc jam habes aliquid luminis etiam contra hoc, ſed latius excurrere in illas campos hâc vice eſt longum.

DE

DE LIBERTATE VOLUNTATIS. CLEANDER.

CLEAND. Intelligo te libenter excipere, LAmuel, Quæstiones Theologicas, & de rebus fidei, opto ergo ex te audire, quid de libertate actuum voluntatis sentias; circà quam perplexitatem non unam sanè experior : Libertatem enim ipsam Deo ingenti blaphemiâ abnegârunt, fato eum subjicientes Arnaldistæ, Petrus Abailardus, & Lutherus. Peccata homini non esse libera, cum liberum arbitrium nullum sit, asserebant Armeni, Bartholomæus, Davonesius, Calvinus, Confessionistæ, Lutherus, Fortunatus, Manichæus, Joannes Oecolampadius, Wicleff, Pelagius, Trinitarii; Valentiniani, Albanenses: Voluntatem hominis merè pati, non agere, Manichæi, Melanchton, Molinos, Trinitarii &c. *LAM.* Ita est Cleander, hi & plures similes errores prodiêrunt ex neglecta & malè cognita libertatis doctrina: inter quos etiam Jansenianos referre potes. Orthodoxi quoque non parum laborant, ut illos & similes errores funditùs evertant. Cum proindè sit ingens hìc dicendorum sylva, videtur præstare omninò tacere, quàm pauca dicere, quod dies non sufficiat omnibus explicandis, & fortè quô plura dicturus sum, eò plura dubia movere possis. *CLEAND.* Noli sic loqui, Lamuel, familiari in colloquio versamur : necessè non est vel omnia, vel multa, vel

vel adeò ordinatè atque digestè singula exhibere: loquere quod voles, hodiè unum, aliàs aliud explicemus. *LAM.* Si ita mandaveris Cleander, dicam paucis, in quo Substantiam libertatis consistere asseram: Cætera, quæ eò referuntur de gratiâ, de peccato, de prædestinatione, in tempus aliud differemus. *CLEAND.* Age sanè, ut voles, Lamuel. *LAM.* Actus externos sensuum, negotiorum, & intellectûs quoque liberos dici & esse per respectum tantùm ad voluntatis liberum imperium, nosti Cleander. Sed & ipsos voluntatis actus non omnes esse liberos notum est; quæritur ergo quinam voluntatis actus sint formaliter liberi, & per quid sivè â quâ formâ sint tales? quô cognitô innumera suâ sponte in lucem se dabunt, de quo juxta *Num.* 186. *& seqq.* Dico unô verbô: Volitio omnis & sola & semper illa est libera, quam voluntas potestativè exercet, sivè ad quam se ipsa determinat. Omnis illa sola & semper necessaria, ad quam determinatur ab extrà sive aliunde, quàm â se ipsâ. Volve & revolve intuitum mentis tuæ intra Deum & extra Deum, nullum exemplum occurret, in quô non sit libertas, ubi est voluntatis determinatio erga se ipsam; aut in quo sit libertas, ubi voluntas determinatur ab extrà. *CLEAND.* Mira in eo vis eluceſcit intellectûs nostri, quod ipsâ experientiâ hoc ipsum docemur: nihil enim frequentius auditur etiam apud eos, qui libertatem remotè, &, ut sic dicam, ab extremis terminis mundi

mundi accersunt, quam voluntatem determinare & determinari, quomodo ergo aliunde quærunt, quod reperiunt in se? *LAM.* Verè non tam admirationem, quàm indignationem meretur, frequenter accidere, ut inquirat eques illum ipsum equum, quo vehitur, & quærat in tenebris lucernam, cujus lumine obambulat: opus hoc est animi nimis extra se solliciti atque curiosi & malentis ubique habitare, quàm domi suæ. *CLEAND.* Attamen non adeò facile est assequi, quid rei sit determinatio dicta. *LAM.* rectè dicis, hoc ipsum posse rectè apprehendere est totum negotium conficere. propterea fusè & sollicitè descripsi totam sectionem primam soliloquii mei, quam habe perspectam. Nimirum determinatio illa non est ens, nec res, nec quidlibet absolutum, nec modus ex physicis illis, quos quidam crassè nimis & pinguiter comminiscuntur: Sed est forma relativa, modalitas, entitas, veritas, quâ potentia de statu indifferentiæ transfertur ad statum actûs sui, sivè quâ de potentia fit actus, de causalitate causatio, de privatione ad habitum, de potente agere in agentem evadit. *CLEAND.* Sed forma relativa hæc â quo termino, vel per quem terminum resultat? *LAM.* In necessariis terminus est extra causam determinandam, formaliter saltem. In Principio libero, qualis est formaliter sola voluntas, terminus resultantiæ est intra ipsam voluntatem, sic quando intellectus cognoscit objectum tantùm ut bonum, cognitio il-

la

la determinat voluntatem ad amandum neceſſario, cognitio autem eſt extra voluntatem & volitionem formaliter. quando cognoſcit tantum, ut malum ſimiliter cognitio extrinſeca formaliter voluntati, determinat hanc ad averſandum neceſſario. quando verò cognoſcitur objectum partim ut bonum, partim ut malum, cognitio voluntatem indeterminatam relinquit: Et tunc voluntas ſe ipſam determinat vel ad alterutrum, vel ad ſuſpenſionem utriuſque; qui actus ſunt liberi, quia ad illo voluntas poteſtativè ſe determinat. Quaproter poſitâ tali cognitione cum negatione determinationis, potentia voluntatis libera tranſit ad actum. Reſultat nimirum determinatio ad negationem determinationis ab extrà, tanquàm ad terminum reſultantiæ. reſultat autem activè, non merè paſſivè; quia actus reſultans eſt ad modum potentiæ: potentia verò eſt activa; ita ut determinabilitas ſui fiat determinatio ſui ad volendum: quæ volitio ſequitur determinationem, non tempore ſed naturâ. Videſnè Cleander, quomodo vis volendi determinetur ad actum neceſſarium immediatè ab extrà? ad liberum immediatè ab intrà? ita ut facultas imediatè determinativa in neceſſariis ad intellectũ, in liberis actibus ad voluntatem ipſam pertineat. Porrò negationem eſſe formã ſimiliter relativam, & non meriſſimum nihilum diximus in Soliloq. *Num.* 131. *CLEAND.* Hæc ad tua principia conſequenter & clarè ſatis proponis Lamuel. fateor tamen, attentionem hic

non

non modicam requiri, ut capiaris ; quia ista â sensuum foro oppidò remota sunt. *LAM.* Ita est Cleander. Sed tu indè facili strage dejicis assertum illud Trinitariorum, ac Melanchtonis, quô voluntatem non agere sed merè pati dicebant : Nimirum & agit voluntas volendo, & agit quoque determinando se. *CLEAND.* Etiam Jansenianum illud evertitur, quô is voluntarium cum libero confundebat, juxta effatum illud : Liberum est quod fit, dum volumus : volumus enim interdum actu necessario, dum voluntas ab extra & non â se ipsâ determinatur. *LAM.* Illa quoque Propositio ejusdem Jansenij damnata cadit, quæ erat : *In statu naturæ lapsæ interiori gratiæ nunquam resistitur.* Tamersi enim grætiæ prevenienti & suasivæ, quatenus fit in nobis, sine nobis, non resistatur, in quantũ illa â voluntate non impeditur, quô minus eam impellat, invitet, ac trahat. potest tamen ea sic habita deindè excuti, sperni, non audiri, & ei non obtemperari, de quô est quæstio (ubi adverte Dæmonis in æquivocationę latibulum) etenim ad habendam gratiam non voluntas se determinat, sed Deus : ad eam rejiciendam vel audiendam non Deus sed voluntas se determinat. *CLEAND.* eâdem strage (nî fallor) opprimuntur & Astrologi, Pagani & varij Hæretici concedentes homini libertatem â coactione quidem, se non â necessitate ; putantes hominem necessitari vel â stellis, vel â rebellione concupiscentiæ, vel â Deo per gratiam, vel â

Dæ-

Dæmone per tentationes. *LAM.* Ita est Cleander: Nam cum his omnibus stat voluntati perfecta potestas determinandi se in oppositum, & ideò exulat omnis necessitas, eò quod talia inclinant, non necessitant. quô etiam sensu intellige quædam loca S. Augustini â Jansenistis pro se citari solita. *CLEAND.* Sic omissio pura libera etiam non permittetur. *LAM.* Rectè concludis. non potest esse mera omissio, ubi est positiva sui ipsius determinatio, quæ utiq; est quædam actuatio & exercitatio. *CLEAND.* Quid ergo, Lamuel, de Prædeterminatoribus censes? *LAM.* Sequitur ex dictis, ut orthodoxè, sicut debent, explicentur, eos necessariò oportere voluntati relinquere copiam immediatè se ipsam movendi & determinandi; aliàs eam in necessitatem agendi conjicerent, modum suggessi in Soliloq. *N.* 187. 188. *CLEAND.* Placetnè audire argumenta illorum compendio â me descripta? *LAM.* Lege sis *CLEAND.* Si Deus non immediate voluntatem, sed se ipsa determinet, non aderit gratia efficax: 2. Voluntas non determinabitur ad individuum: 3. Peribit independentia & prioritas causæ primæ. 4. Subordinatio quoque ejusdem causæ secundæ ad primam peribit. 5. Cadet dominium Dei in nostras voluntates. 6. Voluntas non erit principium actuale effectûs sui. 7. Creatura esset actus purus, nihil recipiendo. 8. Non erit aliquid medium inter operari & posse operari, & deerit actualitas ultima creaturæ. 9. Per

nihil

nihil actus secundus erit perfectior primô. 10. Creatura cessabit esse instrumentum Dei. *LAM.* Nonnemo hîc librum requireret ad respondendum, sed breviter ad singula respondeo. 1. Gratia efficax est instinctus mediatè determinans : gratia quidem, quia datur ad salutem cum gratioso affectu ; efficax autem, quia cum præscientia infallibiliter futuræ determinationis immediatæ ipsius voluntatis ad consensum. 2. Individuatio in omni effectu etiam necessario sumitur tum â materiâ actus, tum â subjecto individuo agente, tum â circumstantijs, tum â causa primâ cooperante, ut in actu libero nihil sit relinquendum singulare. 3. Manet prioritas existentiæ, dependentiæ, potentiæ, & dispositionis legislativæ, quâ causa prima ex suo officio debuit constituere, ut causa libera se ipsam immediatè determinaret, si voluit eam posse agere liberè. 4. Manet & subordinatio quæcunque decet. 5. Sicut & omne dominium quod habet, & potest habere in potentiam liberam. 6. Principium actûs liberi vel maximè erit voluntas libera : neque tamen Deus ideò desinet esse simile principium, non unô modo. 7. recipit creatura determinationem mediatam â Deo & immediatam per se. 8. Quæ determinatio utraque erit media, inter actum & potentiam. Actus verò erit ultima actualitas ante actum ; quæ requitur ex parte Dei, ut gratia vel determinatio mediata. 9. Ipse actus liber per se ipsum est perfectio, actuatio, com-

pletio potentiæ ; vel actûs primi. 10. Manebit, imò fiet sic perfectius instrumentum cum se ipsum actuet. *CLEAND.* Curtæ responsiones , sed ideò non illustratæ satis. *LAM.* Ita est Cleander , obscurus fio, dum brevis esse volo. Sed nondum omnium dierum sol occubuit , quô poterunt illustrari. *CLEAND.* Quomodo autem Deus concurret ad actum liberum, si causa libera determinet se ipsam ? *LAM.* Concurrit sanè multipliciter, etsi non immediatè determinativè. Nonne enim Deus actum volitionis individuat ? potentiam volendi & determinandi voluntati creativè præstat? intellectum antecedenter instruit? actum per gratias prevenientes suadet,& prædestinat? Si actus sit supernaturalis,supernaturalitatem ipsi specialiter confert,omnia disponit,dirigit,ordinat ? An tu regem, Cleander, arbitraris non concurrere ad victoriam , quod non ipsemet manu suâ confodiat milites, cum tamen scripserit militem, congregârit & ordinêrit exercitum, sumptus, annonamque suppeditârit, bellum gubernârit, omnia ope suâ, consiliis, mandatis gesserit ? *CLEAND.* Rectè Lamuel mihi in memoriam hìc revocas , quod memini aliàs, te dicentem audire, hominem exercere actum supernaturalem , etsi ipsa supernaturalitas non respondeat homini, sed Deo : Deum concurrere ad actum peccati , etsi malitia non â Deo formaliter pendeat , sed ex eo resultet,

quod

quod homo contra legem *liberè* agat &c. *LAM.* Etiam illud obſerva! cum omnes communiſſimè dicant, voluntatem creatam ſe determinare, etſi in eo formaliter libertatem ex quâdam incuriâ non ponant, omnes tamen debere ſolvere argumenta illa, quæ nobis opponunt, qui in ipſo determinatione ſui ſubſtantiam libertatis collocant. *CLEAND.* Solent etiam multa effugia adducere, quibus conentur oſtendere, libertatem voluntatis cum determinatione ab extra, & quæ fiat â Deo, poſſe conſiſtere. *LAM.* Scio Cleander, ſcio illos laboriosè iſta congerere, de illis quoque utiliter aliàs, non modò, agemus: nè longiore colloquio nobis ipſi moleſtiam creemus & tædium. Sufficiat nunc illud attendere, quod actio ſit potentia determinata: Si ergo potentia â Deo determinata fuerit, actio non poteſt non eôipſo contingere; & ideò in ſenſu compoſito hujuſmodi determinationis ab extra, non poteſt eſſe locus determinationis ab intra, in quô cum vis poteſtativa voluntatis conſiſtat, non poteſt tunc poteſtativa illa facultas exerceri: ergo libertatis locus non poteſt eſſe, quia utraque determinatio ſe ipsâ eſt negativa alterius, ut de ente negativo diximus in Soliloq. 131, *& ſeqq. CLEAND.* Unum adhuc non poſſum non ſciſcitari: in quô tu, Lamuel, libertatem Dei ſitam eſſe exiſtimas? *LAM.* Univoca eſſe debet, & eſt libertas crea-

ta & increata : in eâdem determinatione sui ipsius est sita libertas Dei. Necessariò amat Deus seipsum, & quidquid extra illum tantum est bonum. Necessariò odit, quod tantum est malum, peccatum : Existentia creata, quia non est ita bona, ut non aliquam etiam malitiam contineat, ideò non determinat DEUM, sed se ipse determinat ad creandum, & sic liberè creat. *CLEAND.* Quidam per contingentiam creaturæ, actum Dei liberum explicant, quod sic volitio creandi possit esse & non esse. *LAM.* Nescio an quid ineptius dici possit: nam quatuor requisita habere debet hic actus, quandam æternitatem, & immutabilitatem, contingentiam tamen etiam aliquam, vitalitatem, ac denique libertatem. Æternus esse non potest per contingentiam objecti, ut facilè omnes concedent. neque contingentiam quidem inde habet; quia aliàs intellectio quoque Dei, quâ cognoscit existentiam mundi, esset contingens : cur enim contingentiam refunderet mundi existentia in actum voluntatis, & non in actum intellectûs ? Deinde â contrario actus, quô liberè amo Deum, esset necessarius & non contingens, quia esset circa objectum necessarium, & non contingens. Videsnè Cleander in hisce disparitatem ? *CLEAND.* Nullam planè. *LAM.* Quomodo autem â contingentiâ mundi existentis actus Dei potest esse vitalis, cum vitalis actus sit immanens, & intrinsecus sub-

ſubjecto, per eum viventi, mundus verò ſit extra Deum? Denique libertas quomodo â contingentia mundi refundetur in actum Dei, cum aliud planè ſit contingentia, aliud libertas? Nam actus voluntatis indeliberatus & primo primus contingens eſt, & quinti Prædicabilis: an ideò liber tibi videtur Cleander? *CLEAND.* Minimè gentium: *LAM.* Videſnè ergò, quàm hæc inter ſe planè non congruant? ſed tantum ex ſcientiæ egeſtate atquè inopia dicantur. *CLEAND.* Hinc plerique fatentur, actum Dei liberum explicatu impoſſibilem eſſe. *LAM.* Sed iſta confeſſio in opprobrium cedit Chriſtianæ Theologiæ, & in favorem hæreticorum: qui & ipſi propterea (tametſi per malam conſcientiam) Deum liberum eſſe negant, quod quomodo talis ſit concipere & explicare non poſſint: *CLEAND.* Quomodo tu autem quatuor illa requiſita demonſtras? videris enim eodem in luto hærere: *LAM.* Oſtendo ſingula ſanè. Immutabilis eſt actus Dei liber, & æternus, quia actio illa eſt potentia volendi determinata: quatenus ergo eſt potentia, eſt ipſa Dei voluntas, imò ipſe Deus realiter, utique æterna, ergo neceſſariò immutabilis. Contingens tamen quoad determinationem, quæ fit poteſtativè ab ipſo Deo: ergo qua determinata, potuit non eſſe. vides contingentiam? imò & quâ ſic determinata eſt immutabilis, quia non poteſt corrigi vel dimitti, ut alia ſuccedat;

cum nihil in eâ possit mali vel erroris reperiri, ut fieri solet in creatis. *CLEAND.* Quomodo potuit non esse illa determinatio? *LAM.* Exspecta Cleander, & audi priùs reliqua; Vitalis est actus Dei, quia etiam, ut liber est Deo, est immanens & intrinsecus, & Deus vivit per ipsum: ac demum est liber, quia voluntas potestativè determinat ipsa se, increata, inquam, voluntas æquè imo magis & perfectiùs, quàm creata. Nunc loquere Cleander, quid habes contra? *CLEAND.* Hoc habeo contra, quod ponis in Deo accidens, quale possit â Deo abesse & adesse, quod Deo non congruit. *LAM.* Non congruit Deo accidens absolutum, quale vulgus semper intelligit, audito termino Accidens. Neque congruit accidens modale crassum & pingue, quale vulgus simili termino erroneè concipit; quale videlicet indigeat verâ productione activâ causæ, ut existat, vel etiam creari possit. Hujusmodi ineptias nos non docemus. Congruit utique Deo etiam accidens merè resultans, quale *scil.* in Soliloq. fusè explicamus. Imprimis enim formas relativas non actuosas locum habere in Deo putasnè ullum hominem negare posse? quarè non aliam relationem habeat Deus ad damnatos, quàm ad beatos? quarè non aliam ad amicos & filios suos, quàm ad hostes? *CLEAND.* Ad fidem judico spectare hujusmodi relationes veras miniméque fictas habere

Deum

Deum ad creaturas, quid enim Scriptura aliud inculcat? *LAM.* Crede Cleander, etiam actuosas & actionales esse in Deo, quid enim est aliud actio creativa Dei? quid unio hypostatica, quam exercet Filius Dei, non Pater, & Spiritus S. exercet porrò ad humanitatem suam, non meam? *CLEAND.* Hæc videntur clara & manifesta: sed dicunt ista non subjectari in Deo, sed in creatura; putà creationem volunt esse in mundo creato, non in Deo. *LAM.* Nescio, an ulla aliquando responsio magis inepta & insipiens data fuerit, ignosce Cleander, quod liberè loquar, ut sentio. Quid est creatio Dei, vel actio creativa aliud, quàm potentia creandi, determinata vel applicata? cujus autem est potentia creandi? utique Dei solius est actio creandi. Creatio passiva Cleander est in solâ creaturâ, quia hæc sola patitur creationem, non Deus. Creatio activa est Dei solius, quia hic solus creat, non creatura. Verbô, Creatoris est creare; Creaturæ, creari. *CLEAND.* Convincis me, Lamuel, nolentem, volentem: quod mihi minimè persuasissem. *LAM.* Aliud necesse non est, nisi, ut quis habeat planè perspectam nostram actionem primam in Soliloq. *CLEAND.* Illam huc tertiò, quartóque relegam. *LAM.* Etiam sæpius. Hoc quoque inde conclude, non esse studium inane laborare circa universalissimas quæstiones entis, quas multi superficiales cum risu

excipere, & tanquam tenues nulliusque momenti, ſubſannare ſolent: Cum tamen inde dogmatum fidei graviſſimorum reſolutio certè pendeat. Mihi ſemper perſuaſum fuit, hujusmodi illuſorios homines inſtinctibus mali Dæmonis agi, qui ſi Philoſophiam merè ſpuriam fecerit, ſatis multa lucratus eſt. *CLEAND.* Conſiderabo, quid futuris in congreſſibus proponendum putem. *LAM.* Sic age Cleander, Ego nec tibi nec aliis plures congreſſus negabo, ſi eos & expeti & ad fructum fore cognovero, &c.

ANNUS

ANNUS FRUGIFER

Argumentorum quotidie excrescentium,

Ad

FORMARUM MODALIUM VERITATEM,

Contra

ABSOLUTARUM INANITATEM

evidentissimè cognoscendam,

Nec non ad

SAPIENTIS PHILOSOPHIÆ THEOLOGIÆQUE

indeficiens incrementum

apertus

ab

ALOYSIO TEMMIK,
Theologo.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [293] - -

PUBLIC DOMAIN

Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus. Psal. 27.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [294] - -

PUBLIC DOMAIN

INDEX EPHEMERICUS IN TOTUM ANNUM.

Necessarius est hic index, cum titulos contineat, quos per anni æquabilem cursum, ne quædam interruptio fieret, inculcare noluimus: unde pars potiùs tractatûs, quàm index videri debet.

JANUARIJ

d. 1. Quid rei sit ens absolutum, quid entitas modalis & respectiva?
2. An hujusmodi entitates de facto existant?
3. Inane argumentum pro forma absoluta explositur.
4. Aliud simile.
5. Aliud absurdius, ductum à nullitate formæ modalis.
6. Deductum ab Eucharistia nullum esse.
7. Formam substantialem malè dicimur eliminare.
8. Formam substantialem non debere esse substantiam.
9. Continuatio.
10. Respondetur ad argumentum.
11. Per

11. Per ſubſtantiam in phyſicis quid intelligas Ariſtoteles?
12. Democriti dogma malè nobis imponi.
13. Doctrina noſtra an nova ſit?
14. Ariſtotelem nobiſcum omninò ſentire.
15. Abſolutiſtas potiùs Platonicos, quàm Peripateticos eſſe.
16. Eos labi errore conſimili cum gentilibus circa idola.
17. Quare noſtra doctrina diabolo diſpliceat?
18. Quàm immeritò malè criminemur ab imperitis.
19. Veritatem cordatè tueri quousque pergamus,
20. Et quàm rectè.
21. Corpus eſſe ſubſtantialiter & eſſentialiter impenetrabile.
22. Spiritum autem per ſe & naturaliter penetrabilem.
23. Quid rei ſit locus; & quod non ſit corporis propria extenſio;
24. Quæ non eſt ens abſolutum.
25. Poſſitne corpus omni extenſione exui?
26. Negatur id poſſe.
27. Cum extenſio ſit proprietas conſequens corpus, non antecedens; vel potiùs eſſentia ejus.
28. Forma abſoluta ſi eſſet, ſpiritus eſſet.
29. Non eſſet unibilis materiæ: nec alio modo ſubſiſtit.

30. For-

30. Forma illa non est ipsa extensio corporis physici,
31. Nec illi eam præstat, nec aliud prædicatum.

FEBRUARIJ

d. 1. Motus localis aliorum motuum principium & via.
2. Mysterium circa illum detegitur.
3. Leges, quibus mobile promovetur vel reflectitur.
4. Motus rectus generat circularem vel curvilineum.
5. Et circularis aliquando rectum: unde sequitur varius & perturbatus.
6. Demonstratur motus libratorius, qui dicitur metu vacui.
7. Naturalis quare in fine velocior.
8. Datur causa physica refractionis in radio luminis.
9. Cur graviora tendant deorsum, leviora sursum?
10. Gravitas & levitas corporum non sunt accidentia absoluta.
11. Quia si creativè existerent, non essent, quod esse definiantur:
12. Sunt ergo entitates solùm modales;
13. Sicut & reliqua motuum principia proxima & formalia.
14. Ostenditur materia subtilis.

15. Quæ

15. Quæ eſt materia mundi, non corpus mobile vel phyſicum.
16. Sed tale quid, quale philoſophi deſcribunt.
17. Quomodo exinde lux & reliqua corpora ſucceſſivè producta ſint?
18. Quomodo ex eadem proceſſerit ignis?
19. Qui quare aliquando lucidus tantùm, aliquando calidus tantum?
20. Luminis qualitates recenſentur.
21. Cur propagetur uniformiter difformiter?
22. Cur inſtantaneè: per diaphanum, non per opacum: reflectitur: refringitur?
23. Cur calefaciat?
24. Concluditur eſſe qualitatem modalem.
25. Concluditur & ternarius elementorum primigeniorum.
26. Opponuntur argumenta contra noſtrum dogma de lumine.
27. Eadem ſolvuntur;
28. Et fit concluſio de lumine.

MARTIJ

d.1. Color quid ſit?
2. Quomodo ſit motivus perſpicui in actu? & lumen ipſum modificatè reflexum?
3. Quod omnis color ſit apparens, ſed non omnis permanens.
4. Quomodo diverſimodè reflectatur lumen à diverſa ſuperficie corporis opaci?
5. Magis minusque continuè, cum pauciori-bus vel pluribus umbris interpoſitis.

6. Quæ

6. Quæ diverſa conjugatio cum umbellis diverſos efformat colores.
7. Experientiis monſtratur alba eſſe, quæ magis continuè reflectunt lumen;
8. Et quare alba reflectant ſic.
9. Nigra ſunt, quæ radios reflectunt raros, & plurimis umbris diſtractos.
10. Quæ corpora ſint rubra experientiis oſtenditur.
11. Quæ flava ac cærulea:
12. Quæ viridia, &c.
13. Hîc muti ſunt abſolutiſtæ.
14. Color rectè dicitur eſſe corporis cujusvis complexio & compoſitio ex partibus.
15. Lumen non tantùm eſt color; ſed etiam ſpecies impreſſa, expreſſa & calor.
16. Calor cum halitu propagatus.
17. Frigus calori contrarius quid rei ſit?
18. Caloris & frigoris proprietates & effectus.
19. Demonſtrantur caloris,
20. Et frigoris quoque per cauſas.
21. Quomodo frigus corporibus redeat, amoto igne? & plura talia?
22. Calor & frigus non poſſent intendi & extendi, ſi eſſent qualitates abſolutæ, extra ſubjectum:
23. Niſi fortè intenſione vel extenſione minimâ; qualis impoſſibilis oſtenditur.
24. Non igitur eſſent qualitates:
25. Nec poſſent facere unum continuum, neque contiguum?

26. Imò

26. Imò qualitas extra ſubjectum exiſtens eſſet corpus ac ſubſtantia.
27. Innominabiliter extenſa vel chymæricè:
28. Eritque vel ſpiritus, vel faciens molem corpoream.
29. Quin imò amittet totam definitionem & eſſentiam ſuam;
30. Quod de anima rationali non ſequitur.
31. Periret reductio corporum ad proprias qualitates, aut fieret replicatio naturaliter, &c.

APRILIS

1. Qualitas utcunque dividitur in primam & ſecundam: ſunt tamen primis vulgaribus aliæ priores.
2. Quid ſiccitas, humiditas, tenuitas, craſſities, fluiditas, firmitas?
3. Quid durities, mollities, lævitas, aſperitas, flexibilitas, rigiditas, raritas, denſitas?
4. Quid gravitas, levitas, vis elaſtica, motus localis?
5. Quid ſapor, odor, ſonus, & ſenſibiles cæteræ?
6. Primo elemento competit extenſio, quantitas, impenetrabilitas, loco-mobilitas; ſecundo luciditas: tertio aliæ.
7. Ex tertio elemento primogeniorum generantur quatuor vulgaria, & ex his mixta.
8. Sic ut ſemper ex priore corpore ſimpliciore tanquam materia fiat conſequens, per formam

mam modalem, cujuslibet primariam ac principalem.

9. Quæ forma in corporibus est qualitas tertij prædicabilis, & ideò substantialis.
10. Ad quod corporum elementalium essentia penitius inspicitur;
11. Ut singulorum qualitas principalis & forma substantialis ampliùs eluceſcat.
12. Extensio seu magnitudo, prima qualitas materiæ, non est separabilis ab illa.
13. Idem est de impenetrabilitate, quam singula corpora à prima materia participant.
14. Cujus impenetrabilitatis defectu omnes etiam aliæ qualitates absolutæ in nihilum eunt.
15. Sicut & evanescunt, si earum inquiras extensionem, intensionem, situm, locationem, &c.
16. Eadem exaggerantur.
17. Pro forma ignis præmittuntur ignis proprietates, dum accenditur, & extinguitur.
18. Eadem continuantur.
19. Eadem.
20. Eadem.
21. Eadem.
22. Alia quædam ignis phænomena.
23. Continuata.
24. Formæ ignis absolutæ nulla apparet causa efficiens;
25. Nec materialis.

26. Cur animam rationalem non educit Deus è corpore, & cur non creat formam?
27. Nec ſecunda productio ejusdem formæ materialis fieri poteſt à cauſa ſecunda.
28. Forma abſoluta ſternit viam ad Manichæiſmum.
29. Naturaliter poterit exiſtere extra ſubjectum.
30. Vel ſi extra ſubjectum exiſteret, non eſſet potiùs forma ignis, quàm aquæ, &c.

MAIJ

d. 1. Continuat formam ignis, quod ſeorſim exiſtens non haberet ullam proprietatem entis.
2. Proprietates & experimenta ignis formam modalem, non abſolutam, oſtendunt.
3. Concluditur, Veteres formam reſpectivam agnoviſſe tantummodò.
4. Ab igne tranſitur ad terram, ejusque proprietates.
5. Inde ad aërem
6. Cujus aliquæ proprietates referuntur ad cauſas.
7. Continuat.
8. Continuat eadem.
9. Similia.
10. Harum proprietatum nulla aliquid debet formæ ignis abſolutæ.
11. Inter mixta terrea imperfecta primùm deſcribitur halitus:

12. Dein-

12. Deinde cinis, arena.
13. Calx, fuligo, carbo, capillitium veneris.
14. Mixta aquea ſunt fontes, pluvia, ros, glacies, nix, grando, &c.
15. Quorum mirabilia demonſtrantur.
16. Pluvia explicatur,
17. Cum ejus prognoſticis.
18. Quæ roris ſunt, adferuntur.
19. Glacies quomodo generetur?
20. Quomodo nix?
21. Grandinis natura.
22. Pruinæ effectus.
23. Fumi proprietates.
24. Nubes & nebulæ.
25. Concretiones aëreæ, uti ventus, iris, parelium, &c.
26. Ventorum materia & ortus in corporibus animalium:
27. Et in mundo perigæo.
28. Quomodo erumpant ex terræ cavernis?
29. Quomodo cauſent pluviam, vel ſervitutem?
30. Aliqui venti etiam in æthere generati.
31. Cur venti mutati mutent auram?

JUNIJ

d.1. Venti aliqui quare diuturni.
2. Quædam reliqua meteora aërea.
3. De igneis meteoris, fulgure & fulmine,
4. Analogia inter aquam ſtagnantem ad pontem, & materiam cœleſtem ad nubem:

5. Qua fulminis geneſis exponitur.
6. Continuatur.
7. Unde exiſtat fulminis ſonus?
8. Quomodo paretur cuneus?
9. Aliæ proprietates fulminis:
10. Et effectus admirandi.
11. Qui continuant.
12. Ignes fatui, trabes, dracones, capræ ſaltantes, &c.
13. Quid de prognoſi auræ & tempeſtate ſentiendum?
14. Concludit, meteora conſtare formâ ſubſtantiali ſolùm reſpectivâ.
15. Quod delaratur diſtinctiùs in cuneo fulminali.
16. Geneſis lapidum.
17. Ex lapideſcente ſucco.
18. De marmore & aliis lapidibus.
19. Metallum quid & quale.
20. Cur & quomodo generetur ex mare & fœmina?
21. Quot ſint ejus ſpecies?
22. Aurum deſcribitur.
23. Argentum,
24. Plumbum,
25. Stannum,
26. Æs vel orichalcum & ferrum.
27. Semi metalla, hydrargyrum, ſtibium, Sal.
28. Sulphur & nitrum.
29. Vitri natura & proprietates,
30. Succini quoque & bituminis & ſimilium.

JULIJ

JULIJ

d.1. Reflexio ſuper præcedentibus ratione formæ.
2. Materiam ſemper manere in mixtis, ſed non formam.
3. Unde & proprietates non manent, niſi refractæ:
4. Saltem ſpecificæ.
5. Elementum ergo non manet in mixto formaliter & ſecundùm formam.
6. Convenit noſtra doctrina cum univerſalibus ſciendi fontibus.
7. Qualitas alterativa quid ſit:
8. Quibus modis alteratio fiat?
9. Quomodo qualitates poſteriores fiant ex prioribus.
10. Quomodo contingat actio & paſſio.
11. Et reactio.
12. Ejus intenſio & remiſſio.
13. Etiam per antiperiſtaſin contrarij
14. Cumulus argumentorum contra formam abſolutam:
15. Cui nec ullus eſt locus in generibus entium.
16. Lapis manet lapis, ſive habeat formam abſolutam, ſive non
17. Quod ulterius oſtenditur.
18. Et exaggeratur.
19. Nihil per eam ſcientiæ præſtari.
20. Nullum ei prædicatum entis congruit.

21. Nulla argumentandi methodo inferri poteſt.
22. Non enim immediatè.
23. Sicut formæ modales accidentales multæ tum mediatè, tum immediatè pateſcunt;
24. Ita ſubſtantiales modales innoteſcunt per accidentales, & per effectus.
25. Deſcribitur & explicatur forma ſubſtantialis totalis per analogiam linguæ:
26. Sicut enim reſolvitur lingua in literas 24. ita forma mixtorum & ipſa mixta.
27. Continuatur, & oſtenditur cauſa materialis formarum modalium.
28. Oſtenditur & efficiens.
29. Modus quoque, quo formæ reſultent, oſtenditur ex artefactis.
30. Contra concluditur, formam abſolutam, neque à priore per cauſas,
31. Neque à poſteriore per effectus inferri poſſe.

AUGUSTI

1. Reſumuntur argumenta, quale eſt, quod noſtra forma eſſet accidens.
2. Nos non poſſe explicare myſterium euchariſtiæ.
3. Varia alia dicteria in nos congerunt.
4. Quod Chriſtus euchariſticus deciperet ſenſus noſtros.

5. Cum

5. Cum tamen ſenſationes oſtendamus fieri planè naturales.
6. Quod corpus alteratum per nos non ſe reduceret ad ſtatum naturalem:
7. Cum id nos omnino, adverſarij minimè oſtendant.
8. Quod non oſtendamus tria generationis principia, pariter falſum eſt.
9. Quamvis forma nihil agit, ſed totum per formam; cum actiones ſint ſuppoſitorum.
10. Cur forma ſit ſubſtantialis, & non ideò ſubſtantia?
11. Excutitur materia ſenſuum, an ibi forma abſoluta lateat.
12. Quid rei ſit ſonus.
13. Docetur experimentis.
14. Quæ continuantur.
15. Eadem.
16. Concludit, ſonum eſſe qualitatem modalem.
17. Saporem quoque eſſe formam reſpectivam,
18. Experimenta evincunt.
19. Continuatio.
20. Sapor aliquis accidentalis, aliquis ſubſtantialis, uterque modalis.
21. Odor quid ſit, oſtendunt experimenta.
22. Quæ continuant,

23. Et oſtendunt eſſe formam modalem.
24. De ſenſu tactûs,
25. Et organo ejus,
26. Effectibus,
27. Et objectis.
28. Ad myſterium Euchariſtiæ tranſitur.
29. Quia Corpus Chriſti habet extenſionem eandem cum pane & vino,
30. Ideo reſultant in eo iidem colores & ſapores.
31. Et odores quoque, planè perſpicuè & evidenter.

SEPTEMBRIS

D. 1. Forma continui Euchariſtici non eſt ſubſtantialis, ſed Euchariſtica.
2. Quomodo Corpus Chriſti ſub alienâ ſpecie exiſtat?
3. Quomodo nutriat etiam corpora noſtra.
4. Idem continuativè aſſeritur;
5. Et roboratur:
6. Daturque concluſio de Euchariſtia.
7. Tranſitur ad animas brutorum, de quibus hæreſes referuntur.
8. Inquiritur eſſentia animæ noſtræ.
9. Quomodo anima dicatur ſentire,
10. Et ſenſationibus moveatur ad intellectiones?
11. Simulque ad motus appetitivos & volitivos?

12. Sed

12. Sed & actus ſpirituales animæ excitant animales.
13. Comparantur inter ſe actus animæ unitæ & non unitæ corpori.
14. Implicat angelum poſſe ſenſationem elicere.
15. Æquè parum poteſt anima bruti intelligere, etſi eſſet abſoluta.
16. Nec anima noſtra immediatè ſentire poteſt.
17. Quid rei ſit actio ſensûs?
18. Explicantur ſpecies impreſſæ.
19. Continuatio.
20. Quaſdam ideas rerum eſſe congenitas.
21. Quomodo eæ excitentur,
22. Et determinent ad motum apetitûs.
23. Quid ſit ſenſatio externa, interna, appetitus, vitalitas.
24. Eadem explicantur.
25. Corpus Chriſti Euchariſticum quomodo ſit glorioſum & modo mortuo?
26. Inculcatur cognitio motûs localis.
27. Cujuſmodi contactus vel impetus requiratur ad motum?
28. Quomodo angelus moveat volendo?
29. Quomodo anima organa corporea?
30. Creatura ad motum non niſi determinando concurrere poteſt.

OCTOBRIS

D.1. Quomodo à se mutuò pendeant actiones animales & mentales in homine?

2. Quomodo anima dici debeat sensitiva, non tamen corpus intellectivum?

3. Anima bruti absoluta non posset causare actiones animales,

4. Nec per miraculum quidem.

5. Etiam inanimalis quædam generica sensatio inest.

6. Quæ ostenduntur exemplis,

7. Et explicantur.

8. Bruta non cognoscunt ea, quæ agunt, ut homo.

9. Mundus corporeus quomodo nobis sit liber à creatore prælegi solitus.

10. Quantum nostra philosophia sit Platonicæ præferenda?

11. Transitur ad vitam vegetativam;

12. Cujus actiones explicantur in homine.

13. Et experimentis roborantur.

14. Quomodo anima nostra influat in illas actiones.

15. Quid rei sit anima bruti, & quomodo influat in actiones brutales.

16. Anima brutalis absoluta inutilis prorsus esset ad illas actiones.

17. Esse

17. Esse unum animam bruti sensitivam & simul vegetativam realiter.
18. Quomodo succedant actiones vegetativæ ?
19. Continuatio.
20. Et explicatio per experimenta.
21. Quid rei sint semina plantarum & animalium.
22. Quomodo illa parentur à viventibus.
23. Quædam experimenta vegetabilium
24. Et effectus explicantur.
25. De foliis, floribus, pennis, pilis, &c.
26. Pilorum defluvium, canities, ossa, cornua &c.
27. Concluditur, vegetationem ab anima absoluta provenire non posse:
28. Quod ampliùs demonstratur.
29. Et ulteriùs urgetur;
30. Instatur;
31. Continuatur.

NOVEMBRIS

D. 1. Inchoatur consideratio de peccatis
2. Est ergo peccatum actus mortaliter malus, & ideo semper accidens.
3. Contra quosdam errores Manichæorum, Hermianorum, Manichæorum:
4. Qui fundamentaliter refutantur.
5. Quid rei sit malitia peccati: positivánе an negativa ?

6. Fun-

6. Fundamentum libertatis inquiritur.
7. Quod non eſt contingentia objecti :
8. Quod oſtenditur.
9. Neque contingentia actûs eſt fundamentum & forma libertatis.
10. Neque eſt ipſa voluntativitas, concurſus Dei, vel cognitio indifferens.
11. Neque prædeterminatio phyſica,
12. Ad quam ſolùm paſſivè ſe habet creata voluntas.
13. Requiritur quidem determinatio, ſed activa ipſius liberè volentis.
14. Determinatio non eſt ipſa volitio.
15. Et licet determinatio ſimpliciter non ſemper, tamen determinatio ſui ipſius eſt quædam actio.
16. Quæ actio qualiter de potentia reſultet exponitur.
17. Quomodo in voluntate diſtinguenda ſit multiplex potentia?
18. Quod potentia determinandi ſe ſit naturalis, vitalis, poteſtativa.
19. Quæ etiam ineſt Deo, & ejus uſus ſine mutatione alterativa vel reali ſive abſoluta.
20. Attamen modalem aliquam Deo competere non poteſt negari.
21. In eadem conſiſtere libertatem Dei & creaturæ docet S. Thomas.

22. Præ-

22. Prædeterminatio physica non combinatur cum libertate.
23. Recentior aliquis duas prædeterminationes adstruit.
24. Sed refutatur illa doctrina,
25. Continuatur refutatio.
26. Eadem.
27 Eadem.
28. Peccatum actuale quid rei sit ?
29. Quid peccatum habituale & originale ?
30. Errores plurimi hæreticorum circa peccatum.

DECEMBRIS

D. 1. Supernaturalitas quid, & cujusmodi prædicati sit ?
2. Amicitia hominis cum Deo quid & qualis ?
3. Quomodo eadem continuetur & crescat, vel contrà deficiat ?
4. Quomodo affectus amicabiles differant ab aliis supernaturalibus ?
5. Quomodo similes respondeant in Deo erga homines ?
6. Quomodo acquiratur vel amittatur fides divina habitualis ?
7. Describitur habitus fidei.
8. Quomodo dicatur infundi, inhærere, influere, augeri, esse instar potentiæ ?

9. Spes

9. Spes quomodo ſit ſubſequa fidei?
10. Cujus habitus deſcribitur.
11. Quomodo utrique ſubordinetur charitas, quæ deſcribitur.
12. Differantne inter ſe amicitia Dei & charitas?
13. An & habitus gratiæ ab utriſque?
14. Cur amiſsâ gratiâ maneat adhuc fides & ſpes.
15. An per miraculum poſſint ſtare habitus iſti cum peccato oppoſito?
16. In quo ſita ſit ſupernaturalitas & pretium actuum meritoriorum.
17. Reſpondetur ad quæſtionem.
18. Quomodo veniale peccatum conſiſtat cum gratia, diſponat tamen ad mortale.
19. Reſpondetur ad quæſtionem 15. hujus propoſitam, negativè, & demonſtratur.
20. Quare in beatis maneat charitas, ſed non fides & ſpes; & quare nihil horum in damnatis.
21. Errores Bajani in materia gratiæ:
22. Ejusdem alij.
23. Janſenij errores.
24. Pelagij & Semipelagianorum.
25. Quomodo hos ſcopulos declinet philoſophia noſtra?

26. Pro-

26. Prosequitur eadem.
27. Continuat.
28. Pergit.
29. Potest Deus gratias supernaturales disponere & exequi per angelos.
30. Concludit, entitates gratiarum non esse nisi modales.
31. Quemadmodum & character sacramentalis, & lumen gloriæ.

PRÆ-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [315] - 271
PUBLIC DOMAIN

PRÆFATIUNCULA.

ANnum appello elucubrationem hanc meam, quia dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam: *Sive tanta est mihi argumentorum ubertas; ut sicut cuivis diei sua lux specialis & propria fulget; ita quoquò ferè mentis oculos vertam, inde novum lumen veritatis, vel absque mentis indagine, se exhibet. Unde nec ordinis sum, nec bonæ connexionis sollicitus: sed ita singula spargam, uti quælibet dies quamlibet adspiraverit auram. Facili tamen negotio efficiam, ut quotidie lector non solùm doctior fiat; sed etiam ipsis oculis conspiciat, quàm nullâ injuriâ hujusmodi formæ & merissimum figmentum, & ipsissimam fatuitatem adjudicem: sed & quantum rei scholasticæ emolumentum attulerim. Nolim etenim quemquam existimare, me levi causa ad ista scribenda adductum esse. Cum enim Theologica studia plurimùm à Philosophia dependeant, magni procul dubio inter-*

intereſt, iſtam integram, ſinceram, & ſine fuco haberi. Enim verò ex formis & materiis ſubſtantialibus, omnes corporeæ ſubſtantiæ, tanquam principiis conſtant; ſicut & ex accidentalibus totus reliquus etiam methaphyſici ſyntagmatis apparatus; ubi autem circa partes eſt mera caligo, quid lucis de toto habebitur? Si ſcaturigo fortis eſt lutum, quæ de rivo ſalus potabitur? Quid mirum, ſi initium viæ eſt error, quod per avia ſilvarum & invia, multo cum ſudore, ſed nullo operæ pretio curratur? Quam etiam ob cauſam ſuppono, Soliloquium, *ubi metaphyſica & univerſaliſſima pono, ante iſta legendum eſſe: tametſi exinde hîc aliqua repeto. Criminationibus hominum, quibus ferendis callum jam pridem obduxi, antevertendis non magnoperè ſtudeo, tuis tantùm commodis Lector optime, rei que publicæ & veritatis, utilitati Eccleſiæ, Deique gloriæ occupatus.*

JANUARIUS.

DIES I.

ENs absolutum est, *cui non implicat, creativè existere*: sive, quod potest existere extra omne subjectum: quod potest absolvi ab omni subjecto: quod per se potest existere, & secundùm se subsistere. Entitas autem respectiva vel modalis est, quæ nequit existere extra subjectum: *cui implicat* seorsim à subjecto, sivè *creativè existere*: quæ neque subsistere potest, neque existere per se, sed tantùm per subjectum suum: unde non est ens in se, aut per se, vel secundùm se, sed tantùm est entitas in alio, per aliud; est entis formalitas, entitas, realitas, modus, modalitas, habitudo, relatio, respectus, &c. Est hæc definitio *nominalis*, sive mathematica, ad æquivocationem prohibendam necessaria: quæ nihilominus instar argumenti reputari potest; cum quidam adeò sint Andabatæ, ut cum identidem contra entia respectiva declament, interrogati tamen se ignorare ostendant, quid rei hi termini significent.

DIES II.

Agnoscendæ sunt entitates respectivæ in rebus. Quis enim usque adeò effrons erit, qui neget, rebus inesse multitudinem, similitudinem, proportionem, distantiam, præsentiam, scriptionem,

nem, seſſionem, ſtationem, reatum, cenſuram, poteſtatem, ſervitutem, &c. Aut ita cœcus, ut aſſerat, hujuſmodi habitudines rerum poſſe exiſtere ſine ſubjecto, per ſe, & ſecundùm ſe ſubſiſtere? poſſe creari à Deo, ſeſſionem, ſtationem, ſcriptionem, ubi nullus ſit ſedens, ſtans, ſcribens, &c. De hujusmodi ſatis copiosè ſcripſi *ſoliloquio Lamuelis ſect.* 1. ubi vide, ſiquid hîc obſcurum remanſit.

DIES III.

Dum quæritur, *an forma phyſica ſit ens, potens extra ſubjectum exiſtere*, ſatuè prorſus aſſeritur eſſe, propter hoc argumentum: *Nihil eſt negandum omnipotentiæ divinæ, quod non involvit implicantiam manifeſtam.* Nam circulo prorſus vitioſo probatur idem per idem. Etenim non poſſe exiſtere extra ſubjectum, & eſſe entitatem ſolùm modalem æquipollent; ut abſque dubio negandum ſit omnipotentiæ divinæ, tale ponere creativè: ergo quærere, an forma poſſit ſeorſim & creativè exiſtere, eſt ipſum quærere, an talis exiſtentia formæ ſit negandæ omnipotentiæ divinæ? tu dicis poſſe, quia non eſt negandum quin poſſit. Da aliquem circulum vitioſum, ſi hic non eſt. Si forma poteſt creativè exiſtere, eo ipſo eſt ens abſolutum, *juxta dicta die* 1. *currentis*: hoc autem quæritur, an ſit. Tuum ergo eſt, ſi affirmas; oſtendere aliquo argumen-

mento, distincto à supposito tuo, quo supponis, posse formam creativè à Deo poni. Non cupio nominare eos, qui tam ineptis argumentis utuntur, cum satius sit, errores evertere, quàm errantes producere.

DIES IV.

Nec ex eo probatur forma materialis absoluta, *quod corpora violentiam passa*, e. g. aqua calefacta, *se reducant ad priorem qualitatem.* Simili modo gentiles concludebant, igni quod ureret, aquæ quod flueret, &c. inesse aliquod numen. Sed nulla consequentia : quia hæc omnia fiunt per formas corporum modales, per quos ipsa subsistunt, uti post aliquot dies vel menses videbis.

DIES. V.

Quidam sic obloquuntur : *Forma relativa nihil est, nisi subjectum & terminus*, præter quæ *nihil est tertium*, quod forma dicendum sit : ergo si formas absolutas negamus, omnem formam auferimus, & philosophiam omnem truncamus. Sed tolerari non potest hæc propositio, *forma relativa nihil est.* Alioquin peccatum originale nihil est, efficacia gratiæ nihil est, amicitia cum Deo nihil est, malitia peccati nihil est, potestas gubernandi merus peccatorum nihil est, proportio corporum & jurisdictio nihil est, subjectio in subdito, & obligatio parendi nihil est, numerus

porum, magnitudo, majoritas, minoritas, æqualitas, figura, extensio, & totum matheseos objectum nihil est: mathesis nihil omninò docet, qui honorem detrahit, nihil nocet, qui numerum peccatorum confitetur, nihil confitetur; qui gratiæ efficaciam negat, nihil negat; qui amicitiam Dei perdit, nihil perdit; baptismus dum tollit peccatum originale, nihil tollit. Absint ista ab ore hominis orthodoxi: meliora disce in *soliloquio Lamuelis sect.* 1.

DIES VI.

Mysterium Eucharistiæ, inquiunt alii, à nobis *explicari non potest*, si accidentia absoluta negamus. Sed tu lege primum dialogum Lamuelis, & videbis, mysterium tam egregiè & fundamentaliter explicatum, quàm tibi nunquam in mentem venisset. Accidentia si absoluta entia essent, jam ipsissimæ substantiæ essent; quia per se subsisterent. Disce priùs causam cognoscere, quàm de ea sententiam feras, ne sanè iniquus sis judex, qui ab executione processum incipias.

DIES VII.

Nos *formam substantialem*, ais, *in meris accidentibus constituimus*, & sic nullum compositum substantiale relinquimus. Verùm apage præmaturas crises! cognosce priùs, quid sit substantiale, quid accidentale, quæ te tempora consequentia docere oportet, quæ rosas & fructus ferent, si patienter expectes.

DIES VIII.

Forma dat esse rei, & *constituit substantiam: ergo* forma *debet esse substantia*; quia *quod constituit substantiam, debet esse substantia.* Hic magnus philosophiæ vulgaris Achilles est, hoc nomine prorsus indignus. Nam forma debet quidem esse substantialis, quia per eam existit, ac subsistit corpus in tali specie substantiali: at non ideò debet ipsa esse substantia. Etenim ex eo, quod quidpiam prædicetur *adjectivè* & in quale, non sequitur, etiam prædicari *substantivè* & in quid. Nonne enim sanitas est quid corporeum & materiale: estne ideò corpus vel materia? actio aliqua est spiritualis; estne ideò Spiritus? gratia est quid divinum; estne ideò DEUS? Unitas constituit binarium; estne ipsa binarius? Omnis pars constituit suum totum; estne ipsa suum totum? Vides falsitatem sequelæ, cui ceu fundamento tam multa superstruis?

DIES IX.

Quare autem forma substantialis non potest esse ac dici substantia? Ideò sanè: quia *si esset substantia, esset corpus*, sicut enim ex linea prædicamentali, substantia spiritualis est spiritus, ita substantia materialis est corpus: formam autem adhuc nemo corpus asseruit; est enim forma illa ratio, per quam quidpiam est corpus tale, non ipsa corpus. Nec ad rem est, dicere, formam

mam esse *substantiam* tantùm *inadæquatam*, & ideò non propterea esse corpus, quod sit substantia: nam etiam anima nostra dicitur substantia inadæquata, & nihilominus est Spiritus, quia substantia spiritualis. Non enim ideò anima dicitur substantia inadæquata, quasi ei, in se & secundùm se aliquid ad esse substantiæ desit; sed quod non sit sola, ex quo homo constituitur, qui non est tantùm anima, sed compositum ex corpore & anima. Dum ergo dicitur *substantia inadæquata*, subaudiri debet, *humana*: nempe substantia humana adæquata est corpus & anima simul; substantia humana inadæquata est vel corpus humanum, vel anima humana seorsim. Eodem ergo modo, etsi forma materialis, si est substantia, sit substantia inadæquata respectu corporis physici, quod existit ex materia per formam simul, & ideò sit substantia corporis physici inadæquatè: si tamen possit per se seorsim subsistere, erit secundùm se, & per se solam substantia: cum ad hoc aliud non requiratur, quàm *posse per se existere*; & similiter erit corpus, per se, & secundùm se, quod ad esse corpus simpliciter aliud non requiratur, quàm esse substantiam corpoream; sicut ad esse spiritum non requiritur, nisi esse substantiam spiritualem.

DIES X.

Neque ille te scrupulus inquietet, quod *formam absolutam* dicant, *non posse existere seorsim*

absque miraculo: nam miraculum nihil mutat in eo, quod quidpiam est vel non est, sed modum existendi solummodò variat; sicut vinum miraculosè productum est vinum ejusdem speciei & generis, cum eo, quod ex vite expressum est: Adam & Eva non fuerunt propterea alij homines, quod alio modo, quàm cæteri creati fuerint. Deinde miraculum etiam quoddam est, & animæ violentum, seorsim â corpore existere. Tametsi enim anima possit etiam inorganicè intelligere, & seorsim à corpore simpliciter existere: per se tamen & juxta naturam suam organicè intelligit, & per naturam requirit uniri corpori organico, à quo separari ipsi violentum, & contra naturam est.

DIES XI.

Velim etiam advertas, Aristotelem, dum loquitur de substantia, vel de corpore, non intelligere corpus simpliciter, & prout est præcisè ens per se existens, aut substantia materialis qualiscunque; sed loqui de *substantia physica*, & prout est *corpus physicum:* scilicet quale est consistens ex naturis, materia & formâ, & per motus naturales generatum. sunt autem motus naturales quatuor in specie: ad locum, ad qualitatem, ad quantitatem, ad substantiam; sive *latio*, *alteratio*, *augmentatio*, *generatio*. Considerat enim Philosophus corpus, ut est objectum scientiæ physicæ, & rerum naturalium, qua-

quatenus est sensibile & sub experientiam sensuum, usumque aliquem cadit.

DIES XII.

Sed hîc rursum objicis : Nos *dogma Democriti* post sæcula obsoletum reducimus, *de atomorum confluxu*, quod malè audit, & generationem substantialem excludit ; eò quod formam nullam fieri asseramus. Respondeo, malè audit Democritus & asseclæ ejus, quatenus concursum fortuitum & merè casualem docere dicebatur, absque providentia DEI, & actione tum causarum naturalium, tum creatoris ; atque ita mundum negabat à DEO gubernari, & creatum fuisse, sed ex atomis ab æterno existentibus casu coaluisse : quod non docemus nos. Porrò non habet oculos, qui particularum variarum continuam in mundo mixtionem non videt. Quamvis verum non est, solo hujusmodi concursu fieri corpora nova, & vetera destrui : cum hæc innumeris actionibus contingat, ex Aristotele & experientia : putà *rarefactione*, *condensatione*, *extensione*, *compressione*, *coctione*, *liquatione*, *distillatione*, *resolutione*, *sublimatione*, & innumeris, quas præclarè chymici imitantur & monstrant. Atque ita formæ haud dubiè substantiales aliæ de novo resultant, aliæ veteres desinunt, per quas generatio corporum & corruptio substantialis contingit ; etsi formæ absolutæ non sint, quæ possint se ipsis subsistere, ut substantiæ sint.

DIES XIII.

Rursum opponis, nostram *doctrinam esse novam.* En quàm lepidus homo es, modò ut antiquatum reprehendebas, nunc novam vituperas. Si vera est, æterna est, antiqua sanè: nam omne verum scibile & Theoricum æternum est; novum solùm est respectivè ad discentem, cui verum noviter innotescit: sicut auri fodina nova dicitur, quod recens inventa sit, etsi in montibus sæculorum abstrusa latuerit semper. Visne ideò aurum inde non extrahendum esse, quia sic nova est? aut nihil vis docere discipulum, nisi quod jam noverat? ubi est sapientia tua? Quamvis dicterium hoc in tuas formas absolutas potiùs rectissimè quadrat, quæ ætatem unius sæculi vix habent: ex quo enim veterum Philosophorum, si Averroem Arabem excipias, produces hoc sophicum assertum, *forma corporis physici est substantia*, potens per se seorsim existere? Ostende, si potes, ex Aristotele, aut D. Thoma, aut uno SS. Patrum.

DIES XIV.

Ad Aristotelem quod spectat, is 2. *phys. text.* 18. manifestè reprehendit Platonicos, quod formas à materia separent, cum minùs separabiles sint formæ physicæ, quàm mathematicæ: Nam idem subjectum, ait, potest esse par & impar, rectum & curvum; numerus quo-

quoque, linea, & figura, potest habere aut carere motu : denique nasus potest esse simus, sed non potest esse caro, si formâ physicâ careat. & *eodem cap. tex.* 26. asserit, formas posse quidem separari, sed in materia tantum : sive, posse quidem corpus unum mutari in aliud, sed formam cessare in materiam, extra quam existere nequeat. 6. *metaph. c.* 10. formam sine materia esse non posse, materiam sine forma nec cogitari quidem. 1. *phys.* 7. *t.* 64. & 66. *met.* 8. Non generari formam, sed totum. 1. *de ortu & inter.* generationem esse mutationem totius in totum, sine productione scilicet alicujus entis absoluti, præter ipsum totum, quod fiat. 1. *physic.* 9. materiam & formam non esse propriè substantias : esse tamen *quasi* & *quodammodo* substantiam; quia scil. simul sunt ipsa substantia physica, & corpus, quod ex materia per formam subsistit. Aliàs verò passim formas vocat τὸ εἶδος, λόγον, speciem, rationem, modum materiæ, ejus perfectionem, actum, ἐντελέχειαν, rationem essendi : comparans eam cum numero, cum harmonia in sono musico, cum figura in artefactis, &c.

DIES XV.

Suadeo proinde etiam atque etiam, ut Aristotelem, cum aliquo bono interprete, diligenter legas, & facilè intelligas, eum prorsus nobiscum sentire & loqui. Videbis etiam, quàm imperitè & injustè nobiscum adversarij agant, dum nos

nos accusant ab Aristotele deviare; quasi verò non frequentissimè Aristoteles formas Platonicas sive separabiles impugnet; & ipsi ideò Peripatetici dicendi sint, quod formas absolutas profiteantur: in quo sanè eodem agunt modo, quo quidam olim heterodoxi se apostolicos, & hodie evangelicos alij se vocant. Quin imò verissimè assero, dogma de formis absolutis aliunde non habere originem, quàm Aristotelis neglectum, quem constet ab eis neque legi neque intelligi. Cum enim distinctionem formalem in rebus modalem & relativam malè calleant, simul atque audiunt, vel legunt, Aristotelem docere duo principia physica, statim apprehendunt, illa absoluta entia esse debere. Porrò distinctionem illam respectivam sufficienter explicui *in Soliloquio sect.* 1. *ex ipso Aristotele:* & alibi fusissimè.

DIES XVI.

Hesternam lectionem quò faciliùs & expeditiùs apprehendas, scias idem hoc in negotio usu venisse Philosophis, quod olim gentibus, quos ridet S. Augustinus, omnes rerum eventus, mutationes, actiones, modalitates, idolorum figmentis expressisse, *de civit. lib.* 4. *c.* 8. *&* 11. Sic enim undam in medio mari consistentem vocarunt *Thetyn*, quæ verò ad littus venit *Veniliam*: Ita finxerunt Deam *Fortunam*, *Stimulam*, *Murciam*, *Strenuam*, *Pecuniam*, *Victoriam*, *Educam*, *Potinam*, *Lucinam*, *Levanam*,

nam, Cuninam, Volupiam: ita DEO *Somno* ſua ſomnia, *Morpheum, Phantaſum, Phobetorem* adjecerunt: ita hodiedum noctes alqui & dies, aërem nigrum & album eſſe arbitrantur: ita mortem per umbras oſſeas, amœnitates montium & fontium per nymphas exprimimus; eruditè quidem, ſi intra terminos poëticos: ridiculum tamen eſt, quod etiam Philoſophi paulatim, videntes fluere aquam deorſum, ignem ſurſum moveri, plantam augeſcere, &c. ſimilibus rebus aliquã ſubſtantiam abſolutam, cujus virtute iſta eveniant, inſiſtere, tanquam ipſiſſimam veritatem perſuaſi ſint; quæ revera non ſunt niſi commenta certiſſima, ex ignoratione genuinæ philoſophiæ profecta, tantò digniora refutatu, quod figmentis gentilium DEI idolorum ſimillima ſunt.

DIES XVII.

Hinc tu facilè diabolicam fraudem agnoſces, qua infernalis prædo, ſicut per tenebras & caligines ambulat, Scholarum præſidibus inſpirat, noſtram doctrinam non eſſe docendam, & qui eam docere velint, à cathedris removendos. Quo nihil indignius inſulſiusque fieri poteſt: quaſi viri eruditi, quibus ob veritatis explicationem ſuus honor debetur, tanquam canes tractandi ſint, quibus non argumentis, ſed fuſtibus, dogmata ſint inculcanda. Sic fiebat in diebus Jeroboam, quando de extremis populi, in Levitarum defectu, ad ſacerdotalia decora aſſumebantur. Pudeat!

DIES

DIES XVIII.

At enim *Theologiæ non congruit doctrinæ* noſtra, cum experimentis nitatur plurimis, à viris malæ fidei productis? Rectiùs diceres, Theologiam per nos à multis erroribus, æquivocationibus, & tenebris liberari. Quid eſt difficilius, quàm libertatem divinam exponere, & humanam cum gratia combinare? Quid myſterio Euchariſtico mirabilius? Utrumque explicuimus eâ perſpicuitate, quam nemo non admiretur. Experimenta & ſcientias etiam ab Ethnicis nobis aſſumimus. Fateor tamen experimenta, quæ medicis nuda ſufficiunt, à nobis eſſe ſubordinanda altioribus ſcientiis, & doctrinæ Ariſtotelicæ ac Thomæ Aquinatis, quod facimus nos. Denique obteſtor iterum, ne ſententiam ante notitiam feras.

DIES XIX.

Hactenus argumenta adverſariorum; vel dicteria potiùs: nam verum & poſitivum, quod vel ſuſpicionem prudentem mihi faciat, non equidem reperio: tu ſi repereris, adfer; longus eſt annus, dabitur quotidie proponendi libertas. Quam diu verò nullum attuleris, formam tuam meriſſimum figmentum dico, non niſi ſuppoſito phantaſtico, *de quo die* 16. inaniſſimè nixum.

DIES

DIES XX.

Quod tamen tibi dictum à me ne acerbius accidat: forma tua *vel est per se nota*, & immediatè, ac sine medio, vel absque discursu constat, sicut illa gnome, *Totum est majus suâ parte?* & hoc minimè dices. Vel constat per discursum ex medio. Medium illud porrò vel est *auctoritas* Dei revelantis; vel hominis, de quo talis scientia præsumenda sit, & qui eam rationibus ostendere possit: vel est *ratio naturalis scientialis*, aut saltem *opinionabilis*. Horum nihil adducis, & quæ adduxeras, jam sunt eversa. Et tamen vis, ut sentiam tecum, h. e. ut tecum delirem? estne hoc desiderium sapientis viri? Sed cras progrediemur magis ad rem.

DIES XXI.

Ut igitur de *substantia generatim*, & corpore qualicunque pergamus agere, hoc est *connaturaliter impenetrabile*; sive expulsivum ac exclusivum alterius corporis à loco suo. Dico impenetrabile, non impenetrans, vel impenetratum: Nam illud quidem est prædicatum conveniens omni, soli, & semper; hoc autem non semper. Potentia igitur sic excludendi est prædicatum *substantiale* ac essentiale; actus autem prædicatum *accidentale*, quod potest abesse aut adesse, salvo corpore, ut constat ex fide; & ratio est evidens, quia potentia quidem potest esse

esse sine actu, sed non actus sine potentia. Nimirum actus est *potentia determinata*; potest autem potentia determinari, vel non determinari. Ex quibus patet, potentiam sic exclusivam esse prædicatum corporis ut sic, vel in quarta, vel in aliqua priorum prædicabilium classe; cum substantialem esse ostensum sit.

DIES XXII.

Patet insuper, *substantiam per se & naturaliter penetrabilem* ac penetrativam non *esse corpus*, *sed spiritum*. Nempe omnis substantia, sicut est ens per se subsistens, ita vel est corpus, vel Spiritus. Cum ergo solum corpus sit per se impenetrabile; substantia per se penetrabilis erit spiritus. Et quia spiritûs prædicatum principale ac specificum est intellectivitas, ideò prædicatum per se & naturaliter penetrandi erit saltem genericum, putà negativum: quia substantiale & essentiale. Quomodo autem spiritus nihilominus possit quoque aliud ens à se repellere, sine actu tamen impenetrativo materiali, hodie non dicetur.

DIES XXIII.

Dum autem dicimus, corpus esse expulsivum alterius corporis è loco suo, non est intelligendus locus ille, quem corpus expellens habeat pro suo loco, sed quem corpus contiguum videatur sibi velle acquirere. Videndum

dum ergo ante omnia quid rei sit locus. Est autem locus non extensio, quam corpus habet ut suam: sed superficies corporis extranei contigui, intra quam contentum ipsum ambitur & continetur. Sic mundus corporeus, sibi utique extensus, non est in loco, & non habet locum, quia nullius extra se superficie continetur: est tamen corpus unum mundiale, quod in alio diverso corpore mundiali contiguo continetur, secundùm superficiem, & tanquam in sinu portatur in illo sic continente, tanquam in loco suo. Est ergo locus aliud nihil, quàm *forma respectiva, qua corpus in corpore continetur secundum superficiem.* Unde corpus omne habet extensionem sibi propriam, quæ tamen extensio non est ejus locus; sed continens suâ superficiali extensione præstat locum corpori contento, & *contentum* accipit locum & locationem à *continente.* Porrò quid rei sit extensio, difficilior est quæstio, quàm videatur esse.

DIES XXIV.

Extensio igitur non est accidens absolutum. Quia si extensio extra subjectum existeret, non existeret per subjectum, ut patet in terminis; sed per se ipsum existeret: ergo substantia esset; quia substantia non est aliud, quàm *ens per se existens*, ut ostendi in *Soliloquio.* Deinde esset extensio sine extenso, & nullius extensi; quæ tam chymærica est, quàm sessio nullius sedentis, ambulatio nullius ambulantis, scriptio

nullius ſcribentis, præſentia nullius præſentis, &c. *de quibus die 2.* Ex quibus conficitur, extenſionem corporis non eſſe *ens per ſe*, ſed entitatem modalem vel ſubſtantialem vel accidentalem, de quo porrò. Conficitur inſuper, vacuum, inane, ſpatium extra mundum, eſſe meriſſimas chymæras: quia eſſent extenſiones ſine extenſis.

DIES XXV.

Quæritur, an, ſicut extenſio eſſe non poteſt ſine ſubjecto extenſo, ita *corpus*, quod ſolet extendi, *poſſit omni extenſione carere?* Et quidem potentialem extenſionem, ſive extenſibilitatem videtur eſſentialiter habere, æquè vel magis, quàm impenetrabilitatem. Nam corpus eſſentialiter eſt locabile, loco commenſurabile, ſive menſurabile in longum, latum & profundum. Certè menſurabilitas ſive quantitas non convenit ſpiritui: ergo ſi neque corpori convenit per ſe & ſubſtantialiter, nulli rei conveniet; & ideo erit quid fictum & commentitium: quidquid enim eſt perfectivum, vel quovis etiam modo prædicabile, eſt perfectivum alicujus, & de aliquo prædicabile. Sed an corpus poſſit actuali extenſione carere, ſicut poteſt actuali excluſione vel impenetrabilitate? De hujusmodi ſeparatione etiam ſolùm actuali non habemus exemplum in fide. Nam dum Chriſtus penetrabat januam, communiter ſupponitur, Chriſti corpus, ſicut & corpus januæ, manſiſſe

ſiſſe extenſa, & cöextenſa loco, vel impleviſſe adhuc ſuum locum. Sicut etiam minima phyſica habent extenſionem ſuam ſingula, partialem; quia conjuncta faciunt totalem & majorem. Minima quoque Euchariſtica ſimiliter.

DIES XXVI.

Cum itaque temere nihil ſit affirmandum; & extenſio actualis non ſit prorſus idem, quod impenetratio actualis; extenſio autem potentialis ſaltem ſit corpori ſubſtantialis; actualis autem extenſio ex nullo argumento pateſcat, quod unquam fuerit à corpore ſeparata: ſupponendum manet & concludendum, extenſionem eſſe corpori non ſolùm ſubſtantialem, ſed etiam ſemper actualem; & ideo non conſiſtere in potentia determinabili ad actum; ſicque corpus ſemper eſſe longum, latum, & profundum, adeoque ſemper eſſe figuratum; cum figura aliud non ſit, quàm extenſio terminata: Spiritui autem horum nihil competere; qui proinde nec eſt extenſus, nec figurabilis, nec menſurabilis, nec locabilis, nec tactivus vel tangibilis. Et quia hinc ſequitur, extenſionem eſſe quid magis intimum corpori, quàm impenetrabilitatem; ideo illa prior & potior atque ſpecifica, hæc autem proprietas dicenda eſt.

DIES XXVII.

Itaque *extenſio* iſta eſt ſpatium corporis, & dicitur locus intrinſecus, quem corpus non invenit, & occupat, tanquam aliquid præexiſtens ſibi, ut vulgus imaginatur: ſed adfert ipſum ſibi illud ſpatium & locum; imò *eſt ſibi ſuum ſpatium*, cum ſit ejus perfectio ſpecifica & conſtitutiva; ſic ut rectè definias corpus ut ſic, *Res extenſa, ens ſpatioſum, ſubſtantia locabilis*, ſive potens eſſe in loco extrinſeco, *res menſurabilis*, longa, lata, profunda; quæ omnia in idem recidunt. Non igitur poteſt corpus illud ſuum ſpatium alienare, nec unum corpus expetere ſpatium alterius intrinſecum; quia natura nihil expetit impoſſibile; nec poteſt unum corpus extendi per extenſionem alterius; ſicut ſpiritus unus non poteſt intelligere per intellectum alterius. Unde extenſionem tanquam proprietas ſequitur impenetrabilitas, ſive expulſivitas alterius à ſe; quia ſcilicet quodvis corpus ſuam tantùm, & alteri incommunicabilem habet extenſionem. Poteſt tamen potentia excluſiva carere ſuo actu, ut actu compenetratio fiat: quod dum accidit, non unum exiſtit extenſum extenſione alienâ; ſed duo ſunt cöextenſa ſimul, utrumque tamen propriâ ſuâ; ſicut duo poſſunt ſimul durare, etſi duratione utrumque ſuâ. Dicuntur ergo tunc eſſe in eodem loco, reſpectivè ad corpus extrinſecum continens, & habere eundem locum extrinſecum, eandemque commenſurationem ad extra,

&

& figuram eandem ; ſpecie ſcilicet eandem, non numero. Sed quid ſpectat appetitus corporum ille, quo unum expetit occupare locum alterius ?

DIES XXVIII.

Priusquam reſpondeam ad quæſtionem herî propoſitam, nota ex dictis interim ſequi, quàm *chymærica* ſit forma *abſoluta*. Sicut enim corpus ſubſtantialiter & eſſentialiter eſt extenſum & impenetrabile, quæ ei conveniunt omni, ſoli, & ſemper ; alterum ut differentia, alterum ut proprietas ; ita ſpiritui convenit naturaliter, eſſentialiter, & ſubſtantialiter, penetrabilitas & inextenſio : cum ergo forma abſoluta ſit connaturaliter penetrativa corporis, ſive materiæ ſuæ, erit illa forma ſpiritûs. Nuper autem *die* 9. *&* 10. oſtenſum quoque eſt, eſſe corpus : ergo erit eadem Spiritus ſimul & corpus, Spiritus corporeus, & corpus ſpirituale, quod eſt chymæricum.

DIES XXIX.

Item non poteſt eſſe effectus ſine cauſa, *proprietas ſine eſſentia* vel differentia : ergo ſi forma illa eſt naturaliter & per ſe penetrabilis & penetrativa, non poteſt eſſe extenſa & ſpatioſa ; ſed erit inextenſa & indiviſibilis, carens partibus extenſis ; ideoque erit punctum phyſicum, & quidem inextenſum, ſicut anima hominis, & angelus. Quomodo ergo unietur materiæ corporeæ ? Non ſicut angelus, qui non poteſt uniri ; non ſicut anima ; quia hæc unitur per potentiam

tentiam ſpiritalem, qualis non congruit formæ corporeæ. Item ſi ſeorſim exiſtat, eritne extenſa per partes, an ſecus? ſi ita: partes ſe non penetrant: quomodo ergo tota penetrabat corpus aut materiam? ſi ſecus: quomodo ergo dividitur in planta & ſerpente? Item ſi erit inextenſa, & penetrabilis, non erit tangibilis, nec impellibilis: ergo nec locomobilis: ergo nec alterabilis, quia alteratio, & quævis alia mutatio corporea non fit absque motu locali: ergo nec deſtruibilis, &c. qualia ſunt hæc portenta? item ſi caret partibus, non erit continua; quia continuum eſt, *cujus partes copulantur &c.* ſi conſtat partibus, hæ ſe invicem tangent impenetrabiliter: quomodo hoc fiet absque materia? item eritne menſurabilis, longa, lata? ergo habebit proprietates corporis. Si non erit, non erit terminata, nec figurata: ergo infinitè extenſa. Item involvetne materiam? & ſic erit corpus. Non involvet? & ſic non erit materialis, nec habebit proprietates materiæ.

DIES XXX.

Extenſio corporis & *impenetrabilitas* ejus *non eſt ipſa forma ſubſtantialis abſoluta*: nec ipſa illa forma eſt corporis extenſio ac impenetrabilitas. Nam extenſio & impenetrabilitas, juxta vulgum, ſunt accidentia, utique abſoluta: forma autem juxta idem vulgi ſuppoſitum eſt ſubſtantia: ergo non ſunt idem inter ſe; nec termini convertibiles.

DIES

DIES XXXI.

Per formam ſubſtantialem corpus non extenditur, & eſt impenetrabile: ſive forma non cauſat formaliter extenſionem & impenetrabilitatem corporis. Nimirum forma cauſat tantùm concretum ſuæ denominationis; quia non niſi ſe ipſum communicando cauſat. ſic quod cauſat formaliter album eſt albedo, quod formaliter curvum, eſt curvitas, quod formaliter ſapiens, eſt ſapientia, quod formaliter calidum eſt calor: ergo quod formaliter extenſum ac impenetratum, eſt extenſio & impenetrabilitas. Forma autem juxta heri dicta, non eſt extenſio, nec impenetrabilitas. Unde confirmatur, quod nuper eſt dictum, corpus extendi & impenetrari, per qualitatem ſubſtantialem ſibi, vel materiæ, ſive formalitatem eſſentialem.

Collige nullum eſſe prædicatum, ſive nullam perfectionem corpori eſſentialem vel propriam, quæ à forma deſumi poſſit. Unde licet forma abſoluta penitus ſeparetur à ſubjecto, quod fieri poſſe aſſerunt, maneret tamen ſubjectum illud corpus, ſubſtantialiter & ſecundùm omnia perfectum, ut antè. Fruſtranea eſt ergo, & ficta. Et quid poſſit alteri dare, cum ipſa nihil habeat ſibi? ut dictum eſt *die* 28. 29. 30.

FEBRUARIUS.

DIES I.

EXplicuimus, quid sit corpus generatim & prout adhuc à certa specie abstrahit: quod diximus, esse *substantiam extensam & impenetrabilem*: hæc autem prædicata ei competere ratione materiæ; cum nihil horum forma conferre possit. Age nunc consideremus, quomodo corpus loco moveatur, quod à diebus quinque usque huc abrupimus atque distulimus. Principia motûs hujusmodi sunt ista: Causa efficiens est corpus vel causa impellens. Impulsio est actio impellentis, quam patitur & excipit corpus impulsum. Effectus formalis est ipse motus vel mutatio loci, quæ est processio de superficie corporis continentis in superficiem aliam ejusdem, vel alterius corporis. Causa finalis non est, quod corpus motum intendat extensionem corporis alterius, vel vacuum quodpiam, in quo hæreat aliquod corpus. Nam tale vacuum est impossibile quidpiam, & extensio alterius non est acquiribile ab altero: DEUS autem ac natura nihil impossibile intendere potest. Intendit ergo immediatè quidem superficiem aliam, mediatè verò & propriè mutationem aliam: putà primò *ad quantitatem*, uti si aqua intra aquam infundatur; qua consequenter sic augmentatur: deinde *ad qualitatem*, uti si aqua infundatur vino; sic enim alterabitur vinum;

num : denique *ad ſubſtantiam*, quæ eſt generatio, ſive *miſcibilium alteratorum unio*, ac mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente, ut ſubjecto eodem ; ſicut per continuatas infuſiones aquæ vinum tandem deſinit in aquam : Igitur omnium reliquorum motuum principium & finis eſt motus localis.

DIES II.

Diligenter obſervandum eſt tanquam veriſſimum motûs principium, quod tamen à nemine legi annotatum fuiſſe : videlicet motum non poſſe contingere, ſine creativa productione Dei. Nimirum fides & ratio docet, quovis inſtanti quodlibet ens à Deo ſolo conſervari, ſive identidem rurſum creari debere, ut exiſtentiam retineat. Eſt autem Deus indifferens, ut rem denuò creet, vel in eodem quietis puncto, vel ſecundùm lineam fluentem : Ad hoc poſterius determinatur à corpore impellente ; ad prius, à negatione contactûs impulſivi. Si corpus impellens ſit maius, ſolidius, aut velociùs motum, fit determinatio ad reproductiones per inſtantia minora, ad motum velociorem, juxta legem phyſicam à Creatore ſtatutam. Ad motum proinde nec plus, nec minus requiritur, quàm duæ cauſæ partiales, coëuntes in unam totalem ; quarum altera eſt *cauſa creatrix*, altera *determinatrix :* utraque efficiens, quia utraque eſt *principium*

cipium à quo primùm eſt motus, diverſi modè tamen.


DIES III.

Sicut autem neceſſe eſt ad motum, ut mobile impellatur; ſic neceſſe eſt, ut illud, intra cujus ſuperficiem impellitur, loco cedat; cum penetratio naturaliter nulla fiat. Unde ſolidiora, intra liquidiora, quorũ partes facilè disjunguntur, immergi ſolent; puta lapis intra aquam, aqua intra aërem, aër intra ætherem. Ubi caſſio fieri non poteſt, reflectitur mobile, eâ lege, ut reſiliat *ad angulum æqualem angulo incidentiæ*, quemadmodum in pila humi projecta, & in lumine per ſpeculum reflexo patet: perpendiculariter ſcil. reflectitur, ſi perpendiculariter incidit; obliquè, ſi obliquè. Prior reflexio eſt motus *ſimplex*; alter *mixtus* ex perpendiculari & horizontali; habens tanto minus de horizontali, quanto plus de perpendiculari, & tanto plus de horizontali, quanto minus de perpendiculari, prout alter altero plùs vel minùs, juxta ſitum corporis obſtantis, impeditur.

DIES IV.

Quandocunque movetur aliquod corpus, neceſſe eſt, aliud contignum moveri in lineam oppoſitam. Patet in vecte, & pertica bilancis

a b. Non enim poteſt a moveri in *c*. quin ſimul eodem inſtanti, & eâdem velocitate *b* attollatur in *d*. ſic ubi intra ſitulam aquæ lapillos plures immiſeris, aqua aſcendet, donec aqua, ſitulam implens, ſupra labrum exundet. Cujus cauſa patet: quia aliàs penetratio fieret. Unde neceſſe eſt, ut ex omni motu *recto* reſultet *circularis*: nempe punctum *a* ſi continuetur per *c* ulterius, & punctum *b* ultra *d*. deſcribent circulum. videlicet omne punctum corporis liquidi impulſum, impellit & punctum vicinum ſibique contiguum.



DIES V.

Quod ſi corpus liquidum, ſic in circulum actum, patiatur impulſum à corpore circumſtante, intra cujus ſuperficiem ipſum volvitur, neceſſe eſt, ut patiatur intra ſe extraneas partes immitti, & conſequenter ipſum inter rotandum, aliquas ſuarum partium dimittere cogitur, & foras projicere. Hæc autem projectio rurſum tendit *in lineam rectam*: ut patet in lapide per fundam circumactam projecto. Ex quo motu recto denuo alius circularis reſultat. Unde facilè exiſtunt circuli intra circulos, colliſiones, reflexiones, projectiones, verſus omnia ſenſibilia

lia puncta, si quidem corpus est valdè mobile suâ fluiditate.


DIES VI.

Hinc qua parte corpus liquidum premitur, eadem parte descendit ; eâ autem parte, qua minùs, aut planè non premitur, ascendit. Apparet hoc in fistula vitrea pellucida : quam utraque sui parte apertam ubi ad superficiem aquæ stantis perpendiculariter applicaveris ; videbis *aquam intra fistulam ascendere*, tanto altiùs, à reliqua superficie, aquæ fistulam circumstantis, quanto angustius est perforata. Cujus phænomeni ratio non est alia, quàm quod aër supra aquam gravitans, vehementiùs premat aquam extra fistulam, quàm intra fistulam ; eò quod extra aër innumeris rodiis ac lineis aquam deorsum perpendiculariter impellit ; intra angustias autem fistulæ raris lineis pressionem facere possit. Atque hoe est principium artis antliatoriæ, ac libratoriæ, non vacui motus, ut vulgus putat : *de quibus vide philosophiam staticam curiosam Sturmii, & aliorum.*

DIES VII.

Hinc *motus* deorsum *in fine velocior*, sursum autem tardior est. Cadat enim cubus lapideus per lineam a b versus terram b : dum est in c premi-

premitur tribus tantùm radiis aëris, dum autem eſt in d, premitur novem vel decem : quid ergo




mirum eſt, ſi in d. velociùs cadat, quàm in c ? Nimirum ubi eſt *plus cauſæ*, eſt & *plus effectûs*; & ubi fortior actio, eſt major & paſſio. Contrà verò ſi à puncto b cubum eundem pellas verſus a : quod fiet, ſi preſſio à tua manu proveniens ſit major, quàm preſſio aëris deorſum tendentis. Ubi manum retraxeris, aër ſupra cubum impulſus circa cubum agetur, & neceſſariò cubum inſequens, eundem cubum ſurſum trudet, velociore motu & niſu, quàm ſuperior aër tendat deorſum : qui tamen aër ſupra incumbens paulatim prævalebit motui aëris inferiùs urgentis : & ſic dum cubus aſcenderit in c movebitur tardiùs ſurſum, donec motus ſurſum planè deſinat, & lapis rurſum deorſum trudatur. Quæ neceſſariò ſequuntur ex dictis *heri, nudius tertius, quartus, & quintus.* Quare autem

autem aër versus terram gravitet, aliàs dicetur.

DIES VIII.

Radius luminis motus speciale phænomenon exhibet. Nam non solùm reflectitur ad superficiem corporis opaci, ubi transire non potest, *de quo supra die* 3. sed etiam refringitur, ubi transit per diversa media diaphana, densitatis diversæ; si quidem obliquè, & non perpendiculariter transit.



Sit enim a d medium aëreum; d e verò aqueum vel crystallinum: e f rursum aëreum, radius ex a dirigatur versus b: Non perveniet in b: sed postquam ingressus fuerit medium densius in h. refringetur & incurvabitur in c. versus perpendiculum h g. Porrò in puncto medij rursum aërij c. non progreditur in k: sed iterum refringetur oppositò modo, scil. à perpendiculo in f. Cujus rei datur ratio, quod aër constet particulis filamentosis, plumulosis, ac villosis, quales retinent, & quasi implicant radium, ut tardiùs moveatur. Aqua contra aut crystallus constet particulis durioribus, & non flexibilibus, vel implicativis per quarum poros expeditiùs & velociùs currat radius (eo ferè modo, quo globulus in *mensa nuda* citius currit, quàm supra *instratum tapetem*;) atque ideo in altero medio affe-

affectat motum magis perpendicularem, in altero magis horizontalem. *De his vide opticos.*

DIES IX.

Cæterùm de motu locali plurima ſcitu digniſſima æquè ac jucundiſſima leges apud Honoratum Fabry, in ſpeciali tractatu, qui utinam ab erroribus typographicis vel chalcographicis purgatus eſſet. Nos hîc iſta pauca ponenda putavimus; ex quibus tu facilè colliges, quare corpora magis poroſa ut ſpongia, ſint leviora; minùs autem poroſa & arctiùs plexa, ut lapis, ſint graviora. Nimirum poroſiora facilè tranſmittunt radios materiæ aëreæ, vel æthereæ, ſupra incumbentis, & deorſum prementis; unde ſubſtantiam ſpongiæ minùs feriunt atque impellunt: difficulter autem & pauciores radios tranſmittunt corpora arctiùs plexa, & ideo ampliùs premuntur. Ex quo etiam illud colliges, quare, dum gravia moventur deorſum, leviora juxta aſcendant: quia videlicet aër incumbens eis ſurſum tendentibus minùs reſiſtit, flectitur autem eò motus, ubi minus ei reſiſtitur.

DIES X.

Hinc ſi affirmaveris, gravitatem ac levitatem eſſe accidentia *abſoluta*, hæc erunt prorſus *otioſa atque fruſtranea.* Quid enim officij habent

bent accidentia illa ? ut per ea corpus grave tendat deorsum, ac leve sursum ? sed hoc frustra dicis, cum alio modo id fieri jam ostenderim, & dicere non potes, quomodo hujusmodi accidentia principient illam tendentiam. Nam in quo genere principij, vel causæ ? Non ut causa efficiens : quia sic causat corpus impellens. Non ut causa finalis, aut materialis ; quod ipse fateberis. Non ut causa formalis : quia causa formalis corporis moti proxima quidem est ipsa motio & progressio modalis ; remota verò passio vel receptio tactûs impulsivi : cujusmodi passio, vel ipsa motio non est accidens absolutum, sive gravitas aut levitas.

DIES XI.

Ponatur gravitas lapidis extra lapidem. Erit adhuc *qualitas gravitativa* ex suppositio : quid ergo tunc movebit deorsum ? Non aliud ; quia nulli inhæret. Non seipsam ; quia non est causa immanenter activa, sed motiva alterius. Non ergo tunc erit principium motûs, quod tamen esse debet, si est eadem, quæ antè : vel si non est tale principium extra, non fuit etiam tale intra ; quia per unionem sui aut disunionem, non mutatur in essentia. Quidquid dixeris, figmentum erit, cujus nullum experimentum, nulla est ratio. Nec dicas, animam rationalem sentire in corpore, non sentire extra. Nam anima rationalis nec in corpore quidem sentit propriè,

priè, & actione vel passione materiali, qualis est sensatio, de quo in tempore suo.

DIES XII.

Quapropter dummodò non nugari, sed philosophari velimus, nihil est hîc difficile. Etenim *actualis gravitatio* vel levitatio, sive facilitatio, qua corpus tendit aut sursum, aut deorsum, utique est *accidens*; *sed modale* ac respectivum, atque prædicatum contingens, ipsa autem gravitas aut levitas secundum se, sive *potentia* gravitandi aut levitandi est *qualitas* corporis *substantialis*, sive propria, sive differentialis; eaque non nisi major aut minor porositas & plexura arctior, vel laxior, inseparabilis à tali corpore, & ideo qualitas respectiva: qua habitâ habetur totum motûs phænomenon, non habitâ nihil explicare poteris; quæcunque absoluta accidentia fingas. Quid me ergo cogitas ad tua somnia cogere, cum ipsam veritatem obtineam?

DIES XIII.

Quod si etiamnum existimes, posse te adhuc deinceps tua figmenta publicè emenda proponere, nescio equidem, qua sinceritate possim te ego philosophum, & *veri amantem* dicere, qui veritatem adeo clarè perspectam intolerabili odio gratis habere pergas. Responde sis ergo sapiens verbum. Quid plus vel minus requiritur ad motum, quàm causa *creatrix* ac *determinatrix*,

prout exposui die 2. hujus ? *Quomodo tua accidenti absoluta operantur reflexionem ac refractionem* mobilis juxta diem 3. & 8. ? *Quare motus deorsum causat motum etiam sursum*, vel in oppositum juxta diem 4. ? *Cur motus in fine velocior ?* cur motus deorsum est *naturalis*, sursum *violentus* ; ille crescens, iste decrescens ? quomodo fit, ut *corpus magis porosum sit levius, minùs porosum gravius ?* Quid si *gravitas tua absoluta* cogatur inesse *spongiæ, & levitas lapidi* uniatur, quod faciliùs fieri poterit, quàm ut careat omni subjecto ? Quid taces ? Cur obmutescis ? Loquere, si potes, ut videamus sapientiam tuam. Cœterùm fateor, me ista strictim & breviter ponere, quæ extendi in totidem tractatus possent ; cujusmodi etiam videbis apud auctores jam factos : sed quot incrementis producetur materia, tot argumentis te veritas stringet. Ego plus ultra progredior.

DIES XIV.

Substantiam corpoream consideravimus hactenus, secundùm prædicata ejus generica ; sicut & motum localem corpori proprium aliqualiter introspeximus : nunc ad specialiora transimus. Porrò inter corpora ipsa magis universalia & elementalia sunt illa utique, quæ sunt magis simplicia, minimèque composita : & quia constat, non omnia unâ vice à Creatore, sed successivè condita fuisse, rectè supponimus, eadem simplicia & elementalia priùs, quàm composita

&

& mixta creata fuisse. Repererunt autem jam antiquitus *substantiam* quandam tenuissimam ac *subtilissimam*, omnibus corporibus intimè ac penitissimè immersam, toto mundo diffusam, & omnia penetrantem, quam *ætherem*, vel *ignem* primigenium, vel *spiritum mundi*, vel *archæum*, vel aliter appellarunt. Neoterici *materiam subtilem* appellant, variisque experimentis demonstrant: præsertim quod aër ex vasis prorsus exantlari extrahique possit, nec alius per poros nimis tenues subintrare possit, uti pondus vasorum sic aëre vacuorum ostendit. Quo in casu necesse est, intus existere materiam aëre multo subtiliorem, cum vacuum concedi non possit *juxta dicta 24. Januarij.*

DIES XV.

Hujusmodi materiam, propter summam fluiditatem, Moyses appellavit *aquam*, ad captum rudis populi, quam Deus per totum *Expansum* divíserit, vel potius in totum univiversum expanderit, tanquam albumen quodpiam ovi, vel semen mundi inde prodituri, *primúmque* corporum omnium *elementum*. Tametsi porrò elementum istud secundùm potentiam sit summè fluidum & agitabile, tamen ita solitariè existens omnis *motûs localis* expers erat. Non enim poterat moveri extra se, defectu tum loci, tum causæ impulsivæ. neque intra se in partibus: quia hæ omnes erant homogeneæ prorsus, nulla præ alia gravis, nulla impellens, nulla

impulsa. Unde nec erat *alterabile*; quia alteratio non fit absque mixtione partium per motum localem; & quidem mixtione tali, ex qua partes à partibus heterogeneis diversas qualitates assumant. Hinc nec *augmentatio* fieri poterat, defectu partium, quæ adderentur ad totum. Denique nec *generatio* & mutatio substantialis locum habebat, quæ sine alteratione fieri non poterat esse ad usum, vel ullum sensum; cum subtilitate suâ non potuerit sensibilem affectionem vel speciem imprimere.

DIES XVI.

Tametsi proinde in tali statu, & secundùm se, fuerit revera aliqua *substantia corporea*; attamen erat solùm substantia originaria, quasi embryonica, seminalis, elementalis: quam etiam defectu causæ finalis, impossibile erat sic manere existentem, cum absque fine Deus non possit agere. Non igitur erat *corpus mobile*, physicum, & constans naturis, quale Aristoteles considerat: & quia nec erat *quid* h. e. non erat corpus alicujus speciei physicæ; nec *quantum*, h. e. non augmentabile; nec *quale*, h. e. non alterabile; nec in ullo prædicamento *entis physici* collocabile; ideò hæc ipsa erat *materia prima* mundi, de qua tam multa fiunt in scholis verba, sensu & intellectu carentia: *potentiâ* quidem erant *omnia*, nihil *actu*; sed *primum cujuscunque formæ subjectum, ex qua* per formam *quodlibet ita producitur: ut ipsa tali producto per se insit.*

Com-

Combina *diem* 11. *Januarii. item diem* 21. *& ſeqq.*

DIES XVII.

Erat hoc primum divinæ Sapientiæ rudimentum adhuc *turpe*, *inane* & *vacuum*, inviſibile, tenebris involutum, donec exinde mox primo creationis die lucem educeret: quod quomodo fecerit audiamus. Ex hoc igitur primo elemento eduxit Deus *ſubſtantiam* ſecundam *globuloſam*, materiæ ſubtilis dimidiam partem vel amplius tornando in minutiſſimos globulos; quod eſt *ſecundum elementum*, quod priori mixtum dabat *materiam cœleſtem*, qua conſtat totum expanſum, quantum quantum inter globos mundiales atque ſtellares interjacet. Ex materia cœleſti poſtmodum formavit *tertiam materiam*, fingendo eam in minimas particulas diverſiſſimarum figurarum, oblongas, teretes, acutas, uncatas, cuſpidatas, cavernoſas, cubicas, cylindricas, priſmaticas, hamatas, &c. quod tertium elementum ſuppeditabat materiam connexioni continuativæ cohæſivæque idoneam, ex quibus elementa vulgaria, & porrò corpora ſtellaria produci poſſunt. Ex igne adhuc imperfectiùs mixto ductum putamus initium.

DIES XVIII.

Ignis igitur, ex quo potiſſimùm ſol conſtat, quamvis ſublunarem hîc potiſſimùm obſervamus, eſt *elementum calidum, lucidum & fluidum, conſtans ex particulis exilibus, diverſis, ſolidiuſculis, præſertim nitroſis, à materia ſubtili, cui innatant, motu celerrimo agitatis.* Exilitatem particularum oſtendit, quod foras vibratæ minutiſſimos porulos penetrent, eſſe cuſpidatas docet vis illa, qua dura & ſolidiſſima corpora ocyſſimè diſcindunt ac ſolvunt. Eſſe rapidiſſimè in omnes partes agitatas, ſenſus ipſe percipit. Etenim *materia ſubtilis*, dum ſola eſt, nullum ferè ſenſibilem effectum edit; quia ſine obſtaculo poros omnes liberè pervadit: ubi autem ſolidioribus corpuſculis, quæ obviorum corporum meatus ſubire non poſſunt, motum communicat, effectus prorſus inſignes procreat, ut in tormentis bellicis apparet. Anologiam habes in aqua, quę ſine noxa pontium fulcra præterlabitur, quia partes ejus infirmiores ſunt propter fluiditatem, quàm ut illa commoveant: At quando ſolidiora corpora, ligna, trabes, volvit, quibus motum ſuum communicat, horrendâ ſtrage omnia convellit.

DIES

DIES XIX.

Porrò eadem materia ſubtilis, cum corporum meatus implet, eſt *ignis potentiâ* tantùm: cum autem copioſior confluit, & libertatem nanciſcitur, craſſiores particulas circumfundit, rapit, & in orbem celerrimè agit, *de quo die 5. hujus*, fit *ignis actu*. Calidus eſt enim; quia particulas habet motu variè in ſe reflexo, & vehementi indeſinenter agitatas. Lucidus eſt; quia columnas globulorum cœleſtium quaqua verſum propellit, in qua propulſione lumen conſiſtit. Porrò eadem materia ſubtilis, dum in corpore quopiam ultrò citróque celerrimè diſcurrens, ob minorem ſui copiam, premere tantùm poteſt globulos cœleſtes; ad motum celerrimum ſemper accinctos; non autem craſſiores particulas circumvolvere; ignis *lucidus* eſt tantùm, *non calidus*; uti in lignis putridis Quando autem particulas craſſiores agitare quidem poteſt, non tamen orbem ſuum ita explicare, ut globulos quoquo verſum propellat, *calidus* tantùm eſt, *non lucidus*.

DIES XX.

Nunc ut hominis eſſentiam diſtinctiùs exponamus, ejus *qualitates* & proprietates conſideremus. 1. A quovis lucidi corporis puncto ad quodvis ſenſibile punctum medij in orbem citatiſſimè propagatur uniformiter difformiter, intenſiùs in vicino, remiſſiùs in diſſito. 2. Pro-

pagatur instantaneè. 3. Per corpus diaphanum transit, sed cum refractione interdum: ab opaco reflectitur, cum transitum non reperiat. 4. Aëre moto non movetur lumen, sed eum tantùm illuminat, qui non tegitur corpore opaco. 5. Nimium lumen oculos lædit, mediocre suaviter afficit. 6. Non nisi corpora opaca videri facit: unde aër non videtur. 7. Lumen solùm adversum, & nunquam aversum videtur, scil. illud, quod versus oculum radiosè tendit. Hinc videmus vel illud, quod à corpore lucido exit versus nos; vel quod à corpore opaco reflectior: nunquam autem videmus lumen solis orientis *directum*, quando spectamus occasum; sed videmus tunc lumen reflexum ad orientem: scilicet etsi aër lumine directo plenus sit, illud tamen tunc non vibratur in oculos nostros. 8. Lumen calefacit: imò post lentem vitream transit in flammam.

DIES XXI.

Hujusmodi *proprietates luminis*, demonstrant veritatem asserti nostri, quod scil. lumen consistat in propulsione columnarum globulorum cœlestium, facta à sole, vel igne. Primum evenit ex citatissimo motu innumerabilium circellorum & circulorum, concentricorum, eccentricorum, seseque secantium; à quibus, ex omni parte ignis, propulsantur globuli, in quamvis sensibilem lineam, columnatim versus omnia puncta porrectam. Quia autem circuli,

qui

qui per medium illuminatum, ſoli concentrici duci poſſunt, cominus ſunt minores, eminus majores, & plura puncta continent diſtantiores ſive majores, quàm propinquiores ad ſolem, ſive minores; propterea propulſiones illæ non tangunt totidem puncta in diſtantioribus circulis, quod feriunt in minoribus; ſed intermedia quædam non pulſata tranſeuntur: quid mirum eſt ergo, ſi lumen vicinum eſt majus, & diſſitum minus?

DIES XXII.

Inſtantaneè propagatur: quia eodem inſtanti, quo movetur primum punctum columnæ cœleſtis, eodem movetur & ultimum, quod oculum tangit, ut patet in pertica. *Tertium* quod tranſeat per corpus transparens, fit ideò, quod ibi reperiat poros ſufficienter apertos, & in directum tendentes: cum opacum conſtet poris interruptis & perturbatis, ut radius vel columella frangatur, ac divertatur. Refractio vel reflexio fit, quia diverſa media ſunt magis minúsve villoſa, ac fibrillis conſtantia, ut vel tardius, vel expeditiùs per illa tranſire; aut planè tranſire non poſſint radij, & ideò foras reſiliant. *Quartum* patet ex dictis: quia per corpus opacum non poteſt propulſio propagari ad aërem poſt illud expanſum, vel illuc motum. *Quintum* fit; quia nimium lumen exceſſivè commovet & concutit organum, quodammodo lacerando illud: mediocre autem ſuavi-

ter titillat, cum tripudio quodam. *Sexti* causa est, quia circa illud tantùm fit determinatio sensûs, & judicium oculare, vel radius visualis, à quo columellæ mittuntur.

DIES XXIII.

Septimum sequitur ex dictis heri. Nimirum illud dicitur objectum visûs, & videri, quod lumen evibrat ad oculum; intra cujus retinam ideo, post punctum convergentiæ, rursum erigi sic debent radij, ut perfectam objecti imaginem ac picturam, sed inversam, efforment, atque ita tendentia judicij ocularis versus objectum, vel corpus, à quo radij veniunt, constitui possit: de quo consule cameram obscuram & opticos. Unde quidquid non dirigit radios versus nos, non potest videri. *Calor* est *velocissimus & perturbatus tremor insensibilium partium corporis*, quod calidum est, *prout aptum est, similem tremorem propagare ad corpus animalis tangentis illud*; ut patet in ferra diu reciprocata, & incude percussa. Similem tremorem columellæ globulorum possunt excitare in corpore, quod contingunt: cur non ergo calefaciant? Quod si eædem columellæ, post refractionem, coëant in focum, utique inter se uniuntur, & propinquiùs sociantur; si ergo ibi materiam aptam & agitabilem reperient, *juxta dicta die* 19. facilè efficient flammam.

DIES

DIES XXIV.

Colligis opinor ex dictis phænomenis & similibus *lumen esse modum, vel motum tremulum ac citatissimum globulosarum columellarum, prout continuo suo intra oculum appulsu atque contactu retinæ, aptæ sunt similem tremorem eidem retinæ oculari incutere, & sic sensationem ocularem causare*: Subjectum proinde luminis esse easdem columellas, non aërem, ut vulgus existimat. Item lumen non sic esse in aëre, sicut calor in aqua, odor in aëre, confuso ordine; sed radiosè & lineatim: hinc aqua manet calida, quoquo versum feratur, & odor per aërem versus omnem mundi partem propagatur. Denique lumen non posse esse *accidens absolutum*. Alioquin enim tale naturaliter transiret de subjecto in subjectum, flante vento. Quare tale accidens propagaretur uniformiter difformiter? Quare refringeretur? quare reflecteretur? quare radiosè & lineatim flueret? Horum & similium rationem nullam dabis, nisi figmenta figmentis superstruas. Nobis autem crescent argumenta ferè in infinitum, ubi ea, quæ sunt de coloribus adjecerimus.

DIES XXV.

Dicet aliquis, hæc omnia niti fragili *supposito trium elementorum*, quæ si negentur, tota structura cadet. Respondeo, hæc ipsa elementa patescere à posteriori, per hæc ipsa & similia phæno-

phænomena, quæ natura ob oculos ponit. Existentiam *subtilis materiæ* ostendit aër, qui non solum extrahi potest à vase, sed etiam introrsum ita confertim inculcari & comprimi, ut decuplum aut vicecuplum ejus incrementum, vel decrementum ad stateram notetur, necesse est ergo esse quodpiam corpus aëre tenuius, quod vacuitates expleat, & minutissimos poros aëri invios subire possit. Materiam *tertij elementi* ostendit unio continuativa corporum: sicut enim ex arena non possunt duci fila, & texi pannus; ita partes continui non cohærerent, nisi particulis constarent hamatis, oblongis, rigidiusculis, flexibilibus, fibrosis, quæ inter sese concatenari implicarique possent. *Secundum elementum* docet experientia luminis: quod si constaret ex primo elemento, suâ subtilitate non posset afficere oculos, & fugacitate non radiosè procederet, nec refringi, nec erigi in conum posset. Si ex tertio constaret elemento, unâ hora totam oculi structuram rumperet, laceraretque: medium ergo esse oportet, quod ocularem retinam suaviter pulset, non lædat tamen.

DIES XXVI.

Porrò nonnulla opponuntur. I. Effluvium hujusmodi per tot sæcula jam defeciisset, si esset globulorum defluentium ex corpore solari. II. Obstructo fonte tamen adhuc aliquandiu manat rivus: similiter ergo si lumen esset effluvium

vium corporeum ex sole, eo occidente, adhuc aliquandiu maneret lumen in aëre, & non quam primum instantaneè succederet umbra. III. Ventis & tempestatibus turbaretur lumen. IV. Lumen idem in aëre moveret plumas, atomos, &c. V. Radij directi reflexos, & reflexi directos in medio aëre impedirent, & sic omne lumen cessaret. Hæc & similia facilè enervantur ab eo, qui nostram hypothesin plenè perceperit.

DIES XXVII.

Primum ipsam solutionem insinuat. Nam sicut fons nunquam deficit, aquâ aliunde perpetuò affluente; ita scriptura propterea solem fontem luminis appellat; quia globuli & partes, qui à centro solis abscedunt, vel eadem, vel alia, viciſſim accedunt, ut colligitur ex dictis *die* 4. 5. 6. *hujus*, de quo & aliàs plura. Deinde non tam in fluxu, quàm in percussionibus globulosarum columellarum consistit lumen. Denique in tellure patet simile; quæ identidem à se dimittit exhalationum vim, & similem rursum affluentem à cœlis accipit, ad restaurationem sui. *Secundum* non sequitur, si lumen juxta percussiones instantaneas tantùm & lineatim propagatur: non autem solùm fluxim, & flexuosè, prout via patet, quod fit in aqua. *Tertium* ex parte quidem verum est, sed non ad sensum. Nam si uno instante columella, per obvolitans corpusculum opacum, interrumpitur;

tur, ſequente mox inſtante, reſtauratur : quod ipſum ad hoc prodeſt , ne lumen ſit nimium & oculos lædat. Cæterùm videmus ſanè aëre nebuloſo, pluvioſo, ac turbido minùs luminis affulgere.

DIES XXVIII.

Quartum experientiæ non repugnat , quà advertimus, præſente ſole diurno, aërem puriorem ſenſim fieri, quàm ſit tempore nocturno : ſinè dubio enim columellæ tremulæ paulatim diſſecant atque comminuunt particulas craſſiuſculè cohærentes : unde ſalubrior eſt, ſplendente ſole, cæteris paribus. Id autem ne exiſtimà fieri debere de corporibus magnis , uti plumis ; has enim facilè columellæ tranſeunt , absque ſenſibili motu. *Quintum* ſimiliter verum eſt, de inſenſibili impedimento. Unde reflexa lux deſinit paulatim , & directâ eſt minor : alioquin læderet oculos , dum videmus corpora opaca, ſicut lædit, dum corpus lucidum ſolis videmus. Ubi etiam obiter & per parentheſin nota, lucem directam , quæ à corpore lucido effluit ; lucem ; reflexam verò , qua corpora opaca & illuminata videmus , lumen vocari. Per lucem ergo videmus ignem , per lumen corpora opaca. Non ideò ceſſat lumen ; quia ſingulis inſtantibus alia atque alia vibratio ſuccedit , ut ceſſatio prioris , per imminens poſterius non ſit ſenſibilis. Denique ita per omnia *videmus lucem , quod ſit*

bona ,

bona; cum in hypotheſi qualitatis abſolutæ ſit merum *inane & vacuum*.

MARTIUS.

DIES I.

Martius arva fodit herbis & floribus producendis: quorum coloribus exponendis, in aprico nos tempus hoc inſumamus; ut oculi doleant Satanæ & angelis ejus. Profectò enim colorum ſcientia eſt ingens divinæ ſapientiæ magiſterium, quam qui è mentibus hominum avertere ſatagunt, ſpiritu parùm pio aguntur. De quibus applicari poſſe non incongruè dicas, quod Chriſtus ipſe, licet alia in materia, aſſerit in revelat. Brigittæ l. 4. 72. *Qui ſunt*, inquit, *qui quærunt Lazarum interficere, niſi ---- qui favores hominum ſequentes, tantò contemptibilius contemnunt facta aliorum, quantò minùs dignantur vera & altiora intelligere.* Sed ad rem. Ariſtotelem nobis hîc utique conſentaneum habemus *l. de ſenſu & ſenſili*: qui tamen hîc, ſicut in aliis phyſicis nimis ſtrictim, & velut per ænigmata docet. Dicimus ergo cum eo, colorem eſſe ipſum *lumen cum umbra* diverſimodè conjugatum, quod à poſteriore, per effectus abundè demonſtrabimus.

DIES II.

Color, inquit Ariſtoteles, *eſt motivum perſpicui in actu*, h. e. forma, qua actuatur diaphanum,

num putà aër, jam actuatus per lumen, ſcilicet per directum: quod aliud nihil eſt, quàm lumen reflexum, prout à corpore opaco reflectente certa ratione modificatum: quid enim aliud poſt lumen directum actuat aërem, niſi lumen ſic reflexum, niſi otiosè fingere velis? Atque idem hoc lumen eſt *ſpecies*, quam *viſualem* dicunt. Nam idem lumen in camera obſcura erectum fit color actualis; quidni ergo in aëre fuerit *color virtualis*, vel virtualis ſimilitudo objecti? Neque enim aliud immittitur in oculum, quàm quod immittitur in cameram obſcuram; cum oculus aliud non ſit, quàm camera obſcura naturalis. Patet quoque, cur ſpecies illa dicatur generari ex lumine & colore: Nam eſt ipſum *lumen*, non ſimpliciter, ſed *modificatè reflexum*; modus autem ille, qui ineſt ſuperficiei corporis reflectentis, quomodo color dici poſſit, infra patebit. Eſt ergo ſpecies aliquid tertium, factum ex luce, vel *lumine directo*, & ex *modificata ſuperficie* corporis opaci.


DIES III.

Sed fortè aliquis dicet, colorem in camera obſcura non eſſe verum, ſed *apparentem* tantummodò; ſicut in iride, collo columbæ &c. eſt *color* tantùm *apparens*. Verùm ridiculum & mirabile eſt, hujusmodi colores ſolùm apparentes putare, non veros. Nam omnis *color* eſt

est *apparens*. Quid enim est color, quàm qualitas, quæ præter lucem apparet visui? Cui enim *apparet* nisi *visui?* certè non auribus, non gustui apparet. Quid porrò est *apparere visui*, nisi *visum movere*, potentiam visivam informare, denique videri? Cœcus profectò non judicat de colore. De quo judicat visus immediatè, propriè, & specificè, objectum visûs est: objectum autem visûs est lux & color. Non permanet, inquis, ille color. Rectè: hoc solum ergo discriminat juxta te colorem verum ab apparente, quod unus sit *transiens*, *alter permanens*: quid enim aliud discriminans afferre potes, nisi more tuo iterum figmentum reddas? Quare *color* quidem ille est *transiens*, quia non permanet eodem modo superficies reflexiva; alius autem est *permanens*, quia corporis reflectentis superficies eadem permanet. Alioquin autem omnis color, *apparens* est *visui*, dicto modo; & quidquid sic apparet visui, color est verus; sicut verus est homo etiam ille, qui brevissimo tempore vixit.

DIES IV.

Quid rei autem sit, & quomodo se habeat vis reflexiva corporum, considera *juxta dicta die* 3. *Februarij*, lucem à corpore opaco sic reflecti, ut angulus incidentiæ, & angulus reflexionis æquales sint. Ex quo fit, ut lumen incidens in superficiem asperatam, cavernosam, &



malè terſam, plurimâ parte reflectatur intra ipſum corpus: incidens autem in ſuperficiem terſam, reflectatur potiſſimùm extra corpus opacum. Sit enim corporis opaci ſuperficies anguloſa *f c b*. radius *a f*. juxta legem reflectionis datam, reflectetur ex *f* in *c*, introrſum, ad ipſum corpus: radius *a d* reflectetur in *e* pariter introrſum: radius *a b* ſimiliter in *c* introrſum. Et hoc eſt, quod dicunt, hujusmodi corpus lumen imbibere intra ſe. Eſto aliud corpus, cujus ſuperficies ſit ſpeculare, terſum, & minimè aſperum, *g l i h*. radius *a l* reflectitur extra ſpeculum in *m*: radius *a k* pariter extra in *n*: radius *a i* in *o*, etiam extra ſpeculum. Hinc ſpeculum reflectit lumen directum ſolis valdè intenſum & continuum in unam partem, ſicut intenſum & continuum accipit à ſole: Contrà verò

verò lumen ab opaco corpore exceptum, ſicut modificatum, & non ita continuum excepit, ita modificatum & minùs continuum reflectit ad oculum noſtrum.

DIES V.

Jam verò ſunt quædam corpora opaca, quorum partes continuæ minimæ ſunt ſphærulæ, adinſtar ſpeculorum convexorum, inter ſe arctè connexorum; & conſequenter horum ſuperficies projiciunt lumen foras, extra corpus, & valdè continuè; ita ut inter radios reflexos raræ umbræ interponantur: alia contra corpora ſunt compoſita ex minimis non ſphæricis, ſed inæqualibus, aſperis, angulatis, foraminoſis, quorum ſuperficieculæ propterea ſint diverſarum figurarum & ſituum; & ideò ſuperficies hujusmodi corporum totalis ſit in ſitu, figuraque difformis, varia, multiplex, ſinuoſa, cavernoſa: hæc neceſſariò multum luminis introrſum, & rarum extrorſum projiciunt, valdè disgregatum & discontinuum; ita ut inter radios foras prodeuntes multæ umbellæ interjaceant.

DIES VI.

Quò magis ergo corpus opacum reflectit radios continuè, & paucioribus umbellis intercurrentibus, eò magis tale corpus eſt *candidum*; quò minùs contra radios continuatos reflectit, & plures umbellas inter illos mediare facit, eò

magis corpus est *nigrum*. Colores inter album & nigrum medij sunt modi medij, quibus magis vel minùs radij cum umbellis miscentur; & sic colores in infinitum multiplicari possunt. *Rubra* sunt, quæ tantum luminis introrsum, quantum extrorsum reflectunt, ita ut post singulos luminis reflexi radios sequantur singulæ umbellæ. *Flava* sunt, quæ duas tertias luminis foras, unam tertiam intrò reflectunt; ita, ut bini semper radij singulis umbellis socientur, & sit color inter album & rubrum medius. *Cærulea* sunt flavis opposita, quæ scil. unam tertiam luminis foras, & duas tertias intrò reflectunt, ut singulis radiis binæ umbellæ respondeant, habeatque se cæruleus color ad nigrum, sicut flavus ad album. Mixtus ex albo & flavo est *pallidus*: ex albo & rubeo *carneus*: ex flavo & cæruleo *viridis*: ex flavo & rubro *aureus*: ex rubro & nigro *cupreus*: ex rubro & cæruleo *purpureus*: ex cæruleo & nigro *violaceus*, &c. quæ omnia ipsis pictoribus constant.

DIES VII.

Deinceps ista per quasdam experientias ostendamus, & primò quare quædam corpora sint alba. Nam alba est *nix*: quia est congeries innumerabilium vaporis congelati guttularum, cohærens filamentorum strictura & plexu: guttulæ autem sunt sphærulæ. Unde nix compressa, vel aquâ perfusa nigricat: quia pressio frangit sphærulas, aquâ interpositâ superficiem aspe-

aſperat. *Spuma* etiam cereviſiæ, ſanguinis, & atramenti, albeſcit; ſicut & *ſputum*, *pus*, *ſaliva*; quia bullulis conſtant. *Semina* ſunt alba, uti *medulla junci*, *pomorum*, *ſambuci*, *pennarum*; quia ſunt quædam ſpuma, ex bullulis coagulata. *Nuclei nucum*, *farina &c.* ſunt alba; quia ſunt quædam medulla deſiccata: panis tamen ex farina confectus nigreſcit, propter cauſam dictam de nive, quia aqua inter ſphærulas ſtagnat. *Albumen ovi* priùs perſpicuum, poſtea albeſcit; quia ſphærulæ ſpumæ ſeminalis, exhalato humore, cui priùs innatabant, remanent ſolæ. *Cibus in ventriculo*, mutatur in ſuccum albeſcentem; quia in minimas ſphærulas, partim ſolidas ac terreſtres, partim ſpumoſas & inflatos reſolvitur: idem ſuccus ſive *chylus* conciſus deinde in varias ſphærularum partes erubeſcit in ſanguinem; *ſanguis* rurſum in ſpumoſa mammarum ſubſtantia percolatus, verſus in ſubſtantiam ſpumoſam fit *lac*.

DIES VIII.

Marmora nigra compoſita quidem ſunt ex minimis ſphæricis, ſed multis aliis partibus interjacentibus: ſed & ipſæ ſphærulæ ſunt majores, quàm ut inter dolandum integræ manere poſſint, & ſuperficiem benè terſam efficere. Contrarium eſt in *marmore albo*, quod conſtat minoribus ſphærulis, non ità interruptis per alias partes, nec frangi ſolitis inter dolandum: unde

& tactui mollior ſentitur, & minùs incaleſcit à ſole, quàm nigrum : ſicut nix propterea non incaleſcit, quod omne lumen foras à ſe repellat. Attamen marmora etiam nigra, ſicut etiam arena, & ſimilia, in *minimos pulveres* contuſa, candeſcunt, quod ſphærulæ remaneant: quod etiam in *cineribus* patet. *Deſiccata*, ut *palea*, *terra*, *linum*, *ſtramen*, *charta*, albeſcunt; quia humore exhalato, prominent magis partes ſphæricæ: quam ob cauſam etiam *pannus inſolatur* ad candorem; quia partes ſordidæ, quæ ſphæricas involvebant, avolant cum humore. *Radices*, *dentes*, *conchæ*, *ovorum putamina*, ſunt alba; cum conſtent materiâ terreâ, humore exhalato. *Cutis*, *nervi*, *fibræ*, *inteſtina*, alba ſunt, quia ſpermatica. *Pili caneſcunt*, quando humore exhalato, in eis ſphærulæ prominent. Sed ſufficiant hæc de albedine, ex quibus reliqua ingenioſo facilia fient.

DIES IX.

Demonſtrare poſſumus nigredinem de certis ſubjectis. Nam quæ lævigata ſunt ut *ſpecula*, *marmor*, *argentum*, extra lineam reflexionis, nigra ſunt, quia aliorſum parum luminis refle-ctunt, cum ſphærulæ non promineant. Hinc *maculæ lunares* nigreſcunt, cum ſint ſtagna aquarum, exhibentia ſuperficiem lævigatam. *Nix affusâ aquâ* fit nigricans, quia aqua ſphærulas abſcondens, ſuperficiem facit læviorem: ſic & *nubes aquoſæ* nigræ ſunt, aquâ verò exhalatâ

halatâ candescunt, sphæruloſis partibus terreis remanentibus. *Ligna in carbones converſa* ſunt nigra; quia abeunte humore, & partibus sphæruloſis, remanent meræ feſtucæ ſuperficiem aſperatam facientes, quæ lumen introrſum reflectunt. *Atramentum* materiâ ſtriatâ & aſperâ conſtat, ſicut & ferrum; item *fuligo, fumus, &c.* ſuperficiem lacunoſam & aſperatam faciente. *Pili* quorundam animalium, & *cutis æthiopum* nigra ſunt, quia vel propter ſiccitatem ſtriis aſperata, vel humore pingui lævigata ſunt, ut partes ſphæruloſas abſcondant. Sic & *ſenum cutis* nigreſcit, quia rugoſa & aſperata evadit, &c.

DIES X.

Poſſumus demonſtrare rubedinem de ſuis ſubjectis. Sic *flamma*, aliàs candida rubeſcit, fumo accedente: quia fumoſa ſubſtantia interpoſita tantum umbræ efficit, quantum luminis ſpargitur. Ita *ſol meridie* candet, *manè* per nubem rubeſcit. *Flammæ ſummus apex* rubeſcit; quia fumus ibi collectus radios luminis alternat; ſicut & *flammæ de lignis viridioribus* rubicundiores ſunt. *Carbo accenſus* rubet, quia conſtat multis partibus terreis non accenſis, quæ alternos inter radios umbras exhibet. *Sanguis* rubet, quia fit ex chylo ita percolato, ut ejus ſphærulæ frangantur in hemiſphæriola, & minora ſegmenta, ſic ut ſanguis conſtet ex alternis lacunis & ſphæris, & ideò

alternatim radios cum umbris reflectat. Quidam *flores* & *fructus* rubescunt; quia semidiaphani fiunt, & ideò lumen dimidium foras, dimidium intra reflectunt. Sic *folia in æstate* viridia, *autumno* flava, aut rubra fiunt, propter eandem perspicuitatem imperfectè acquisitam, qua radios partim opacitate reflectunt, partim perspicuitate transmittunt. *Radij per vitrum rubrum* in pavimentum album projecti; illud rubedine pingunt; at non sincerus est rubor, si pavimentum sit nigrum; quia album reddit lumen, sicut accepit, non sic nigrum.

DIES XI.

Aurum est flavum; quia mediocri humore, & plurimâ terrâ constat: terra albedinem, humor rubedinem facit, in quantum sphærulis ità interjectus est, ut singulas umbras bini radij comitentur, quæ est proportio dupli, differentia constitutiva flavedinis; quæ est medius color inter album & rubrum. Sic cæruleus color est medius inter nigrum & rubrum; cum in eo singulos radios binæ umbellæ comitentur. Unde inter *colores iridis* cæruleus est extremus, quia in extremitate distantiùs à centro radij sunt distractiores, & ideò pluribus umbris sociati. Hinc & *sylvæ propinquiùs* sunt virides, *remotiùs* cæruleæ; quia remotiùs radij reflecti magis divaricantur, & rariores sunt. *Aër* vel *cœlum* cæruleum est; cum in eo innumerabiles pulviſculi

viſculi fluitantes radios ita intercipiant, ut præ umbris ſint rari. Aliquæ *partes flammæ* cæruleæ ſunt; quia in eis plures particulæ ſunt nondum accenſæ, quàm accenſæ, *Aquæ* interdum cæruleæ ſunt, quando ſcil. in eis ſunt plures partes terreæ & opacæ, quàm perſpicuæ. &c.

DIES XII.

Viridis color, quia ex flavo & cæruleo componitur, ita ut tres radii cum tribus umbellis alternent, ideò *flavus & cæruleus* liquor confuſi reddunt viridem. Hinc *plantæ initio* virides ſunt, dum habent multum humoris nondum ſubacti, parum luminis reflectentis: dum autem *matureſcunt*, ſubacto humore flaveſcunt: & quia in iis negligentior eſt natura, nec conatur humorem in ſphærulas tornare, uti in animalibus, in quibus humor ſubtilior eſt facilè mobilis, & â materiâ ſubtili rotabilis, ideò in *plantis* quidem conſtantior eſt *viror*, in animalibus *albor* & *rubor*. *Viriditas grata* eſt oculis; quia neque valdè perſtringit ob luminis raritatem, & plus titillat, quàm cæruleum & nigrum. &c. Hæc & ſimilia fusè & diſtinctè vide apud *Honoratum Fabry*: Nobis ad finem noſtrum iſta ſufficiunt.

DIES XIII.

Si cui libuerit hac viâ porrò procedere, næ is fecerit quamvis magnum tractatum de ſolis coloribus, & argumenta in infinitum multiplica-

verit contra eos, qui colores esse qualitatem absolutam & meram, non tam docent, quàm ignaviter supponunt. Quos si interroges, cur sanguis sit ruber, lac album, & quidlibet simile, illud tantùm responsi feres, talem esse hujusmodi corporum naturam; id quod quilibet barbitonsor respondebit. Sciunt omnes, eam esse naturam rerum hujusmodi; sed philosophi erat explicare naturam: & quia *scientiæ* est, *proprietates sui objecti demonstrare per causas*, scientiam se nullam habere demonstrant, qui nullam causam proprietatum hujusmodi dare possunt. pudeat vulgus miserabile pecus!

DIES XIV.

Ad extremum ne quid obscurum in luce consistat, sicut ferè de nomine quæritur, dum quęritur, videaturne propriè lumen ipsum, an corpus, à quo dirigitur lumen; ita arbitrarium videri potest, num color sit in ipso corpore lumen reflectente, an in ipso lumine per corpus reflexo. *Vis* illa *reflexiva* corporis non est nisi ipsa talis ejus complexio, & talium partium minimarum talis compositio, non hærens utique in superficie sola, sed per totum corpus diffusa: quam nihil impedit, colorem appellari posse, ad faciliorem saltem vulgi phantasiationem. Nam & talis complexio est *motiva perspicui*. qua scil. formaliter & *ut quo*, corpus reflectens *activè movet perspicuum*. Si verò præplacet id colorem dicere, quod immediatè afficit & movet visum, lumen

lumen ipsum sic modificatum color dicendus erit : qui & ipse movet & visum vitaliter, & medium *perspicuum* non vitaliter, sed tamen tanquam forma modalis illud actuando. Loquere ut voles, dummodò ut capiatis.

DIES XV.

Sicut supra *die* 28. *februarij* diximus *lumen* à *luce* respectivè distingui, relatione scil. ad corpus lucidum & opacum : ita ex dictis hactenus constat, ipsum quoque lumen à lumine similiter respectivè distingui ; cum respectu aëris, in quo hæret, aptumque est congruè influere in oculum, in eoque erigi ad exprimendam imaginem corporis, à quo mittitur, dici soleat *species impressa*, & virtualis similitudo objecti, vel corporis mittentis ; respectu verò ipsius oculi, quatenus in eo re ipsâ exprimit eam imaginem, per eamque vitaliter actuat potentiam visivam, rectè *species expressa*, activa scilicet apellari possit ; passiva autem sit ipsum organum, prout eam motionem patitur, vel potiùs ipsa organi passio, ac immutatio, seu affectio per speciem activam causata. Similiter lumen prout à superficiebus diversimodè complexis diverso modo reflectitur, dicitur color diversus, in diversas species modaliter distinctas distributus. Denique cum dixerimus, lumen vel lucem calefacere, iterum lumen à se ipso respectivè differt : Nam respectu oculi dicitur *lumen*, respectu insensibilium partium, quas ad motum [illegible]am rapit, in cor-

corporibus, ad quæ appellitur, eſt *color* activus; paſſivus & formalis eſt ipſa illa rapidiſſima ac perturbata dictarum partium motio. Unde licet omne lumen ſit calor, non tamen omnis calor eſt lumen: quia aliquis calor propagatur per halitum, qualis non radiosè progreditur, nec aptus eſt oculo ad videndum.

DIES XVI.

Calor cum habitu propagatur hoc modo. Ignis lebetem circumdans ſuas particulas rapidiſſimè concitatas confertim intromittit per poros lebetis, intra aquam; cujus miniмas partes in ſimilem motum concitat, per vehementiam, quæ partes rædem ignis in partes aquæ citatiſſimè impingunt. Hæ partes aquæ inſenſibiles ſimul junctæ, cum mole fiant ſenſibiles, & à materia ſubtili, infra & ad latera ſuccedente, impulſæ, ſurſum tumultuosè ſubſultant, hinc eſt, quod aquæ ebulliant, & verſus labra aſſurgant.

Similiter per poros fornacis citatiſſimè propellitur materia ignis; quæ ſimilem in turbinem agit partes aëris, & cæteras atmoſphæriales, in conclavi hærentes: partim per reſpirationem, partim intra poros cutaneos corporis humani illatæ, ſimilem motum incutiunt ſpiritibus primùm vitalibus, deinde partibus muſculoſis, nervoſis, fibroſis, vaſis, & ſanguini; atque ita corpora calefiunt.

DIES

DIES XVII.

Sicut *calor in partium insensibilium rapidissimo motu* consistit; ita *frigus in earundem partium quiete.* Cum enim partes materiæ crassioris, tenacioris, & rigidioris, corporum poros obstruunt, & vacuitates implent, ut materia subtilis non obtineat locum & transitum, consequenter eadem materia non potest partes rotare in turbinem; sed *quies* sequitur. Unde frigidi sunt *lapides, metalla, glacies, aqua.* Sic corpora animalium, crassâ materiâ per poros obstructa, ut non sint ampliùs perspirabilia, nec spiritibus, nec subtili materiæ pervia; frigent, rigent, obstupescunt, & sensim in mortem vergunt, quæ aliud nihil est, quàm *totalis quies* Sanguinis, Spirituum, nervorum, fibrarum, musculorum.

DIES XVIII.

Sed age penitiùs proprietates frigoris & caloris inquiramus. Frigus nos afficit per modum pungentis, exacerbantis, exulcerantis: Inter frigida aliud alio magis frigefacit: calidum magis est activum, frigidum magis restitivum: calor homogenea, frigus heterogenea congregat: frigus inducit stuporem, tumorem, livorem, findit manus, macilentos plus afficit, quàm pingues, &c. Calor nimius absumit, lacerat, torquet: mediocris vegetat, animat, lætificat: frigus condensat, calor rarefacit, &c. Hæc & simi-

similia quomodo ex nostra doctrina sequantur, non est demonstratu difficile.

DIES XIX.

Cum enim calor sit modalitas & habitudo corporis, qua hujus insensibiles partes, agente subtili materiâ, rapidissimis motibus agitantur; frigus autem modus, quo hujusmodi partes quiescunt: quid mirum, si agitatio illa, qua plurimæ partes avelluntur & foras rapiuntur; sed & vicino corpori confertim infiguntur, ibique similiter secum, quotcunque possunt, auferunt, apertisque poris, & viis laxatis, locum & majorem ingressum materiæ subtili faciunt, quid mirum, inquam, si sentiatur maxima actio? si eâdem agitatione materia crassa intra poros stagnans paulatim dividatur, distractáque avolare cogatur, ut materia subtilis subintret? quid mirum, si corpus rarius & levius fiat? Si particulæ subtilis materiæ priùs disjunctiores amplius coëant, quid hoc est aliud, quàm homogenea conjungi, cum etiam crassiores partes maneant simul? Quid nî in animali sentiatur distractio, & tortura lacerativa? Quid nî mediocris agitatio, quæ non lædat nervos, abigat autem partes tenaces, ut pori aperti spiritibus laxent ampliorem viam, restituat actiones vitales, & suavitate afficiat?

DIES

DIES XX.

E contrario *ignava* & iners *quies*, quia per obstructos meatus, Spiritus vitales, & materia cœlestis avertitur, autem portio per aërem, vel aliunde considens identidem additur, quare non sequatur nervorum distensio, torsio, pressio? & quia particulæ crassæ, per ipsam materiam subtilem nihilominus, qua parte potest, incumbentem, cuneorum instar intra corpus, & partes fibrosas adactæ penetrant, quomodo non exulceratio fieri potest? quomodo non appareat restitivum; cum partes tenaces intra poros hærens difficulter cedat materiæ subtili? cum eædem partes tenaces sufflaminent spiritus, & eis destituant nervos, quare non sequatur stupor & indocilitas? cur non & tumor, eâdem materiâ crassâ augescente? cur non livor, cum augeatur opacitas? cur non fissuræ manuum per lacerationes jam dictas; maximè cum & musculi & nervi, cum tremore, retrorsum agantur. Pingues & benè vestitos minùs afficit frigus, quia corpuscula punctiva, nitrosa, concreta, vento e. g. oppulsa, hærent in vestibus & pinguedine, ut minùs ad partes nervosas penetrent: frigefaciunt autem magis, quæ plures hujusmodi partes vibrant. Qui magnum frigus, subito calore vehementi, è manibus conatur expellere, lædit manus: quia nimia agitatio impetuosè intorquet partes frigidas in partes vicinas, unde sequitur nimia laceratio fibrarum;

quod

quod non fit, si paulatim calor modicus inducatur aquâ tepidâ.

DIES XXI.

Patet ex dictis, *calorem & frigus* esse *contraria*: quia *posita sub eodem genere qualitatis â se invicem maximè distant, ab eodem subjecto mutuò se expellunt, & vicissim insunt, &c.* Patet quoque, quomodo frigida se reducant ad statum connaturalem. Nimirum partes, igneæ ipsâ agitatione, sparguntur foras; cum ergo remoto igne, aliæ non succedant, dubiè partes crassiores arctiùs coëunt, & ad quietem componunt sese. Patet, quare aër ore proflatus in propinquo calefaciat, frigefaciat remotiùs: quia partes aquosæ, terrestres, & crassiores paulatim liberatæ ab igneis perturbatè agitatis & dissipatis, in remotiore corpore poros occupant, & ibi quietem inducunt. Patet item, cur humores diutiùs cocti fiant spissiores: quia videlicet partes aquosiores & faciliùs mobiles avolant copiosiùs; tenaciores autem & difficulter divisibiles remanent. Sed similium rationes ex nostra hypothesi ingeniosus facilè reddet.


DIES XXII.

Interroga horum aliquid Absolutistas, quid respondebunt? Nihil & nihil. Sed nec in tota universitate librorum ipsorum reperies vel unum argumentum, quo probetur calorem & frigus esse

esse accidentia absoluta. Argumentorum cumulus ipsis est iners illa persuasio, quod nulla alia existant accidentia, quàm absoluta, quod nimis absurdum esse patet ex dictis *in soliloq. sect.* 1. *ferè totâ.* Sed quidpiam aliud, circa quod multa verba facere solent, proponamus. Quomodo augentur ista accidentia *intensivè* vel *extensivè?* Utique per *additionem gradûs ad gradum in eadem vel diversa parte subjecti.* Ponatur ergo calor e. g. extra omne subjectum, quod fatentur fieri posse, & fateri debent ex dictis 1. *Januar.* Hujusmodi calor nec habet extensionem, nec intensionem; quia nec in *eadem*, nec in *diversa* parte subjecti, quale nullum habet, habebit magis aut minus: quæ cum sit proprietas qualitatis, hic calor non erit qualitas, nec accidens. Imò nec unum quidem gradum habebit, quia & hic divisibilis & ideò intensus esset. Ergo calor hic erit *punctum actu indivisibile*, carens omni extensione & intensione: vel certè per unicum illum gradum erit calor intensus & extensus, *intensione* & *extensione* omnium possibilium *minima*, quæ est impossibilis.

DIES XXIII.

Quod autem extensio minima, sicut & maxima, sit impossibilis, disce ex hoc phœnomeno.



Sit vectis *a c*, cujus brachium minus *a b*, majus *b c*: super centro *b* attollatur *b c* usque in *e*: describet lineam sive arcum *c e*. pars autem minor *a b* deprimetur in *k*, & designabit arcum *a k* minorem, quàm *c e*. Producatur deinde *b e* in *h*: & æquali tempore attollatur *h* in *g*, ut describat arcum *h g* æqualem ipsi *c e*. deprimetur tunc punctum a non in *k*, sed in *i*, ac describet arcum minorem quàm sit *a k*. Quia autem semper poterit addi ad lineam *b h*: si eadem operatio continuetur, semper punctum *a* describet lineam minorem, & sicut *b h* nunquam erit longissima, ita arcus *a k* vel *a i* nunquam erit minima: sed poterit semper fieri minor & minor in infinitum. Similiter motus puncti *a* nunquam erit tardissimus, sed tardior semper & tardior.

Quod si potentia motrix ponatur in *a*, & operatio procedat, punctum *h* movebitur velocius, si videlicet versus *h* semper additio fiat: nunquam autẽ fiet ibi arcus maximus, sed semper major;

major; nec motus velociſſimus, ſed ſemper velocior & velocior in infinitum: ſimiliter nec tempus maximum nec minimum: nec numerus maximus; & minimus numerus, licet ſit binarius, dum unitates ſunt determinatæ; tamen quando ipſa quoque unitas diviſibilis eſt, eatenus nec minimus numerus aliquis eſt.

DIES XXIV.

Cum ergo etiam unicus gradus caloris ſubdiviſibilis ſit in dimidios gradus, in quartas, in octavas, &c. etiam ille unicus ſuam intenſionem habet, dum ſeorſim à ſubjecto exiſtit. Attamen nullam habere poteſt *intenſionem*, cum illa ſit *major radicatio in ſubjecto*, vel *additio graduum in eadem parte ſubjecti*, & tamen calor in ſubjecto non ſit. Eſt ergo calor ille intenſus, & non intenſus, quod implicantiam aſſerti infert. Nec dicas intenſionem fieri per additionem *gradûs intra gradum*, & extenſionem per *juxta poſitionem* gradûs ad gradum. Nam ſic evertis totam Philoſophorum omnium, & tuam ipſius definitionem; adeóque tua Philoſophia ſibi non conſtat, ſive non cohæret: nec etiam oſtendere potes, quomodo gradus gradui ſive *intra*, ſive *extra* aut *juxta* uniatur; cum communiter dicantur, accidentia nō uniri inter ſe, niſi ratione ſubjecti cōmunis, cui ſimul inhęrent; cum non inhæreant ſibi invicem, ſed ſubjecto: igitur ſi extra ſubjectū exiſtant, non inhærent, ut ſupponi-

tur; & tamen inhærent, scilicet sibi invicem, quæ iterum implicantia est.

DIES XXV.

Ulterius gradus *intensionis*, vel etiam *extensionis* suntne homogeneæ partes, an heterogeneæ? si homogeneæ: quomodo una alteri unietur, cum nulla respectu alterius sit vel potentia vel actus? si heterogeneæ: quis capiat, calorem ut unum esse diversæ essentiæ à calore ut duo? quæ sunt illa prædicata, quibus differunt? Recense illa, in quo differunt? Præterea sive homogeneæ sive heterogeneæ sint partes, certè impenetrabiles non sunt: si ergo sese penetrant, quomodo extensionem facient, cum nequeant se tangere, neque cohærere? Certè sicut duo anguli non possunt facere unum contiguum, aut continuum, aut extensum, quia se non contingunt, neque cohærent, nec uniri possunt; ita duæ partes caloris penetrativæ non possunt coire in unum continuum, contiguum, extensum; quia nequeunt se contingere: quid enim est contiguum & continuum, nisi unum ex partibus se contingentibus, aut continuantibus?

DIES XXVI.

Unde ſicut calor, & quodvis accidens, non exiſtit *per ſe*, ſed per ſubjectum, non *in ſe*, ſed in ſubjecto; ita non eſt extenſum per ſe, ſed per ſubjectum & in ſubjecto: ſicut enim exiſtit ſimpliciter, ita exiſtit extensè, neutrum per ſe, ſed per ſubjectum. Atqui ſi creativè exiſtat, per ſe exiſtet, & per ſe extensè exiſtet, ergo tunc erit *ens per ſe exiſtens*, & *per ſe extensè exiſtens*: ergo erit ſubſtantia. Item extenſio eſt prædicatum ſubſtantiale corporis, ſive ut differentia, ſive ut proprietas, nam harum utraque eſt quidditativa & ſubſtantialis, ut diximus *die* 24. 25. 26. 27. *Januarii & ſeqq.* quemadmodum perfeitas eſt ſubſtantiæ: ergo calor creativè exiſtens vel non poteſt eſſe extenſus, quia ſpecificum prædicatum extra ſpeciem alienari non poteſt: vel certè erit corpus.

DIES XXVII.

Quod veteres docuerunt, formas individuari per ſubjecta, vel *individuationem deſumi à materia*; oſtendit eos formas tantum reſpectivas agnoviſſe: quomodo enim, aut per quid, circulus *a* non eſt circulus *b*, niſi quia unius extenſio terminata linea curvâ eſt ligni, alterius autem extenſio ſpecie eadem eſt chartæ? Ergo cum oſtenſum ſit, calorem non poſſe extendi extenſione propriâ, ſed ſubjecti, ſi poneremus aut fingeremus, eum creativè exiſtere, ſaltem non

existeret sub extensione priore, sed aliâ: ergo saltem individualiter differret à se ipso: nam diversa extensio facit diversitatem in calore, si non substantialem vel specificam, ergo saltem individualem: imò potiùs innominabilem.

DIES XXVIII.

Calor ille si nullam habet extensionem, vel intensionem, habebit *proprietatem Spiritûs* juxta dicta *die* 26. *Januar.* adeóque erit Spiritus, quo nihil amentius fingi potest. Si autem habet extensionem, erit longus, latus, profundus, & erit figuratus. Nam *figura* aliud nihil est, nisi *extensio terminata:* debet autem esse terminata, quia nulla est infinita *juxta dicta d.* 23. *hujus.* Erit ergo calor ille vel cubicus, vel sphæricus, vel cylindricus, vel prismaticus, &c. hæc autem sunt proprietates corporis: ergo calor ille corpus erit, cujus proprietates habebit.

DIES XXIX.

Quo modo aliquid *frustra existeret*, eo modo non potest existere: sed calor seorsim frustra existeret: quia nihil omninò finis vel utilitatis in eo maneret; neque esset *actus alicujus potentiæ* sive subjecti, neque ipse esset *potentia vel subjectum alicujus actûs*, imò merissimum nihil esset. Quomodo enim definis calorem? quid rei est? Nonne *qualitas rarefactiva*, utique alicujus; nimirum subjecti, cujus est,

&

& quod rarefacit tanquam talis forma : Atquì in tali ſtatu eſſet nullius ſubjecti, ergo nullius rarefactivus : non ergo eſſet, quod eſt. Dices, eſſe rarefactivum, ſuppoſito, quod ſit in ſubjecto; ſicut anima eſt intellectiva dependenter à ſenſu, etiamſi ſeparata ſit. Sed anima etſi poteſt intelligere etiam dependenter à ſenſu : poteſt tamen æquè, imò meliùs intelligere ſeparata à ſenſu, & ſic de facto intelligit, ut per illam ſeparationem nihil ſui actûs deperdat : cum tamen calor totum, quod eſt, & poteſt, deperdat in tali ſtatu : ex quo ſequitur, non eſſe ens pro tali ſtatu, ſive non eſſe ens abſolutum; cum nihil ſit, niſi reſpectu ſubjecti, ſive non ſit, niſi *rarefactivus ſubjecti.*

DIES XXX.

Confirmatur & proponitur diſtinctius. Mens humana eſt quidem aliquid *reſpectivè* ad corpus; eſt tamen potiùs aliquid etiam in ſe ipſa, & *per ſe abſolutè*; quia eſt ſubſtantia immanenter activa, vivens, & actuativa ſui. Tametſi ergo in ſtatu ſeparationis amittat, *in ſenſu compoſito*, id quod eſt *reſpectivè*, non tamen amittit totum quod eſt; cum retineat totum, quod eſt *abſolutè*, & ideò etiam id, quod pro tunc depoſuit, poteſt recipere; cum illud reſpectivum fundatum in abſoluto, ſecundùm potentiam retineat. Calor autem nihil omninò eſt abſolutè, & in ſe, neque enim eſt perfectivus vel actuativus ſui : ſed totum quod eſt, tantùm eſt ſuo ſubjecto; cum

essentia ejus alia non sit, quàm *rarefactivum subjecti*: ergo in statu separationis nihil retinet pro se, cum nunquam aliquid habuerit pro se; sicut ambulatio nihil est sibi, sed tantùm ambulantis, & ideo sine subjecto merissimum nihil est. Ergo status ille separationis ei impossibilis est; quia in eo non retineret id, quod solum est & fuit, & ideo nihil ei remanet. Hæc annota pro mysterio Eucharistiæ.

DIES XXXI.

Existant omnia accidentia aquæ seorsim, sic ut nihil in aqua restet, nisi materia & forma substantialis aquæ. Quid fiet in casu? An aqua se reducet ad pristinum statum? ita, inquis. Ergo recipit eadem accidentia, quæ prius: ergo hæc naturaliter replicata; quia erunt & extra subjectum creativè, & iterum intra, per virtutem naturalem formæ aquæ. Saltem non erunt eadem individua, cum habeant differentiam inter se, in modo existendi, quod neque tu libenter concedes, & esset universale in rebus; quia specie essent eadem, etsi individuè differrent. Deinde quomodo reductio illa peragitur? Emanat illa forma, dicis. Sed ad illam emanationem non juvatur à materia, cujus illa accidentia non sunt propria. Ergo per se sola emanat: ergo si forma separetur à materia, adhuc emanabit: ergo naturaliter potest existere seorsim; quia etiam tunc frustra non existet, cum sit actuativa sui, sicut ante, & immanenter operativa, perfectivaque

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [388] - 344
PUBLIC DOMAIN

que sui. Hîc multa sequuntur absurda, quæ tu ipse cogita. Quæ autem de colore & frigore dicta sunt, quibuslibet accidentibus applicari possunt.

APRILIS.

DIES I.

PRogrediamur de accidentibus, vel potiùs de qualitatibus corporum: malè enim ista confundi à vulgo diximus in *Soliloquio n.* 217. Harum quatuor *primas* sive elementales quatuor primorum sive elementalium corporum aëris, ignis, terræ, aquæ, *frigus* & *calorem*, *siccitatem*, & *humiditatem* enumerant. *Secundas* vocant reliquas ex primis ortas. Nos de calore & frigore jam egimus ad sufficientiam, & per connexionem, de lumine atque coloribus. Restant ergo de primis *humor* & *siccitas*: de secundis eminentiores sunt *tenuitas*, *crassities*, *fluiditas*, *firmitas*, *durities*, *mollities*, *lævitas*, *flexibilitas*, *rigiditas*, *raritas*, *gravitas*, *levitas*, *vis elastica*; & sensibiles, *odor*, *sapor*, *sonus*. Quamvis his omnibus priores & universaliores sunt *extensio*, *quantitas*, *impenetrabilitas*, de quibus jam est actum à nobis *à 21. Januarij usque ad finem*, *& in Soliloq. sec. 3. §. 2. 3. 4.*

DIES II.

Siccitas est *modus corporis ex particulis rigidis, & inter se quiescentibus, nullo liquore imbutis resultans.* Humiditas contrà modus est, quo *corporis partes insensibiles, laxissimè nexæ, perpetuò agitabiles, & ita fluxibiles sunt, ut intra alieni corporis poros facilè subeant.* Tenuitas est modus corporis *ex particulis, exilibus, quibus constat, resultans; secundùm quas facilè alterius poros subire possit.* Crassities modus, resultans *ex partibus majoribus, figurâ irregulari constantibus, quæ ægrè in alienos poros subintrent.* Fluiditas est modus resultans *ex particulis facilè disjungibilibus, ad quamvis figuram recipiendam aptis, & ideò facilè mobilibus.* Firmitas modus, *quo partes, propter certam figuram, facilè concatenabiles, aut secundùm superficiem sese tangentes, ita cohærent, ut ægrè divelli possint.* Sic experientiâ notatum fuit, duo hemisphæria adeò cohæsisse, ut 8. equis divelli non potuerint: quod metu vacui non fit; quia compertum quoque est, si vis tanta adhibeatur, quæ superet pressuram aëris, divelli hemisphæria posse.

DIES III.

Durities est modus, *quo partes corporis crassiusculæ, ob figuram, contextum, & immediatum contactum, ab aëre & æthere premente coarctatum, tenacissimè cohærent.* Mollities modus, resul-

resultans ex *partibus, partim suâ duritie quiescentibus, partim fluiditate mobilibus.* Lævitas modus, quo *partes superficiei, ratione figuræ, æqualiter prominent, quoad sensum.* Asperitas quo *prominent inæqualiter.* Flexibilitas modus est, quo *partes oblongæ, læves, in directum tendentes, curvationi non obstant, ita ut aliæ molliores in aliis durioribus, ultrò citróque moveri possint.* Rigiditas contrà, quo *partes intra partes dimoveri non possunt:* Unde si attrahantur, fit ruptura; eò quod filatim partes per totum eant. Raritas modus est, *quo corporis pori plus materiæ subtilis continent:* Densitas, *quo minus.* Rarefactibile proinde, quod majores, vel plures poros habeat inter partes non accuratè se contingentes, & flexibiles. Habet autem poros etiam aurum, argentum, & marmor, cum effluvio magnetico sint pervia.

DIES IV.

Gravitas est modus corporis, *quo tendit deorsum, eò quod sit minùs porosum:* & Levitas, *quo magis porosum sursum truditur*, ut expositum satis est *die 6. & 7. Februarij.* Vis elastica est modus, quo *corpus pressum vel tensum resilit in priorem figuram:* quod fit, dum materia subtilis transiens per poros impingit ad latera, ut suum fluxum recuperet; ideo corpus elasticum rigidum esse debet. Si tensio vel pressio diu duret, perditur vis elastica; quod subtilis materia paulatim alias sibi vias aperiat. De motu

locali

locali plura sunt dicta supra *ab initio Februarij usque ad diem* 10. Est autem modus, quo *corpus progreditur de loco in locum*, sive mutat superficies corporum se continentium, *juxta dicta* 23. *Januarij & seqq.*

DIES V.

De *qualitatibus sensibilibus* ut quid addamus; de *lumine & colore, calore* quoque & *frigore* dictum est *ab* 8. *Febr. ferè per Martium totum.* Sapor est certa dispositio *ex magnitudine, figura, & motu insensibilium partium in corpore resultans, qua ipsum, per salivam resolutum, ad organum certo modo fabrefactum, & ex nervosis fibrillis contextum, gratè vel ingratè afficere, affricando titillandoque solet.* Odor à sapore ferè solâ *corpusculorum tenuitate* differt. Sonus est *motus aëris tremulus, à corpore sonoro procreatus, & ad organum auditûs propagatus*, quo tympanum acusticum subsultim percutitur. Corpus ut sit sonorum, debet esse instructum plurimis & exiguis poris, ut singulæ partes tremere possint in corpore fluido intus contento, quod contingunt. *Color* & *lux* visum movent: Cæteræ qualitates ferè tactu sentiuntur.

DIES VI.

Verùm has similésque qualitates priusquam penitiùs, sintne absolutæ an modales, discutiamus, meditemur quænam quibus corporibus insint. *Prima materia*, sive *primum elementum*

tum est corpus seminale habens potentiam passivam, ut ex eo reliqua omnia mediatè saltem fiant: ita ut ipsum actu non sit ullius speciei physicæ & sensibilis; potentiâ tamen omnia. Huic competit *extensio* sive *quantitas molis*, *impenetrabilitas*, & *loco mobilitas*, saltem secundùm proximam potentiam, ratione partium. Ex inde immediatè educitur *corpus globulosum*, & ex utroque resultat corpus imperfectè mixtum, ita scilicet, ut partibus partes unione non firmâ cohæreant, quod est *corpus lucidum*, sive *cœleste*: potens movere visum, & ideò jam quodammodo physicum, & sub experientiam cadens. Hujus ergo *spectabilissima qualitas* est potentia activa movendi visum, præter illas universales materiæ primæ.

DIES VII.

Ex dicta materia cœlesti cum debita portione tertij elementi, prout scilicet hæc complectitur particulas rigidas, hastulatas, nitrosas, & similes facilè agitabiles, imperfectiùs & laxiùs mixta resultat *corpus calidum*, *calefactivum*, *inflammativum*, *rarefactivum*, *urens & lucens*, quod est ignis, primum de vulgaribus elementis: de cujus operandi modis supra *die* 18. & 19. *Febr.* Ex eadem *materia cœlesti* non copiosa, admixtis *particulis tenuibus*, *lanuginosis*, *flexibilibus*, *plumulosis*, *cum aliqua tamen rigiditate*, & *à se invicem perpetuo motu disjunctis*, *vimque elasticam habentibus*, existit *elemen-*

mentum vulgare, fluidum, rarum, maximè pellucidum, & ſpirabile, quod eſt aër. Aqua verò eſt *elementum vulgare, humidum, fluidum, conſtans particulis oblongis fluidis, flexibilibus, jugiter inter ſe agitatis, glabris, teretibus, anguillarum inſtar lubricè volubilibus.* Terra *elementum vulgare frigidiſſimum & ſiccum, conſtans particulis multiplici figurâ magnitudinéq; præditis, inter ſe arctiùs cohærentibus.* Atque ex eisdem elementis deinceps alia atque alia mixta conſurgunt.

DIES VIII.

Colligis facilè, ſemper illud corpus, quod eſt ſimplicius, & ex quo alterum immediatè fit, eſſe materiam illius, quod fit; ita quidem, ut omnium prima materia ſit æther, corpus ſubtile, quod totius mundi eſt quædam prima baſis, fundamentum, & fulcrum. Sed quænam hujusmodi corporum eſt forma ſubſtantialis? Reſpondeo, hæc ſemper eſt, cujusvis corporis illa *qualitas principalis*, qua primum quodlibet corpus conſtituitur in eſſe talis ſpeciei, & à quovis alio diſtinguitur. Cujusmodi qualitas ſolet eſſe etiam ipſa complexa, & ex multis compoſita, ita, ut ſit modalitas correlativa, & ex pluribus una, ſicut per ipſam exiſtit corpus unum commixtum, complexum atque compoſitum. Quæ prædicata hanc qualitatem principalem & conſtitutivam præcedunt, univerſalia & generica ſunt; quæ conſequuntur, accidentia. Itaque

que ista *qualitas principalis* est vel maximè *substantialis*, nequaquam accidens: qui enim isto termino non nisi accidens intelligunt, nimis ostendunt, quàm vel planè non legerint, vel certè parùm consideraverint isagogen Porphyrij de prædicabilibus à nemine repudiandam.

DIES IX.

Sed ohe inquis, quousque avolas in devia? sic enim formam substantialem corporum cum prædicato specifico entium etiam simplicium confundis, & hac ratione *potentia intelligendi* angeli ejusdem *forma substantialis* erit. Respondeo, nequaquam ista confundo. Nam forma substantialis propriè appellatur id, quo corpus constituitur: quod certè resultat per motum generationis ex materia, in qua eadem forma resultat noviter, quæ ante non erat. Non sic resultat potentia intelligendi angelica ex aliqua vel materia, vel subjecto præexistente. Alioquin tamen nihil obstat, quo minùs ratio constitutiva substantiæ simplicis vel spiritualis *qualitas principalis* vocetur in tali suppositо; sicut de facto S. Thomas & alij appellant intellectum & voluntatem spirituum. Sed tamen eadem qualitas nondum est forma substantialis, prout simpliciter sumitur; quia neque actuat materiam præexistentem, neque resultat, aut advenit alicui subjecto: tametsi utrobique sit revera qualitas tertij prædicabilis.

DIES

DIES X.

Prima itaque *materia* de se est *corpus insensibile, sensibile tamen potentiâ*, de se nullum habens actum physicum, potens recipere quemlibet: nullius speciei actu, potentiâ cujuslibet: corpus non physicum actu, sed potens transire in quodlibet: quod autem re ipsa fiat unum potiùs quàm aliud, est ipsi contingens & accidens. Corpus cœleste sive lumen est *principaliter motivum visûs*; cui proprium est, posse in colorem transire: quod autem actu fiat talis & non alius color, contingens est ei. Ignis est *elementum vulgare specialiter ardens & lucens*; cui proprium est vicina corpora calefacere & inflammare. Aër *elementum vulgare vi elasticâ pollens*, cui proprium est esse spirabile, & auditum movere. Aqua *elementum frigido-humidum*, quod propriè cætera diluit, & flexibilia reddit. Terra *elementum sicco-frigidum*, quod propriè consistentiam reliquis & firmitatem confert. Individuantur à sua quodvis materia: suaque actualis actio & causatio cuique accidit.

DIES XI.

Forma ergo *substantialis aliqua* materiæ est mera *capacitas* & potentia remota ad quemvis actum physicum, quæ capacitas tamen actus physicus & forma physica non est, cum sit ejus tantùm capacitas. Forma corporis luminosi est

sub-

ſubſtantialis ille modus movendi viſum, ex prima mixtione reſultans. Forma ignis *modus ille lucendi & ardendi* ſupra deſcriptus. Forma aëris *modus ſpecialis, quo elaſticè movetur.* Similiter forma aquæ ac terræ, ſua cuique eſt maximè ſpectabilis qualitas, qua ſubſtantialiter & primò ſunt tale corpus quod ſunt, & aliud quodlibet non ſunt. Ex quibus vides, formas ſubſtantiales eſſe *inſeparabiles* à ſuis ſubjectis & ſubſtantiis, utpotè merè modales: abſolutas autem eſſe ſuperfluas, cum ex dictis jam patet, tum ex infra dicendis ampliùs patebit. Nunc qualitates ſupra commemoratas indifferenter ad ſpeciale examen vocemus.

DIES XII.

Materia ſuas illas, *de quibus 6. hujus* confert corporibus ex ea generatis: quarum prima eſt *quantitas molis*, quæ cum nihil ſit, niſi extenſio in longum, latum, profundum, evidens eſt non eſſe accidens ſeparabile. Separetur enim: certè ipſa non erit quanta, non longa, non lata: quia iſta ſunt concreta, ipſa tantùm eſt forma concreti. Quod ergo nihil habet extenſionis, quomodo erit extenſio? quod eſt meriſſimè punctum & inextenſum, quomodo erit extenſio? quomodo quantitas, quod nihil continet quantitatis? quomodo eſt magnitudo & moles ipſa, quod nec eſt longum, latum, profundum, nec longitudo, latitudo profunditas? Quod nullo ſenſu percipi poteſt, nihil agere, nihil pati,

quomodo poteſt per ſe exiſtere? Quo jure dicitur & eſt quantitas? quomodo facit corpus quantum? Corpus ipſum tali quantitate penitus deſtitutum, quid poterit pati, agere, quomodo ſentiri, intelligi, demum quid poteſt eſſe? cum nec ſit ſpiritui ſimile, nec corpori?

DIES XIII.

De *impenetrabilitate*, ſi hanc ab extenſione diſtinguas, idem eſt judicium, ſi enim extra ſubjectum exiſtat, non erit impenetrabilis, ſed impenetrabilitas. Atqui ipſa erit penetrabilis, quia nullius corporis à ſe excluſiva. Imò priùs penetrabat ipſum ſuum corpus, cui inhærebat. Quod ergo penetrabat, quomodo faciebat impenetrabile? Quomodo erat impenetrabilitas corporis, cum ipſa penetraret corpus? Denique non poteſt exiſtere impenetrabilitas, per quam nihil exiſtit impenetrabile; ſicut non poteſt eſſe ſcriptio, ambulatio, dum nihil eſt ſcribens, ambulans, &c. aut detur diſparitas. *Vide dicta nuper à 25. Martij per ſeqq.*

DIES XIV.

Qualitates abſolutæ ſeorſim exiſtentes ſunt penetrabiles; imò dum inhærent, penetrant ſubjectum ſuum: quomodo ergo lumen refle-
ctitur, refringitur, figuratur, erigitur, afficit, lædit, recreat, titillat oculos? quomodo lux & color generant ſpeciem? per quid color à colore differt? quomodo calor rarefacit, congre-
gat,

gat, disgregat? accendit, inflammat? quomodo frigus condensat, pungit, contrahit, tremorem inducit, tumorem, livoremque generat? Quomodo seorsim existens tenuitas differt à crassitie, cum utraque penetret, & neutra sit alicujus subjecti? ne tenuitas reddat aliquid tenue, nec crassities aliquid crassum? si in nullo differant, desinunt esse quod sunt, quia neutra est, quod est. Idem dic de fluiditate & firmitate, de mollitie & duritie, de lævitate & asperitate, de rigiditate & flexibilitate, de gravitate & levitate, &c. Qui vult discere, quid sint entia chymærica, ei tu hujusmodi qualitates absolutas ostende, & doctum facies.

DIES XV.

Ulteriùs horum omnium interroga extensionem & magnitudinem, intensionem, situm, remissionem, locationem, qualitatem, comparationem &c. Bone DEUS! quæ sylva chymærarum nascetur? Attende etiam, hæc omnia sumenda in abstracto, non in concreto. Sic ergo gravitas erit ipsa forma & ratio tendendi deorsum, & levitas tendendi sursum, cum tamen nihil moveatur neque sursum neque deorsum, sed utraque forma quiescat, nec de alterutra dici possit, in quo ab altera differat. Quod si quies & motus rursum sint accidentia absoluta, nec ista different inter se, cum neutra faciat aliquid moveri, nec ipsa moveantur aut qui-

escant, nec alicui subjecto eam denominationem communicent.

DIES XVI.

Sapor & *odor* quare tam varij sunt? in quo unus ab alio differt? quare talem organi structuram requirunt? seorsim existentes possuntne. sentiri, & afficere organum, & quomodo? si ita: quomodo? cum nullum sit ibi amarum, nullum dulce, nullum amarius, nullum dulcius? si non: quomodo & in quo amarities non est dulcedo? & fœtor ingratus, & odor alius placens? Sonus gravis quomodo differt ab acuto? Ubi nihil est, quod resonet, quomodo resonantia erit? quomodo propagabitur? quare paulatim desinet, aut semper durabit? quomodo contingent organum? Si hoc sit obstructum, quare non nihilominus illud movebit, cum penetrabilis sit? imò quomodo movebit, cum nequeat contingere., si penetret? Quomodo calor, frigus, humor, siccitas, durities, mollities, &c. seorsim existentia, imò etiam dum subjectis insunt, cum per se neque extensa sint, & penetrent, afficiunt sensum tactûs? quomodo unum horum discernetur ab alio? Hæc sunt ejusmodi, ut ipsa responsa nova semper argumenta suppeditent.

DIES

DIES XVII.

De *forma ſubſtantiali* ut diſtinctiùs & peremptoriè ſtatuamus, priùs nonnulla phœnomena circa corpora hactenus expoſita, conſideremus; & primò quidem de igne, quando accenditur. Quæ laxiùs plexa ſunt, & disjungi à ſeſe facilè poſſunt, conſtantque multâ materiâ pingui, nitroſâ, rigidiuſculâ, facilè mobili & agitabili, ut *adeps*, *oleum*, *pix*, *bitumen*, *pulvis tormentarius*, ſtatim accenduntur, & flammam concipiunt: tardè autem vel nunquam, quæ ſunt arctiùs & firmiùs plexa, conſtantque particulis frigidis, gravibus, difficulter mobilibus, & à ſe invicem avellibilibus, ut *marmor*, *æs*, *aurum*, *ferrum*, *aqua*, niſi hæc priùs rarefacta, particulisque nitroſis & aliis atmoſphæricis juncta, converſaque fuerit in fumum.

DIES XVIII.

Virgula *fumi ex candela recens extincta* facilè concipit flammam, quæ & videtur per fumum ad candelam deſcendere: quia fumus ille continet plurimùm materiæ inflammabilis, ſive agitabilis; & quidem plus propinquiùs ad candelam, quàm remotiùs; quia remotiùs jam diſſipatior eſt: unde citiùs accenditur portio propinquior; ſic ut flamma ad candelam properare videatur. Sic *naphtha* videtur ſcintillas ex igne ad ſe trahere; quia ſpargit plurimum materiæ inflammabilis, quæ à flamma accenditur, & agi-

tando repellitur, prout ſupra explicuimus *die* 19. *Martij, & Febr. die* 5. 18. 21. Porrò hujusmodi fumi vel effluvia, qualia exhalant etiam *pelles feltum, veſtes laneæ &c.* calefaciunt; quia latent in eis multi igniculi imperfecti, urentes tantùm, & non lucentes, *de quibus* 19. *Febr.* Quod etiam de aëre fervido in æſtate ſubinde intelligo.

DIES XIX.

Ex *ſilice eliciuntur ſcintillæ*, quia in partibus violentè divulſis exiſtunt & fiunt rupturulæ & cavernulæ majores, è quibus ſubitò tum erumpunt partes ſalinæ & nitroſæ, quæ priùs latuerant, tum irrumpit intrò ſubtilis materia, easdem particulas ſalinas agitans & circumrotans, quamvis ſtatim ob minorem copiam diſſipantur, & ceſſant flammulæ, niſi incidant in fomitis materiam filamentoſam, & particulis ſimiliter agitabilibus fœtam; ibi enim filamentis retentæ & eisdem particulis ſociatæ quantitatem augent, & in flammulam occultam agitantur, admotoque ſulphure manifeſtam in flammam abeunt. Similiter fit in *vehementi affrictu*, vel per funes, vel per ligna aſpera applicata cauſato: Nam & tunc partes agitabiles ex particulis abruptis inſenſibiliter proſiliunt. Sic *fœnum*, *nubes*, & alia accenduntur, avolantibus partibus humidioribus, & craſſioribus, ut materia ſubtilis copioſiùs ſubintrare poſſit.

DIES

DIES XX.

Per *flatum & ventum accenditur ignis:* quia partim materia crassa discutitur, ut materiæ subtili amplior via & ingressus fiat; partim materia agitabilis compellitur ad majorem consociationem. Quod si tamen ventus sit nimius respectivè ad flammam modicam, extinguitur ignis; quia ipsa agitatio opprimitur, & materiæ agitabilis modica quantitas ad quietem compellitur. Similiter extinguitur affusâ aquâ vel simili liquore, vel pressione manuum. *Sequitur* autem *fumus*, partim quia minores adhuc igniculi remanent, partim quia saltem calor, & perturbata agitatio insensibilium partium non statim cessat; quibus continuatur adhuc partium crassarum divisio & rarefactio.

DIES XXI.

Crasso fumo & vapore in cella, *dum recens mustum ebullit*, extinguitur ignis; quia vapor ille materiam subtilem in suo cursu intercipit, & rotationem particularum agitabilium, cum præsertim paucæ sint, sufflaminat; sicut & ipsam respirationem difficilem reddit. Similiter *in loco concluso*, dum aëri non patet exitus, flamma suffocatur propter similem rationem; quia scilicet aër crasso humore & vapore, vel fumo oppletus materiæ subtilis rotationem sistit. Hinc *ignis perpetuus* arte humanâ fieri non potest: vel enim halitu avolante deficeret pabulum; vel

si locus obstructus foret, eodem repercusso agitatio cessaret: nisi fortè actione angelicâ pararetur pabulum puriſſimum, & materia agitabilis, nulli crassiori admixta, quæ fumum & halitum nullum efficeret.

DIES XXII.

Restant aliæ apparentiæ ignis. Nam *flamma figuratur in conum*: quia juxta analogiam, quam habes 6. *Febr.* flamma est aëre levior, quodammodo porosior, & se habens instar substantiæ fistulosæ; quæ quia paucioribus radiis aëreis premitur supra perpendenticularibus incumbentibus, pluribus autem ad latera, quid mirum, si circa latera minùs, magis autem in medio elevetur? Unde & *tremula* est flamma, *subsultans ad fidicinium*, propter motum subsilientis aëris, & quia heterogenea est materia flammæ, ut ejus portio modò major, modò minor accensa sit. Recens accensa *infernè nigricat*, quia inferior pars imperfectè accensa, adhuc multas umbras patitur. Ad *summitatem coni magis ardet*, & citiùs movetur, corpus ampliùs ferit, & illud profundiùs penetrat.

DIES XXIII.

Flamma una alteri propiùs admoto videtur eam attrahere, ut fiat una: quia materia intermedia, paulatim accenditur, succesivè amotis partibus crassioribus, & aëre circum premente compellitur in unum. Sic & *pabulum videtur paula-*

paulatim attrahere ; quia illud ſucceſſivè diſpoſitum per partes propinquiores paulatim circumrotat. Simili apparentiâ videtur interdum *flamma in aëre*, quæ fumo interpoſito, inferiori flammæ *non eſt continua* : quia ſcil. fumo craſſo mediante, materia interjecta non eſt agitabilis vel accendibilis. *Metallum accenſum non fumat*, quia humor modicus inde avellitur : *magis tamen urit* ; quia fumoſa portio non ſeparat partes flammæ ; quæ proinde unita fortior ſpargit particulas magis ſolidas & rigidas. *Flammæ autem exigua erumpit* ; quia materia aquea & fumoſa deeſt, quæ ſolet partes agitabiles ſecum educere : unde exiſtit flamma major, ſed rarior & minùs activa. Sed hæc & ſimilia multa ingenioſus quiſque ex noſtra hypotheſi reſolvere poterit.

DIES XXIV.

Age nunc *formam abſolutam* ignis *ſubſtantialem*, ſi qua reperibilis eſt, inveſtigemus. Per quas cauſas hæc forma cauſatur ? *Effectivè* non cauſatur à materia : ſic enim etiam alias quaslibet formas materiales materia cauſaret, & ideò haberet vim cauſativam majorem & perfectiorem omni alio agente corporeo, quod nemo dicit. Nec apparet, quomodo eam *materialiter & eductivè* cauſet. Intelligo facilè quomodo ſit cauſa materialis formæ reſpectivæ, & quomodo ex ea educatur, ita ut ipſa materia inſit corpori ſic cauſato & reſultanti ; ſicut intelligo, quomodo

do forma domûs artefactæ educatur ex lapidibus & lignis, ita ut lapides & ligna domui factæ insint; cum forma artificiosa sit analoga formæ physicæ, & compositum artefactum composito physico. Sed si forma domûs esset substantia absoluta, nullus intelligit, quomodo educi posset ex lapidibus & lignis; sicut nemo capere potest, quomodo talis forma lapidibus & lignis inesse posset.

DIES XXV.

Tu ergo si non nosti formam substantialem, quare illam non cognitam tantoperè prædicas? si nosti & habes perspectam, dic nobis, quomodo materiæ insit, ut eam *subjectivè* & ut causa materialis causare possit. Causatne plús & alio modo formam substantialem materialem, quàm corpus organicum animam rationalem, nam & hujus creationem corpus humanum suo modo principiat. Ostende quomodo plus, & modum illum explica. *Educitur*, inquis, forma materialis, anima autem *creatur*. Audio voces; sed vocum significatum non assequor: Quare istius causatio est creatio, illius autem eductio? in quo utriusque significati diversitas est? vel forma materialis trahit & aliquid accipit à materia, vel nihil. Si nihil; creatur ut anima. Si aliquid: quid illud? si existat seorsim à materia, retinetur illud, quod à materia habuit? Si retinet: non est sola & seorsim à materia: nec est tantùm forma; sed secum habet suum subjectum, & ideo non est

forma

forma tantum ignis, ſed ipſe ignis. Si non retinet: ergo non eſt illa forma ſeorſim, quæ erat unita, cum illud ſupponatur fuiſſe ei *ſubſtantiale*, quod habebat à materia. Nam ſi tantùm accidentale erat, poterat illud non accipere, & ſic nihil habere à materia, ſicut nihil habet anima à corpore.

DIES XXVI.

De *cauſa effectiva* etiam amplior eſt difficultas. Imprimis quid hæc operatur circa materiam, ut ex ea educat formam abſolutam? Nemo hoc explicat, nec explicari unquam poterit. Quare Deus non poteſt animam rationalem educere ex corpore, & cauſa ſecunda poteſt ex materia? Certè æquè parùm materia de ſuo tribuit formæ ignis, quàm parum animæ corpus, cum illud nominare non poſſis. Sed inquis, anima eſt ſpiritus: Verùm quare non etiam forma abſoluta eſt ſpiritus, cum nihil ab materia recipiat; præſertim cum aliunde oſtenderimus eſſe ſpiritum? Præterea conſervatio & prima productio eſt eadem actio in ſpecie; cum ergo ignis ignem primò producat, quæ eum cauſa conſervat, remoto igne, qui accenderat? An ignis conſervat ſe ipſum? an cauſa prima? Quomodo quoad formam modalem ignis ſemel accenſus conſervet ſe, ſive producat ſe longiùs vel augmentet, ut ad cauſam primam non fiat recurſus, facilè patet, non item ſi forma ſit abſoluta ſubſtantia.

DIES

DIES XXVII.

Etenim productio sui ipsius etiam quoad *esse secundum*, si absolutum sit, naturaliter est impossibilis, ut communiter docent : & quia de omnibus formis est eadem ratio, nullum ens naturale naturaliter conservaretur ; quia in omnibus ad causam primam necessarius esset recursus: quod esset confiteri, naturam ipsam non esse naturam; sed omnia fieri solùm à causa prima: quia si omnia conservantur tantùm à causa prima, cur non pariter à causa prima omnia *primò* fiunt, sicut creatio & conservatio animæ est à sola causa prima ; præsertim cum explicari æquè parum possit prima productio atque secunda, si fiat à causa secunda. Dices, deficiente causâ secundâ naturaliter succedere causam primam, sic exigente naturâ; sicut lapis violentè sursum promotus, à causa prima propellitur aliquo usque. Verùm hoc ipsum quæritur, an debeat deficere omnis causa secunda ad conservandum. Deinde etiam ad primò producendam formam absolutam deficere causam secundam jam est ostensum. Denique negatur suppositum de lapide. Nam motio sursum fit librativè, uti in bilance, donec libramentum paulatim ad æqualitatem perveniat, sicut habes 4. *febr.* quod clarissimè & mechanicè ostendit Sturmius & alij.

DIES

DIES XXVIII.

Separetur forma ab omni materia, quia hujus ſubſtantiales proprietates ſunt *quantitas & penetrabilitas*, nulli alteri enti communicabiles, forma tunc exiſtet inextenſa & penetrabilis; imò etiam unita materiæ jam erat talis, quia etiam tunc tantundem ſubſtantiæ, nec plus neç minus habebat: ergo eſt & erat ſpiritus: quia ſicut ſubſtantia naturaliter impenetrabilis & quanta eſt corpus, ita ſubſtantia naturaliter penetrabilis & inextenſa eſt ſpiritus, ut linea prædicamentalis demonſtrat: ergo eſt quoque intellectiva & volitiva, quæ potentiæ ſpiritui debentur. Videſne viam ad *Manichæiſmum*? Item quia nulla ſubſtantia inextenſa eſt locabilis, & nulla ſuperficie corporea comprehenſibilis, ideò etiam in materia exiſtit eo modo, quo anima rationalis in corpore, ſcilicet modo inextenſo, & ſpirituali.

DIES XXIX.

Item *forma* ignis *ſeparata* adhuc habebit ſuas proprietates ſpecificas & ſubſtantiales, aliàs non eſſet eadem: ergo adhuc erit *ſummè calida* & calefactiva, ſed & lucens atque illuminans: ergo adhuc naturaliter emanat calorem & lucem; neque enim à materia habet illam virtutem, ſibi ſoli & ſubſtantialiter propriam: ergo *naturaliter* poteſt exiſtere extra materiam: quia quod poteſt in aliquo ſtatu naturaliter operari,

& exercere actiones sibi specificas, naturaliter in tali statu potest existere; sicut potest anima, cum possit intelligere extra corpus, non ergo erit miraculum, formam eam sic existere. Deinde erit adhuc elementum ignis; quia hoc aliud non est, quàm *substantia elementalis naturaliter calida & calefactiva in summo*: ergo ut sit corpus elementale & physicum, non opus habet materiâ, â qua nihil habet.

DIES XXX.

Si dicas, seorsim non esse emanativam caloris & lucis: ergo nullius omninò qualitatis erit emanativa, nec operationis ullius potens; quia si esset ullius, esset utique illarum, quæ sunt ei specificæ. ergo in isto statu non est, quod erat. Deinde non erit potiùs forma ignis, quàm forma aquæ, aut alia qualiscunque, quia nihil habet distinctivum à quavis alia: ergo cum subjecto novo poterit tam constituere aquam lapidem, lignum, &c. quàm ignem. Si dicas requirere materiam, ut sit calefactiva: quæritur quomodo? Nam si anima humana non requirat corpus, ut sit intellectiva, eò quod potentiam intelligendi non accipiat à corpore, sed habeat eam per se ipsam; etiam forma ignis, si vis calefactiva sit ei substantialis, debet eam habere per se ipsam, nec potest accipere à materia, cum ista *non possit dare, quod non habet.*

MA-

MAJUS.

DIES I.

EAdem forma ſeparata non eſt ullo *ſenſu perceptibilis*, non viſu, non auditu, non guſtu, non olfactu, non tactu: quia nec *illuminabilis*, nec luminis reflexiva, nec *criſpabilis* & elaſticè mobilis ad auditum, nec *motiva* ullius *organi ſenſitivi*, quia impenetrabilis. Igitur ulteriùs nec eſt intelligibilis: nec immediatè & intuitivè, quis enim vidit? Nec mediatè per modum ſenſibilis, ſive, ut loquuntur, per ſpecies alienas; quemadmodum intelligimus angelum per modum juvenis; Deum per modum regis humani; gratiam per modum lucis. Nam per cujus ſenſibilis ſimilitudinem intelligere poſſumus formam abſolutam ignis? Si dicas, per modum & operationes, qualitateſque ipſius ignis; contra eſt, quod hujusmodi operationes & qualitates non deducant nos ad formam abſolutam, ſed potiùs ad reſpectivam, ut oſtendimus à 17. *April. ad* 24. Non ergo habet forma ignis abſoluta *cognoſcibilitatem*, & veritatem *entis*: ergo nec ens eſt, cujus eſt illa eſſentialis proprietas. Præterea nec habet *unitatem* entis; quia per nihil aſſignabile ab alio ente differt. Nec *bonitatem*; quia nulli propter quidquam expetibilis eſt. Non ergo eſt ens.

DIES

DIES II.

Si dixeris, proprietates ignis adſcribi formæ. Sed dico eas non deducere ad formam abſolutam. Explica enim illa, quæ allata ſunt, à 17. *April. ad* 24. & oſtenſa, quomodo formam reſpectivam declarent, quomodo eadem inferant formam abſolutam. Quomodo eam demonſtrant, ſi ſeparatim exiſtat? Quomodo etiam, ſi in ſubjecto? Quare per formam ignis, & non per formam abſolutam aquæ ignis figuram conicam habet? aſcendit ſurſum? eget pabulo? incendit ſtramen, non lapidem? exilit è ſilice! ſuſcitatur flatu? extinguitur fumo? ſubſultat ad chelin? &c. potes enim propè infinitam argumentorum ſylvam hic adducere, ad quæ nemo vel ſyllabam, ſed merum ſilentium & ſtuporem reſpondeat? ut mirer viros doctos videri velle eos, qui ita ſuperficiales ſunt, ut ad nihil horum reſpiciant, & cum nullo prorſus argumento ſint nixi, formas tamen ſuas ſubſtantiales abſolutas non modò ſibi, ſed etiam aliis perſuaſas velint.

DIES III.

Certè veteribus aliam prorſus fuiſſe mentem, eiſque de forma abſoluta, nec ſuſpicionem hæſiſſe, ex modis eorum loquendi & phraſibus facilè colligo. Sic enim dicebant, formas materiales *educi de potentia materiæ*: quod de reſpe-

ſpectivè facilè, de abſoluta explicari non poſſe oſtendimus. Sic entia *individuari per materiam*. Sic quantitatem & *extenſionem eſſe à materia*. Sic materiam continere omnes formas *potentiâ, non actu*. Sic formam *non exiſtere, non ſubſiſtere, non operari*, ſed corpora exiſtere, ſubſiſtere, operari *per formam*: quemadmodum non rectè dicimus oculos videre, pedes ambulare, cum iſta non ſubſiſtant per ſe, ſed per totum, & in toto; unde animal videt per oculos, ambulat per pedes, denique *actiones ſunt ſuppoſitorum*. Quæ phraſes & axiomata profectò formam abſolutam non arguunt. Deflexum eſt autem ab illis, per non intellectam doctrinam diſtinctionum, & nominatim termini, *ratione*: hinc quæcunque per actum mentis non diſtinguuntur, ſupponebant eſſe realiter diſtincta; & conſequenter omnia diſtincta eſſe abſoluta; quia modalem & relativam *reali minorem* non aſſequebantur, majore caligine rebus omnibus inductâ, quàm plerique credant.

DIES IV.

Deinceps & reliqua *elementa vulgaria* ob oculos ponamus. *Terra* ex ea elementi primigenij tertij portione conſtat, quæ ſolidior fit quàm fluida & fugax, & ideo arctiùs complexa atque compoſita, ut ſit fulcrum mundi planetici, & viventium alma mater: quam proinde mirum non ſit eſſe gravem, juxta dicta. Utilitates ejus admirandæ ex phyſica particulari,

quam dabimus fortè, aptiùs quàm ex forma ſubſtantiali, quam ſolemus nunc perſequi, haberi poterunt. *Aquæ* proprietates ex ejus materia & eſſentia 7. *April.* deſcripta facilè explicantur. *Frigida* eſt, quia particulæ ejus intercipere materiam ſubtilem, & motum ſufflaminare natæ ſunt, & connaturaliter ad quietem coëunt. Quo purior, eo frigidior non eſt, nam quo plus terræ admixtum habet, eo minùs agitabilis eſt: planè pura verò nulla eſſe poteſt; quia materiam ſubtilem omnem excutere non poteſt, per quam & ſemper movetur, etſi per ſe non multum agitetur, quod & de aliis elementis vulgaribus, imò etiam de primigeniis intellige; cum ipſa quoque prima materia ſuo motu ſemper ſe alijs miſceat. Nullum ergo nunc corpus, niſi ſaltem imperfectè mixtum exiſtere poteſt.

DIES V.

Multum etiam de aëre & de reliqua ſubſtantia atmoſphærica ac filamentoſa admixtum habet: unde ſupra ſcyphum aſſurgit, quod labrorum poris per lanuginem ſe inſinuet & inhæreſcat; aſſurgit autem in medio, in partem ſphæræ, preſſurâ aëris incumbentis, uti diximus de flamma *die* 22. *April.* quæ ſphæra ſubſidit, ruptis tandem filamentis ad labra. Hinc guttæ pluviales in ſtagnum cadentes in *bullas* excitantur, eo quod aërem inter cadendum ſecum trahant, qui interceptus eam extendit in pelliculam

uligi-

uligine lanuginosâ cohærentem, & aëre supernè incumbente cogitur in rotundum. Plus potatores aquæ bibunt aquæ, quàm vini, qui vinum bibunt: quia vinum plus continet materiæ solidæ, & quæ assimilabilis ac nutritiva sit; aqua autem plus materiæ inutilis, quæ statim exspirat; ut à quantitate majore sufficientia petenda sit. Aqua *oleo non miscetur*, quia oleum filaminosâ substantiâ cohærens minutè non potest divellere.

DIES VI.

Aqua *servit ad lavandum*, non aër, quia ejus particulæ satis subtiles sunt, ut poros subintrent, & exinde sordes, tanquam cuneus cuneum, extrudant: aër verò subtilior est, quàm ut protrusionem suo transitu efficiat. In *lixivium* redacta, & *smigmate* imbuta mundiùs lavat; quia multo lentore & uligine, sive filamentis munita, sordes sibi obligat, & secum extrusa avehit. Pulveri *pyreo* adspergitur multum aquæ; quia per ejus partes tanquam clavulos cum igne disjectos pori occludi debent corporis, materiæ subtili obstantis, & laterum fistulæ explosoriæ; sine qua obstructione propulsio illa vehemens non eveniret. Similem ob causam requiritur nubes aquosa ad tonitru ac fulmen. Aqua fluit per declive gravitate suâ, & aëre premente. Generatur in aëre, dum vapor

ſuccedente frigore addenſatur in guttulas, quæ dum confluunt, faciunt pluviam.

DIES VII.

Aër maximè eſt *alterabilis*, quia plumuloſitate ſua corpuſcula quævis tum recipit tum retinet: quæ quia æſtate perpetuò ferè lumine & fluxu ætheris agitantur, hyeme autem per longas tenebras quieſcunt & confluentia ſtagnant, ideo hyeme quidem frigidus, æſtate fervidus aër eſt: interdum humectat, interdum ſiccat, aliàs lenis, aliàs aſper & pungens, prout diverſis particulis imprægnatur. Quibus rarior eſt texturâ fibrarum, iis ſalubrior eſt craſſior aër, quia ſubtilior, dum calore fervet, nimis altè introrſum penetrat, & nimium commovet vivaces nervillos; quos & nimis concutit aër, dum friget, corpuſculis magis compoſitis, ex nitro & aquâ concretis ac lacerativis. Gravitatem aëris accuratè ponderantes Abraham Joannes Kuffeler Londini Anno 1688. & Sturmius Germanus Anno 1676. deprehendunt eſſe gravitatem aëris ad gravitatem aquæ ut 1. ad 1300. Unde producitur altitudo aëris pedum 41600. quæ facerent milliaria germanica 2080.

DIES

DIES VIII.

Quia ergo gravia per aërem non aſcendunt, niſi ex preſſione aëris reflexa, ea ſurſum attollente, ut iidem mechanicè demonſtrant, & nos quoque oſtendimus 6. *Febr.* conſequens eſt, nihil corpuſculorum terreſtrium aſcendere poſſe ſupra ſuperficiem convexam aëris, & ideo atmoſphæram terræ eſſe milliarium 2080. Quamvis enim etiam ſubtilis materia premat gravia deorſum; hæc tamen cenſenda eſt vim ſuam ſenſibiliter tantùm exercere per corpus totale aëris, quod filamentoſum eſt, & partes intra ſe ſe innumeras continens incraſſeſcit, ut preſſionem excipere à materia ſubtili poſſit, quam excipere non poſſunt particulæ ſolitariæ & aëre liberæ; cum ſtatim diffugiant, & ſubtilis materia ea pertranſeat, ſicut aqua per fulcra pontium. Nubes tamen non ſemper aſcendunt ad ſummam aëris, neque eâdem ſemper diſtantiâ elevantur. Nam juxta leges ſtaticæ tam diu aſcendunt, quàm diu ſunt aëre leviores; deſcendunt dum fiunt aëre graviores; hærent immotæ, dum æquiponderant. Unde per æſtatem altiſſimè aſcendunt, quia magis tunc excoctæ & rariores: hyeme verò vix â terra diſcedunt, gravitate ſuâ. ſecunda ergo regio aëris, quæ nubibus plurimùm oppletur, neque eandem ſemper diſtantiam à terra, neque eandem profunditatem & craſſitiem habet.

DIES IX.

Aër est *aptus ad respirandum*, quia filamentositate suâ excipit & implicat sibi fuliginem sanguinis, & puriorem sic eum raddit, fumo exspirato, & puriore aëre inspirato, cum grata sensatione. Unde fœtidus & valde calidus aër, sicut & nimis incrassatus à vapore ferventis musti, in cella, cum difficultate inspiratur, quia fibrillos malè afficit. Febricantes expirant contentiosiùs & festinanter; quia natura cupiens liberari à nimis copiosa fuligine, diaphragma ad citatiorem motum determinat. Porrò inspiratio novi aëris necessaria quoque est propter ejus vim elasticam, quæ vis elastica servit ad continuandum motum fermentitium sanguinis, sine quo vita non durat. Unde si musculum includas vasi vitreo capaci, licet ei sat alimenti apposueris, concluso vase, ut communis aër intrare non possit, morietur tamen post alterum aut tertium diem; non ex inedia aut siti, sed quia absumitur paulatim idoneus aër.

DIES X.

Nunc si forma horum elementorum est absoluta; quia seorsim existens, imò & materiæ inexistens, est penetrabilis & inextensa, quid conferre posset ad hujusmodi experimenta? Quare forma aquæ servit ad lavandum, non ad respirandum, & forma aeris è contrario?

quid

quid confert ad fulmen ? quomodo concurrit ad bullulas in ſtagno reſultantes ? cur eæ bullulæ tornantur in ſphæram, cum forma aquæ non ſit figurata & extenſa ? in quo genere cauſæ hæc & alia præſtat forma ? Applica hîc omnia argumenta à *die* 24. *Aprilis poſita uſque ad* 4. *Maij*. Nam contra quamcumque formam ſubſtantialem materialem æquè pugnant.

DIES XI.

Adducamus aliqua corpora ex elementis vulgaribus mixta. Qualiter & quàm variis actionibus miſceantur corpora, diximus obiter, & tamen ſufficienter, *die* 12. *Januar.* Licet verò nullum mixtum fiat ex uno ſolo elemento; tamen quodlibet denominatur ab illo, cujus potiſſimam partem habet: illud enim quidpiam eſt, quod eſt potiſſimum in illo. Terrea ergo mixta ſunt *halitus*, *cinis*, *arena*, *fuligo*, *carbo*, *calx*, *capillitium veneris*, *&c.* Quod eſt vapor ex aqua, id halitus ex ſubſtantia terrea. *Vapor* ergo ſunt particulæ aquæ, plurimis particulis aëris & nitroſis, atmoſphæricisque mixtæ, caloreque & motu materiæ ſubtilis agitatæ, diſſipatæ, & per filamenta hærentes levioresque factæ ſurſum per aërem ſublatæ : *halitus* autem ſunt terreæ partes ſimili materiæ mixtæ & ſimiliter ſublatæ. Citiùs vapor concreſcit, quàm halitus; quia hujus particulæ terreæ minores ſunt, quàm illius aqueæ, quæ oblongæ cũ ſint, agitatione ipsâ filamenta, quibus hærent, facilius rumpunt, &

confluunt, quàm terreæ minùs caudatæ. Aqueæ autem concreſcunt in aquam, pluviam, rorem; terreæ verò & halituoſæ in oleum quoddam: quorum ratio patet ex materia.

DIES XII.

Cinis exſiccat, quia humorem per aërem deciduum facilè intra ſuos poros, & cavitates excipit & abſumit. Unde & fovet ignem, quia ſic excipienda guttulas deciduas, impedit, ne ad ignem pertingant, cujus motum impediunt. Ad abſtergenda corpora adhibetur, quia intra intimos receſſus exilitate ſuâ ſe inſinuans, ſordes implicat, ſecumque aufert. *Arena* eſt parvus lapillus ex pulviſculis ſucco lapidifico, tanquam glutine, arctè copulatis reſultans. Arenæ cumulus affusâ aquâ fit durior; quia aëris particulæ, priùs ibi repertæ, ſunt minores & ſubtiliores, quàm ut grana ſatis magnâ circumdare, ſibique invicem, impletis vacuitatibus, conſtringere & quaſi colligare poſſint; quod præſtat aquâ ſurſum expulſo aëre, cum filamentoſâ uligine ſibi ſociata. Miſta calci componit cæmentum, eo quod arena ſoliditatem adferat, calx filamenta ſuppeditet, quæ ſibi exigne plurima adjunxit: quæ creſcunt etiam, ſi calx lacte aut vino ſubigatur.

DIES

DIES XIII.

Calx aquâ affusâ ſolvitur, cum multo fumo: quia materia inflammabili calx quidem abundat, ſed adhuc arctiùs cohærente, quàm ut à ſubtili materia rotari poſſit, quam nec aër ſuâ ſubtilitate divellere poteſt: Aqua verò per ſuas particulas oblongas, veluti cuneolos ſe inſinuans disrumpit plexum, laxat viam ſubtili materiæ; cujus mox dominantis ipſa quoque fit præda, dum per filamentoſam ſubſtantiam diſtracta atque diſſipata fit fumus, per aërem ſurſum actus. *Fuligo* quia copioſâ terrâ, ſale, & materiâ igneâ conſtat, urit oculos, amarum ſapit, reſoluta multos in cineres abit. *Carbo* levis & friabilis eſt, quia humore per ignem excuſſo remanet portio poroſa, & laxiùs plexa. *Capillitium veneris* appellatur filamentoſa ſubſtantia candicans, telis aranearum ſimilis, quæ generatur ex nebula, humore avolante, & materiâ cinereâ ſive terreâ ac villoſâ remanente, in filamenta ducta. Cujus etiam geneſeos ſunt flocci illi, infra lectos ſiti, qui fiunt ex halitu partim lucernarum, partim corporum noſtrorum, humore ſimiliter avolante.

DIES XIV.

Mixta aquea dici poſſunt *fontes, pluvia, ros, glacies, nix, grando, pruina, fumus, nubes, nebulæ.* Fontes majores manant ex mari per aërem intra cavernas ſubterraneas, venarum in

modum, apertas depresso, & alibi regurgitante: minores per aërem intra concavitates montium jugiter impressum, ibique frigore condensatum in guttulas. Nonnulli non perpetuò manantes, ex nivibus hybernis colliguntur. Quidam sunt calidi, quod fluant ex lebetibus infra terram, juxta pyrophylacia sulphurea, stagnantibus; unde bituminosum quid sapiunt, sicut & reliqui medicati: quorum aliqui sunt acidi à vitriolo, aliqui acerbi ab alumine, aliqui amari à nitro, alij salsi à sale, aliqui acres à calcitide, aliqui pingues à sulphure, aliqui ferrati à ferro, &c. Unde viribus ad medendum diversis instructi sunt.

DIES XV.

Unus in Epiro faces extinctas reaccendere dicitur, quod ardeat igne non lucente, ex bitumine & sulphure, cum aquis copiosè mixto. Alius in Paphlagonia vini instar inebriare fertur; quod vehat corpuscula, cerebrum obstruere nata. Similem ob causam Lethe oblivionem, styx insaniam adducit. Nimirum ignes subterranei in locis vicinis, bituminosis, sulphureis, mineralibus, vapores excitant, qui resoluti in aquas & fontes, hujusmodi effectus præstant. Apud Garamantas aliquis nocte calidissimis, die frigidissimis aquis manat; quod duplici sipho-ne instructus sit, quorum alter frigidam, alter calidam vehat, ita ut per æstum marinum

rinum alternatim jam unus, jam alter fluat.

DIES XVI.

Pluvia est aqua ex vapore in aëre condensato in guttulas liquescente, suâ gravitate decidens. Dum enim vapor agitari desinit, & in quietem consistit, guttula guttulæ jungitur, vel aëris pressione, vel vento, vel ipso singularum lapsu, ut fiant majores, ruptisque filamentis terram petant. Hinc æstate pluit guttis grandioribus, quod longiore via & altius decidentes pluribus socientur, cum tunc nubes altiore loco sint sitæ, *juxta dicta 8. hujus.* Sæpe prægrandes nubes non reddunt pluviam; quia tunc aër particulis nitrosis, calidis, & siccis abundat, conjunctionem guttarum prohibentibus; qualibus quia aër Ægyptius semper imprægnatus est, ideo in Ægypto nunquam pluit. In Germania pluvius est ventus meridianus & occidentalis, non orientalis; quia à mari Mediterraneo & Oceano plurimum vaporis adspiratur, non item ab ortu, quod ibi per longissimos tractus nullum sit mare. Vere & autumno plurimum pluit, quod æstate vapor non condensetur perpetuo calore sive motu, & hyeme concrescat in nives.

DIES XVII.

Notatæ sunt *pluviæ sanguineæ* vel rubræ, quia natæ ex vaporibus ex rubra terra eductis. Pluvia

via ſplendente ſole frugibus nocet ; quia guttulæ minores ſole deſiccatæ relinquunt materiam terream, igneam, & nitroſam, ſeminales fibras mordentem : quin & interdum erucarum ſemina continentem, quæ calore ſolis maturantur ad vitam. Similiter accidit, ſi ranis aliquando pluiſſe legeris ; quia ſemina tantùm deciderunt, ſole deinde animata. Sol in ſuo ortu aut occaſu ſubcæruleus, luna pallida, ſtellæ ſcintillantes, nubes montibus incidentes, fungi in lucernis orti, ranæ coaxantes, cum aërem vaporoſum ſignificent, pluviæ ſunt prognoſtica.

DIES XVIII.

Ros eſt pluvia tenuis, ad montium apices non pertingens, quod generetur ex vapore tantùm in vallibus hærente, & ideo guttæ majores non fiant. Non cadit cœlo nubilo & ventoſo ; quia ventus diſpergit guttulas, & ventoſæ materiæ adjungit : Nubes verò ſuis filamentis easdem guttulas excipiunt ; unde fiunt nubes majores. Ros æſtivus interdum frugibus nocet ; quia materiam terream & mordacem aliquando ſecum defert. In plenilunio uberior cadit ros ; quia etiam effluvia lunaria vaporem augent. Cadit quidem ros totâ nocte ; ſed quia inſenſibiliter, non ſentitur niſi manè.

DIES

DIES XIX.

Glacies est aqua, suis particulis, per filamenta atmosphærica in sphærulas contortis & cohærentibus, quieta consistens. Particulæ autem rediguntur in sphærulas, simul atque per interpositionem heterogenearum partium dissociantur, tum motu materiæ subtilis, omnia circulantis, tum nisu aëris omni ex parte prementis, ut patet in guttis pluvialibus. Fit concretio hyeme, quia partes tunc minùs agitatæ quietiùs se insinuant: quæ insinuatio fit priùs in extima superficie, & sensim altiùs penetrat. Aqua fluens non concrescit, quia quies identidem turbatur. Nec aqua marina; quia multa uligine & igne occulto est mista; sicut & oleum, similesque pinguedines, quarum particulæ perpetuò agitantur. Major est aqua concreta, quàm soluta, quia plus alienæ materiæ in se quiescentis continet: levior tamen; quia propter hoc ipsum porosior.

DIES XX.

Nix est in substantia aquea, quod capillitium veneris in terrea. Scilicet est spuma vaporis congelata; vel pluvia, sive nubes rorans congelata. Differt à glacie, quod hujus guttulæ sint arctiùs, nivis autem solutiùs plexæ. Hinc nix est leviſſima, quia porosiſſima. Nebulæ hyemales non generant nivem: quia guttulæ nebulæ non cadunt ex alto, ut sibi filamenta colli-

colligant, & per floccos concreſcant: Sed ſingulatim decidunt. Quamvis nivem exhibeant, ubi copioſiùs colliguntur & retinentur, ut in barbis & capillis, frondibusque. Diſſolvitur aquis etiam frigidis; quia hæ plexum floccoſum rumpunt. Fœcundat agros, tum quia intra terram continet halitum plantis amicum, tum quia totam nubis ſubſtantiam ſecum adfert, cum pluvia ferè aquam ſolam aſpergat, plurima terrea igneâque portione in aëre manente.

DIES XXI.

Grando eſt nimbus in grandiores guttas conglaciatus. Gignitur, quando nubes calore ſubito, partibus inflammabilibus diſſipatis, coit in guttas, quæ inter cadendum implicantur partibus frigidis, filamentoſis, & conſtrictivis, quas in via incurrunt, & quibus ad quietem coarctantur. Grandes ſunt guttæ, quia ex alto decidunt, juxta *dicta die* 7. *&* 8. *hujus*. Unde non grandinat niſi ferè in æſtate, dum nubes remotiſſimè diſtant: è propinquo verò inſenſibiliter inſtar pruinæ deſcenſio fit. Nocte rarò grandinat; quia deeſt calor, quo partes agitabiles ab humidis ſeparentur. Nimius tamen calor ſimiliter grandinem impedit, quia partes humidas minùs collectas abripit cum ſubtilibus. Ante grandinem præcedit ſonitus & fragor, ſphærulas in ſe invicem lapſu & vento impingentibus.

DIES

DIES XXII.

Pruina est grando minuta, vel ros frigore congelatus: quia generatur in nube propinqua, ideo insensibiles sunt ejus guttulæ. Formatur in spicula pressurâ aëris, qua inter cadendum in stiriam figuratur. Cujusmodi stiriis licet etiam grando constet; hæc tamen per longam viam, dum volvitur circa centrum, & ex omnibus lateribus, easdem stirias nondum firmiter concretas excipit, sphæram stiriatam exhibet. Lædit pruina gemmas vitium, pomorum, &c. quia inter poros penetrans, dum succedente calore solvitur, incalescit, & secundùm minimas sui partes agitatur & rotatur, impingensque in nervillos, eos rumpit, & plexum dissipat.

DIES XXIII.

Fumus est mixtum copiosiore halitu quàm vapore constans. Movet lacrimas, quia partibus acutis pupillam pungit, quæ ideo contrahitur, & premit glandulas lacrimarum receptivas: quod facit & halitus cæparum in oculos ascendens. Fumus tabaci ore receptus salivam & sputum movet, quia ejus mordacitas meatus salivæ aperit, præsertim si in spongiosa gingivarum substantia noxius humor stagnat, & tunc dentibus medetur. Idem cerebrum purgat, dum meatus pituitæ obstructos pungendo aperit. Cujus eadem corpuscula sternutationem pro-

procurant, dum interiores narium meatus subintrant. Quando aër per caminum non descendit, sive quod aër supra nimis sit rarus, sive dum ventus infernè appulsûs eum sursum trudit, fumus non ascendit; quod aër descendens eum sursum pellere debeat: egressus autem camino in principio celeriùs, postea tardiùs movetur; quia paulatim dissipatus aërea plumositate tenetur. *Vide* 4. *Aprilis.*

DIES XXIV.

Nubes est halituum vaporumque paulò densiùs copulatorum congeries, de qua habes 8. *hujus.* Nubes crassior, & ideo gravior, ut minùs ascendat, *nebula* dicitur. Sol dicitur deprimere nebulam, cum potiùs elevet. Nam superiores partes identidem calefacit, hæ agitatæ & rarefactæ utique ascendunt, rumpunt autem ipso motu filamenta, quibus guttulæ adhuc graves hærent, quæ proinde cadentes, & in se se invicem impingentes, pluviam modicam, ac ferè insensibilem faciunt. Ad auroram generatur, non nocte frigidâ, quia tepor requiritur ad halitum educendum. Cœlo ventoso, nubilo, aut pluvio nebula non apparet: quia ventoso dissipatur, pluvio opprimitur, nubilo nubibus jungitur. Dissipatâ nebulâ major fit æstus; quia aëre mundato, liberius dominatur subtilis materia: & tunc uvæ maturantur, quia guttulæ acimorum poris illapsæ, dum postea calore rarescunt, agitatæque

&

& egreſſæ per modum lixivij tenaciores partes educunt.

DIES XXV.

Aggredimur *meteora aërea*: & licet aër quædam etiam prædicta ſibi vendicare videatur; attamen id parùm refert. Ad eum ſaltem propius ſpectant *ventus*, *aura ſerotina*, *iris*, *parelium*, & ſimilia. Ventus quidem videtur quibusdam aliud non eſſe, quàm fluctus aëreus, ita, ut quod eſt procella & fluctus maris, quæ reſultant ab inquietudine aquæ, idem ſit ventus in aëre, ſcilicet ipſa aëris inquietudo & turbatio. Sed profectò ampliorem indaginem requirit ventus, cum eos *de theſauris ſuis* dicatur *produxiſſe* omnipotens; cum varia valdè de vento ſint experimenta, & hoc ipſum vel maximè inquirendum ſit, unde aëris tanta turbatio ortum habeat.

DIES XXVI.

Ventus quid ſit, & quomodo generetur, nos pueri docent, qui ex humore ſmigmatico & tenace, cui aërem inflant, bullas producunt. Simili modo, dicunt medici, generantur venti in corporibus humanis: in quibus humores tenaces viſcidosque ſtagnare frequenter per inteſtina, vaſa, glandulas, & viſcera nimis manifeſtum eſt. Quomodo verò aër ſubintret, non eſt, quod quisquam interroget; cum multâ parte veſcamur & vivamus aëre; quem non

tantùm reſpirando inculcamus identidem, & cum alimentis intrò ſumimus; ſed etiam per poros cutaneos toto corpore excipimus. Hic ergo ſic intruſus, dum circumdatur humore ſpiſſo & viſcido, eum inflat & extendit in pelliculam ſphæricam, cujusmodi grandes bullas in inteſtinis ſe deprehendere medici teſtantur. Et quidem grandes iſtæ bullæ fieri ſolent ex parvis coëuntibus, quando premuntur. Tametſi in anguſtioribus ſpaciis maneant minimæ & ferè inſenſibiles, inter ſe in unam maſſam cohærentes, quibus totus tandem ſanguis inficitur, & omnes anguſti meatus obſtruuntur, quibus ſic ut iis pellendis vix ulla medicina ſufficiat, grandiusculæ verò dum per alvum exeunt, ibi anguſtæ & ruptæ ſonum reddere ſolent.

DIES XXVII.

A micro-ad megacoſmum licebit mentem transferre. Infra tellurem eſſe innumeras cavernas longè latéque patentes, in quibus tum ignes accenſi, tum aër intruſus, tum aquæ ab oceano ſubmiſſæ inter ſe ſe agant & reagant in comperto eſt. Quidni ergo ſimilibus actionibus materia ibi ſtagnans ſimiliter tenax, viſcida, ſulphurea, picea, bituminoſa, ſimiliter infletur in bullas, quæ inter ſe materiâ filamentosâ nexæ faciunt grandes nubes ſubterraneas; in quibus, concepto igne, æquè ac in noſtro patente aëre naſcuntur fulgura, tonitrua, fulmina, ſic ut magno impetu primum ad latera caverna-

vernarum fit alliſio, qui motum terræ efficiunt, deinde factâ portâ erumpant cum fragore, mugitu & boatu, quos ventorum præcurſores ſæpe exaudiunt accolæ montium ignivomorum, & ſimul terræ motuum, tempeſtatumque aſſeclas.

DIES XXVIII.

Atque hæ *nubes bulloſæ* ſic vehemente impetu exturbatæ, per noſtrum aërem ſurſum ad magnam altitudinem extolluntur, & ante ſe aërem propellunt, poſt ſe autem alium conſequenter aëris tractum ſequacem habent. Aër autem præcedens ſic impulſus naturali elaſmo relapſus nubem repellit ad latera quoquo verſum, ubi minor reſiſtentia eſt. Hinc ſequitur fluxus aëris atque refluxus, procellæ, turbidi & incerti motus, concuſſio, repercuſſio, fluctuatio: ecce ventus. Eructationes porrò non fiunt ſimul, ſed ſucceſſivè; partim quia nubes non una eſt ſubterranea, ſed multiplex & diſtracta; partim quia aër ſimul ingurgitatus eruptiones interrumpit, ſicut videmus in vaſe anguſti colli everſo, dum aquam effundit. Unde alius ventus ſuccedit: præſertim ſi nubes ſubterraneæ etiam ſucceſſivè aliæ atque aliæ generentur.

DIES XXIX.

Non poſſunt non *nubes flatulentæ* miſceri nubibus atmoſphæricis aquoſis, ſi tales fue-

rint. Unde tunc videtur nubes nigricans & craſſa, licet ubi aër fuerit nubibus liber, ventus non videatur, quod nubis flatuoſæ bullulæ valde extenſæ diaphanæ ſint. Dum autem ex nubibus aquoſis & ventoſis inter ſe mixtis reſultat una nubium congeries, ſuperiores partes in inferiores, & omnes ſimul in ſubjectum aërem gravitantes excitant vehementiorem procellam & ventum. Hinc quia frequenti preſſione coëunt guttulæ, ſequitur pluvia alternans; quia aër elaſticè reſiliens nubem alternatim repellit. Si pluvia fuerit continua ceſſat ventus, quia nubes magnitudine ſuperans fluctibus agitari per reſiſtentiam nequit. Poſt largam pluviam ventus ceſſat & ſerenitas ſequitur, quia guttis delabentibus non ſolùm evacuatur aër, ſed etiam bullæ vel rapiuntur ſimul ad terram, vel colliſionibus ruptæ in aërem deſinunt: & niſi fallor ruptarum bullarum ſonus quidam obtuſus ad angulos domorum, quibus alliduntur & atteruntur, percipitur.

DIES XXX.

Verum eſt, ventum non tam in ipſa nube ſubterranea conſiſtere, quàm in ejus effectu, qui eſt *fluctuatio aëris*. Unde ventus oriri poteſt etiam à certo ſitu planetarum ætherem & aërem aliter & aliorſum prementium. Sic in noviluniis & pleniluniis, dum ſol, luna, & tellus in eâdem

eâdem linea recta ſubſiſtunt, anguſtioribus alveis inter illa perfluit æther ; unde tunc luna perigæa eſt , apogæa verò in quadraturis , quando laxioribus viis & campis æther expanditur. Quidni ergo tunc reſultet alius fluxus ætheris & aëris preſſi ? Similiter effici poteſt alius aëris fluxus per angulos.

DIES XXXI.

Etſi inde adſpirare incipiat ventus , ubi primùm ventoſa nubes erupit: facilè tamen mutat verſus eas partes , verſus quas aër eſt levior , rarior & minùs reſiſtens , quo illabitur tractus aëris craſſior & gravior. Unde *ab occidente* procelloſior & diuturnior eſt , propter copiam vaporum ab oceano ; quam ob cauſam & nimbos adfert. Calidus eſt *auſtralis* & humidus ; propter zonam torridam & mare mediterraneum. Gelidus & frequens *borealis* , quia ibi eſt aër gravior & plenior corpuſculis nitroſis & glaciatis , quæ ſagittularum inſtar intra poros impulſa corpora lancinant. *Orientalis* gratus & ſalutaris eſt , quia advehit particulas ſiccas , dulces , aromaticas. Ex quibus cauſa patet , cur ventis mutatis , aura mutetur.

JUNIUS.

DIES I.

VEntus cum novilunio cœptus, si lunæ situs ejus causa fuerit, diu durat; quia superior fluctus vehementior est, cui difficiliùs resistitur. Idem existima, si à superioribus planetis mutetur ætheris fluxus, quam mutationem propter diuturnitatem astrologi *apertionem portæ* appellant. Hujusmodi mutatio etiam in æquinoctiis & solstitiis notatur: & sicut verno tempore adfluunt tempestates & tonitrua, ita eâ totâ æstate viam eandem tenere solent. Quomodo sanitatem & morbos causent venti, facilè est ex dictis æstimare. Pestilentiores sunt, qui postquam eruperunt è terris, paucioribus nubibus miscentur, quia materiam subterraneam fœtidam, piceam, venenatam, minùs refractam & alteratam vehunt.

DIES II.

Aura serotina est vapor, sole occumbente, in minutissimas guttulas concrescens; quibus tanquam spiculis, per poros, præsertim laxos, immissis, premitur cerebrum, nervi læduntur, fiunt catarrhi &c. Non cadit nubilo cœlo, quia nubibus excipitur. *Iris* est radiorum solarium, in singulis guttis nubis roridæ, post binam refractionem reflexio in oculum: de qua optici. *Parelium* est replicata visio solis, quod fit, quando

quando radij ſolis in nube imperturbata ſic refringuntur, ut obliquè in oculum veniant. Poſſunt eſſe plura, ſi plures ſint nubium tractus aptè diſpoſiti: exemplum eſt in vitro polyedro. *Vorago* apparet, dum nobis margo illuſtrior interiorem partem obſcuriorem & quaſi profundiorem exhibet. *Virgæ* ſunt ſolis radij, qui per nubem ſecundùm partes rariorem virgatim tranſeunt. Sed talia ſunt facilia.

DIES III.

Ignis meteora ſunt fulgur, fulmen, ignes fatui &c. *Fulgur* eſt ignis ſubitò accenſus intra nubem materiâ inflammabili conſtantem: qui quomodo accendatur, dictum eſt 17. *April & ſeqq.* Statim rurſum extinguitur, quia nubes aquoſa & craſſa agitationem particularum ſiſtit, præſertim ventis impulſa. Hyeme rarò fulgurat, quia tunc aër particulis aquoſis frigore concretis & craſſis plenior eſt, quàm agitabilibus. Vulgaris error eſt arbitrantium non fulgurare ſæpe per diem: fulgurat enim ſæpiùs, quàm nocte, ſed non videtur ignis; nam per diem magis diſpoſitæ ſunt nubes. Unde incendia ſæpe oriuntur per diem, nemine incendente, in ſylvis & oppidis. *Fulmen* vel tonitru eſt fragor, quem è nubibus audimus: quem malè quidam putant reſultare ex ſciſſione, vel colliſione nubium: neque enim nubes competentem ſpiſſitudinem & craſſitiem, vel tam arctam plexuram habet. Sed oritur ex ſuccuſſione aë-

ris per nubem ruptam ſubitò propulſati à ſubtili materia. Quod ut intelligas, audi ſequentia.

DIES IV.

Verum eſt, materiam ſubtilem facilè poſſe penetrare nubem, ſecundùm partes inſtar rivulorum diſtractas, ſed non ſecundùm totum flumen. Analogiam habes in aqua per pontium fulcra fluente, quæ dum ſecum rapit ligna, trabes, virgulta, ſtramina, quæ conſiſtant ad pontem, per partes quidem adhuc tranſitum invenit; integrum tamen flumen transcurrere cum nequeat, attollitur in ſtagnum, & ſi propter altitudinem riparum non poſſit ad latera defluere, tandem impetuosè rumpit pontem, & omnibus obſtaculis amotis, priorem ſibi alveum pandit. Sic materia ſubtilis ut non tranſeat ſecundum particulas, ubicunque poros invenit, fieri non poteſt; nubem verò poroſiſſimum eſſe corpus & laxiſſimè plexum quis non videat? Attamen fieri poteſt, ut totum ejus flumen non reperiat tranſitum.

DIES V.

Absque dubio ergo ſubtilis materia ſicut principium eſt omnis extenſionis & loci, ita ut merum vacuum nullibi eſſe poſſit, ita pariter principium eſt omnis motûs quorumvis corporum, maximè motuum globorum totalium. Ipſa proinde ceu oceanus quidam univerſalis, cui totus

totus mundus innatat, à creatore determinata fuit ad certos fluxus, per certas vias cœleſtes, à quibus neque ceſſare unquam, neque deflecti per ullum obſtaculum poteſt. Non enim poteſt retrorſum ire, cum à tergo ſemper aliud ſui flumen obſtet, quo vehementiſſimè urgetur & pellitur. Neque poteſt ſurſum attolli velut in montem, ſicut poteſt aqua: quia aqua ſupra ſe habet aerem ſe leviorem, qui aquæ cedit, in altum ſe comprimi patiens; ſubtilis autem materia vel ejus portio fluminalis non habet ſupra ſe corpus ſe levius, quod poſſit attollere, & ſic viam ſibi parare ad ſtagnum; cum portio ei incumbens æquè ſit tenax ſuæ viæ, & pariter reſiſtat. Similiter ad latera non poteſt defluere, propter eandem cauſam, quia & ibi æquè reſiſtentes ſibi partes invenit, maximè ſi etiam diſpoſitio nubis lateralem defluxum impediat.

DIES VI.

Quando igitur ingens nubes colligitur per hujusmodi cœleſtem alveum, & aer eſt gravatus partibus terreis, ſulphureis, nitroſis, piceis, bituminoſis, aqueis, & aliis filamentoſis, materia ſubtilis juxta curſum & fluxum ſuum, accenſis præſertim ignibus, projicit verſus nubis ſuperficiem ingentem hujusmodi materiæ cumulum, quo nubes filamentis cohærens, quodammodo incruſtatur; ſicut aſpectui etiam noſtro apparet nigra, opaca, & lumini impervia. Quare flumen cœleſte impediretur, etſi per par-

tes adhuc possit transire, nisi viam sibi aperiret. Cum igitur flumen illud stagnare non possit, neque aliorsum deflecti, necesse est, ut rupta per impetum nube, sibi exitum pandat, vel deorsum versus terram, vel versus latera, ubi ubi minorem resistentiam nubes habet.

DIES VII.

Antequam verò nubes frangatur, priùs ipso flumine urgente fuerat extensa & excavata quasi in ollam, intra quam cum igne & inflammabili materia plurimum aëris compressi stabulabatur. Effractâ igitur nube non solùm materia inflammata, sed etiam compressus aër erumpit: quo similiter premitur occurrens aër versus terram, & alius assurgit prioris locum occupans: unde per naturalem elasmum aëris, fit ingens concussio aëris, & ejus sæpe sæpius reciproçata turbatio, quaqua versum, sursum deorsum, & ad latera ruptarum nubium: quæ tremula agitatio atque crispatio aëris prout organo auditus allabitur, est ille ingens fragor, tremulus, iteratus, discurrens, quem auditu percipimus. Simile est in tormento bellico explosо.

DIES VIII.

Eadem nubes, cum partibus heterogeneis constet, non tota est inflammabilis; nam ex quibus crusta interior est congesta, sunt multæ crassæ, tenaces, viscosæ, & quasi lapidescentes:

hæ

hæ ſeparantur ab aliis hoc ipſo, quod agitabiles reliquæ abripiantur; agitatione verò ignis & concuſſionibus cum nubis tum aëris, ad ſe ſe invicem compulſæ uniuntur, & vi ignis liqueſcunt in fluorem ſimilem illi maſſæ, ex qua vitra coquuntur: qui fluor ruptâ nube cum intenſiſſimo igne evibratus, arctiſſimè compactus atque conſtrictus in via addenſatur in lapidem, quem cuneum fulminalem appellant, ſimili actione, quali vitrum indureſcit ex liquida maſſa. Fertur fulmen obliquè: partim ex determinatione concuſſi aëris, partim quia ignis inferiora petens ab obvio aëre impeditur à recta linea, ac deflectitur hac illacque. Decumano flumine facto miteſcit tempeſtas, quia minus materiæ tonitruoſæ, ſaltem in eadem nube, reſtat.

DIES IX.

Sequitur poſt fulmen nimbus, quia concuſſionibus vehementibus nubium coëunt guttæ. Si nimbus præcedat ictum graviorem, non metuendum eſt fulmen incendens, quia copia aquæ accenſionem nubis vehementem impedit. Fœcundant tonitrua, quia materiam pinguem advehunt. Coruſcatio & fulminatio fiunt ſimul, videtur tamen prius ignis, quàm ſonus audiatur, quia hic moram requirit ad propagationem, lumen inſtantaneè agit. Dum fulminat vel intonat fulgure non notato, accenſio facta fuit ſupra nubem opacam & craſſam. Quando nubes tonitruo-

nitruosæ plures sunt, plura etiam successivè vel simul tonitrua fiunt. Cuneus tamen non semper conficitur, defectu aptæ materiæ.

DIES X.

Effectus fulmen & proprietates mirabiles habet. Nam aliquando vaginam relinquit intactam, gladium tamen intus absumit: quando scilicet partes ignis sunt valdè subtiles, ut per poros grandes corij sine impedimento transire potest, ejus plexum non solvit; ferri auten poros intrare quidem potest, sed quia sunt in directum, & ampla intus spatia non reperiunt, ut circuitionem suam peragere non possint, impetuosè plexum & unionem continuativam partium ferri rumpunt & solvunt, eisdem secum abreptis, quod est comburere. Contra verò si partes ignis fulminei sunt valde crassæ, similiter intrant quidem poros corij, sed circuitionem cum intus peragere nequeant, solvunt plexum corij & comburunt vaginam; ferrum autem sinunt illæsum, quia intrare penitus nequeunt. Similiter interdum consumunt ossaturam corporis humani, carne salvâ, interdum ossaturâ salvâ carnem devorant.

DIES XI.

Interdum etiam abſumpto dolio relinquit vinum, quia ignis ille tunc multo bitumine conſtat, quo circumdat vinum loco dolij, factâ pelliculâ circumcirca. Propter quam cauſam etiam difficulter per aquam extingui poteſt; quia ob bituminoſam tenacitatem non facile disjunguntur ejus particulæ, earumque motus ſiſtitur: ſed potiùs aquâ, cum tenuis ſit, disjicitur, & in fumum convertitur, ejus partibus igne raptis & agitatis. Vinum in vappam convertit; partim quia concuſſione doliorum illud miſcet fæcibus, partim quia particulas ſuas per dolium, ſive per hujus poros eidem vino immittit. Hactenus fulmen.

DIES XII.

Sicut in ſecunda regione aëris accenduntur fulgura & fulmina; ita in infima *ignes fatui*, *lambentes* & ſimiles; in ſuprema verò *trabes*, *columnæ*, *pyramides*, *dracones*, *capræ ſaltantes*, *ſtellæ cadentes*, diſcurrentes. Qui ignes ſimilibus modis accenduntur in materia viſcoſa & pingui. ſic denominantur ex figuris diverſis, motibus, ſtationibus, &c. quorum cauſas reperire non eſt ex dictis difficile. Atque ita de meteoris dictum eſt ſatis quantum ad eorum geneſin, proprietates, & effectus pertinet.

DIES

DIES XIII.

Colligis ex dictis, quàm difficile vanumque sit, velle meteora sive mutationes auræ *prognosticare*. In quantum enim hæc ab angelis pendet, quis præsciat. In quantum à planetis, necdum constat de horum systematibus & motibus, motuumque causis: solne an tellus moveatur, quis certò adhuc definivit? Exinde tamen pendet notitia fluxûs materiæ cœlestis, necessaria ut concludi possit aeris nostri compressio, relaxatio, motûs &c. In quantum à ventis pendet, quis dispositiones intra abstrusas telluris cavernas præsentes ac futuras intelligit? Unde Keplerus cum videret, ephemerides meteorologas, quas scribere cœperat, eventibus non respondere, sapienter scribere destitit. Utinam Astronomi pro notitia systematum, & causa physica motuum cœlestium, plures observationes certiorésque nanciscì possent!

DIES XIV.

Colligis insuper, corpora meteorica resultare ex partibus elementorum vulgarium inter se certo modo conjugatis & laxissimè contextis, qui *modus texturæ* est *forma* eorum *substantialis respectiva*, sine ulla absoluta, quam esse supervaneam ad explicandas experientias meteoricas fortè ipsi Absolutistæ confitebuntur. Dicent autem, ipsa miscibilia meteororum constare ex formis absolutis. Verùm miscibilia illa sunt

sunt particulæ elementorum vulgarium : quæ similiter constant ex particulis potissimùm tertij elementi simili plexu, licet arctiore conjugatis, quæ conjugatio iterum non est nisi forma respectiva tantummodò : quid enim præterea opus est, si quis ea, quæ supra diximus attentè consideret ? Porrò minima tertij elementi rursum à minimis secundi elementi non nisi figura & magnitudine differunt ; secundum quæ à secundo elemento educta sunt ; modus porrò ille diversus in figura & magnitudine sitis rursum non est aliquid absolutum. Secundum elementum à primo eductum iterum magnitudine minimorum & figura tantummodo discrepat, cum aliud sit supervacaneum, nec habeat ullum effectum. Denique primum elementum nullâ formâ physicâ constat ; cum sit merissima universalis mundi materia.

DIES XV.

Ad majorem rei evidentiam considera genesin & essentiam *cunei fulminalis*, quæ à substantia nubis per nihil absolutum differt. Quid enim est cuneus, quàm portio nubis in angustum coacta ac indurata ; & quid pars nubis sic compressa & indurata aliud, quàm cuneus ? dissolve cuneum in partes laxè cohærentes, fecisti nubem, indura nubem partibus compressis & arctissimè plexis, fecisti cuneum. Quid effectûs, qualitatis, prædicati, ostendes in cuneo, quod formam absolutam tanquam principium requi-

requirat ? ubi causa, quæ talem effectum absolutum efficiat ? Estne hæc univoca, an æquivoca ? aut quænã? Nunquid ignis? sed ignis ex luto facit laterem, ex massa vitrum, quæ nullâ formâ absolutâ constant ; quare ergo & quomodo plus facit in aëre ? Qui nec patrem habet, nec filium, homo non est : quæ nec habet sui principium, nec est alicujus entis vel entitatis principium, forma vel res absoluta non est. Sed ad lapides terrestres veniamus.

DIES XVI.

Lapis generatim est *mixtum perfectum, durum, non inflammabile, nec ductile, nec vegetativâ actione productum.* Per ultimam qualitatem differt ab ossibus, per reliquas à metallo. Lapis plurimâ terrâ constat, ut patet non solùm ex ejus gravitate & duritie, sed etiam ex resolutione : sed & generatur ex terra tanquam materia. Non concrescit per viam habitûs ; aliàs filatim concresceret, ut nix : neque per ignem ; nam intra solidam terram, ex qua lapis generatur, nullus est ignis ; & per hoc ejus productio differt à productione cunei fulminalis. Fit ergo per succum lapidescentem dictum, qui etiam arte dicitur fieri posse : quo quæcunque corpora perfunduntur, lapidescunt. Sic arena, ligna, carnes, ipsæ aquæ, lapidescunt ; effossique sunt lapides, repræsentantes scripturas, imagines, statuas, sanctorum, hominum, bestiarum ; quod talia consepulta succo lapidifico

casu

casu conspersa fuerint. Analogiam habes in succo sacchari, qui ubi chartam imbuerit, hanc desiccatam videtur in saccharum totam mutasse.

DIES XVII.

Succus autem *lapidescens* fit ex humore viscoso, nitro & alumine gravido, sive continente plurima pinguis terræ ramenta, quæ sibi adjunxit penetrando poros terræ, sic enim diuturna tractione aliqua corpuscula sibi associat, alia deserit, donec ad subtilitatem perveniat; quod si parùm subtilizatus fuerit, faciet lapides aspe-ros; si benè, pretiosos; sicut succus in plantis percolatus, demum alius in folia, alius in ligna, alius in fructus, prout assimilabilis, adhæsivus, & adsilabilis fuerit; quod etiam in sanguine animalis evenit. Ubi enim consederit ille succus, & subsidentibus aut exhalatis particulis humidioribus, solidatior factus fuerit, evadit in substantiam multa filamentositate constrictam, quam lapidem dicimus. Simile quid habes in caseo & butyro.

DIES XVIII.

Marmori diversi colores insunt; quia succus diversimodè percolatus superficiē exhibet aliter atq; aliter lævē aut asperam, luminis aliter & aliter reflexivam. Quod item de pilis & pennis animalium existima. Marmor & silex arctissimè plexa sunt, hinc durities. Pumex levior est poro-

sitate. Carbunculum fugare tenebras fabula est : quia verisimile non est, in ejus poris latentes globulos luminis tam esse copiosos, ut sensibiliter rotari possint. Cos quomodo cultros acuat, ipsis oculis patet. Quidam venenum imbibunt ; quia poris constant, quibus particulæ veneni proportionati facilè se insinuant. Amethystum ebrietati resistere quis credat ? A lapidibus ad metalla transeamus.

DIES XIX.

Metallum est *mixtum perfectum, fossile, durum, liquabile & malleo ductile.* Duritiem habet à terra, quæ ei inest, liquabilitatem & ductibilitatem ab aqua. Putant tamen primum elementi semen, quem halitum vel spiritum metallicum vocant, non esse opus naturæ, sed Dei, qui illud ex tertio elemento in principio ita complexuit, ut solvi nunquam possit. Triplex ergo est metalli plexus. primus spiritûs primigenij : alter, quo ijdem Spiritus copulantur : tertius, quo partes metalli jam perfecti continentur. Horum ultimus tantùm solvitur liquatione. Contingit autem liquatio, quatenus vi caloris & agitatione particularum minimarum, disrumpitur tertius plexus, ita ut humido deinde innatent: cessante autem calore & agitatione, rursum consistunt in quiete, reparato plexu, sicut ferè in glacie fit.

DIES

DIES XX.

Dicitur metallum generari *ex mare & fœmina:* quod halitus metallicus primùm in massa terrea coqui, misceri, putrescere, ac disponi debeat ita, ut eadem massa terrea, maris instar, ex primogenio illo spiritu semen metallicum proximum conficiat: quod semen postea in aliam terram, tanquam in matricem, per exhalationem transmitti debet, quæ tali meatuum ac ductuum structurâ constet, ut in ea possit aptè matureſcere, arboreſcere, & in subtilissimos ramulos addensari. Porrò terra illa in principio mollior esse solet; demum in lapidem indurescit, qui sinu suo fibras ac ramenta metallica ad perfectum excoquat. Hujusmodi metalli officinas præterfluentes Pactolus, Ganges &c. præterfluentes, ramenta secum auferunt, ut aurum vehere dicantur.

DIES XXI.

Halitus metallicus terram sterilem facit, quia edacitate sua plantarum semina vitiat, & aerem coinquinat. Unde & pruinæ concretionem impedit, folia arborum flava facit, &c. In eadem fodina multiplex metallum reperitur, quia semen metallicum diversimodè præparatur, sublimatur, percolatur. Analogiam habes in succo plantarum, cujus alia portio transit in flores, alia in fructus, alia in folia. Sunt autem

quinque metalli *ſpecies* ; aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum. Mercurius & hydrargyrum non ſunt metalla : ſtannum eſt ex argento & plumbo : cætera hujusmodi ſunt ſemimetalla.

DIES XXII.

Aurum & metallum *conſtans multâ terrâ probè ſubactâ, mediocri humore, terminis accuratiſſimi plexûs contento, & mediocri igne, ſive materia cœleſti, in plexum perfectiſſimum diſtributo.* Liquatum in tenebris lucet ; quia calore ſive motu perturbato & rapido partium inſenſibilium, liberiores & aptiores fiunt partes globuloſæ ad motum. Dum eſt accenſum, difficillimè extinguitur, quia cum plexum arctiſſimum vix aliquid ſubintrare poſſit, partes ejus à motu rapido vix ad quietem reduci poſſunt. Unde & ſenſibiliter non exhalat, nec ſqualorem aut rubiginem contrahit. Attamen per aquas fortes paulatim ſubintrantes paulatim corrumpi poteſt. Maximè eſt ductile & extenuabile propter partium & pororum parvitatem, humore ſociatarum. Per plumbum admixtum caloris vi purgatur à fœcibus, ſiquas habet, quia humiditate ſuâ ſe inſinuans ſaponis officio fungitur. Sic etiam à mercurio butyri inſtar mollitur ; quia illo ſubeunte ſolvitur plexus tertius, de quo ſupra, die 19.

DIES

DIES XXIII.

Argentum est metallum, continens *multã terrane, sed minore proportione quàm aurum; mediocrem humorem, sed majore proportione quàm aurum, cum textura post aurum perfectissima.* Auro est levius, & liquabiliùs, propter porositatem & humiditatem majorem: minùs ductile, quia propter laxiores poros faciliùs rumpitur. Vim habet elasticam & adductum vel arcuatum resilit; quia per grandiores & oblongos poros plus subtilis materiæ transit, de quo 4. *Aprilis.* Sulphur argento liquato immissum illud calcinare potest: quia intra poros ejus accensum, humidum dispergit, mutatumque in fumum evolare facit, unde calcinatio sequitur.

DIES XXIV.

Plumbum est metallum, *constans multâ terrâ parùm subactâ, mediocri humore minùs diviso, & nullo ferè igne.* Mollissimum est à multo humore & neglecto plexu; unde & facilè liquatur. Accendi non potest, & liquatum nec pulverem pyreum accendit, defectu ignis. Grave est à paucitate pororum. Frigus expirat ab humore: unde applicatum capiti calvitium adducit, obstructis poris, ne succus alimentitius subeat. Vulnera exsiccat, & calorem temperat, obstructione pariter pororum. Liquatum & bacillo agitatum transit in arenam, quia agitatione evaporat humor, & defectu siccæ fi-

lamentositatis prohibentur partes divisæ facilè reuniri. Sic lac concrescit in butyrum. Vas plumbeum humore plenum ad ignem non liquescit ; quia humor poros intrans agitationem partium ignis impedit.

DIES XXV.

Stannum resultat ex mixtura argenti & plumbi : ex quorum partibus inæqualibus sequitur irregularis plexus, & major porositas; unde existit levitas. Hinc & glans stannea plus lædit scloppo excussa, quàm plumbea, quia ex diversis rudimentis non benè convenientibus consistens, & habens partes striatas, magis exacerbat fibras corporis. Idem irregularis plexus partium quasi catenulas quasdam & uncos exhibet, secundùm quos aptè se liquatum innectit poris ferri & æris, & sic aptum ferrumen evadit. Stanno obduci solent vasis culinariis, ut obstructis poris nequeat evaporare halitus noxius, qui æruginem faceret. Unde eadem obductio facit, ne æs facilè colliquescat: quia obstructio impedit agitationem insensibilium partium, & dominium ignis ingredientis.

DIES

DIES XXVI.

Æs vel *orichalcum* est metallum *constans multâ terrâ, satis benè præparata, igne mediocri, & modico humore.* Quia ergo in frigore humiditatem attrahit, ideò tunc faciliùs liquescit, & aptiùs funditur. Si æri liquato aqua infunditur, cum magno impetu dispergitur: quia aqua frigida gravior descendit, subitò autem rarefacta erumpit, secumque æs educit. *Ferrum* est metallum, constans *multâ terrâ, copioso igne, modico humore.* Semina ejus primigenia sunt oblonga, acubus magneticis recipiendis. Hinc grave est à terra, facilè accenditur & candet à partibus ignis sive agitabilibus, difficulter liquescit à modico humore. Unde etiam maximè durum & siccum est plumboque summè oppositum. Aptum ad ignem è silice eliciendum, quia fibræ ejus oblongæ tanquam denticuli saxum fricant. Madefactum contrahit rubiginem, quia halitus evaporans humore retentus facilè insuperficie concrescit.

DIES XXVII.

Semimetalla vocantur *hydrargyrum, stibium, sal, sulphur, nitrum, vitrum, bitumen.* Hydrargyrum est mixtum fossile, constans plurimâ terrâ & aquâ, nullo ferè igne. Hinc gravius est plumbo, quia minùs porosum: ita liquidum, ut nunquam concrescat, filamentis deficientibus. Ita frigidum, ut nunquam accenda-

tur; quia partes non habet agitabiles. Penetrat omnia metalla per tenuiſſimas terræ particulas. *Stibium* eſt mixtum liquabile, durum, non malleo ductile, quia multâ terrâ conſtat, modico humore, non multo igne & aëre. Unde non poteſt acendi, & eſt grave. *Sal* eſt mixtum ex multa terra, modicâ aquâ laxiſſimè plexum, ut ſolvi poſſit aëre frigido per guttulas intromiſſas, eo ferè modo, quo de calce eſt dictum. Eſt ponderoſum & liquabile, non accendibile. Minima ejus figuram acicularum habent, quibus configunt & indurant carnes: unde pinguefacit pecora, conſtrictis poris nimis laxis, quibus alimentitius humor exhalaret. Sitim excitat, quia auget ſal volatile. S. Hilarius *in c.* 4. *Matt.* putat conſtare aquâ & igne: ſed patet, terram eſſe potiorem. Grave eſt, etſi laxè poroſum, quia perturbati ſunt pori, & impediti, ad ſubtilem materiam tranſmittendam.

DIES XXVIII.

Sulphur eſt mixtum medium inter lapidem & metallum, plurimo igne ſive materiâ inflammabili, non modicâ aquâ, & exiguâ terrâ conſtans. Hinc facilè accenditur, & liqueſcit; grave autem non eſt. Scabiem curat ſiccando. Terræ adeps vocatur; quia pinguiores halituum partes concreſcunt in Sulphur. *Nitrum* eſt mixtum ſemimetallicum conſtans plurimo igne, ſat multâ aquâ, non modicâ terrâ, per quandam ebullitionem ignis, a quæ, & terræ in ſpu-

ſpumam concreſcens. Nativum effloreſcit in ſuperficie terræ, aut fornicibus adhæreſcit. Factitium fit ex aqua nitroſa, quomodo ſal; vel etiam ex lixivio cineris querni. Aqua nitroſa eſt Nilus.

DIES XXIX.

Vitrum eſt mixtum quaſi metallicum lapideum, conſtans multâ terrâ, humore mediocri, non multo igne, tali plexu conjugatis, ut lumini pervium ſit. Fragile eſt ob ſiccitatem, & plexum, qui humoris traductionem facilem non admittat. Difficulter accendibile, defectu ignis, ſive materiæ agitabilis. Difficulter quoque accendibile, propter difficilem humoris collectionem. Poroſum eſt tamen, cum flumen magneticum transmittat; ſicut & frigus, ſitum magnâ parte, & cauſaliter ſaltem, in appulſu corpuſculorum difficulter agitabilium. Non eſt ſecabile; quia ſuâ duritie ferro non cedit, partim quia intra pororum anguſtias nulla acies ferri tranſit: ſicut etiam muſcæ in eo probè lævigato progredi nequeunt, quod pedunculorum fibras non capiat pororum anguſtia. Scinditur autem adamante, à quo ſuperatur duritiâ. Frangitur calefactum humore affuſo ſicut diximus de calce, ob ſimilem cauſam, laxato plexu. Unde primùm conflata non ſtatim exponi poſſunt aëri frigido, ne guttulæ ſubeuntes plexum rumpant.

DIES XXX.

Bitumen est mixtum multo igne, mediocri humore, modicâ terrâ constans. Species ejus sunt carbo fossilis, gagates, camphora, succinum, lapis thrasius, naphtha, petroleum. Succinum trahit festucas, quod exhalet halitum pinguem, & tenacem, qui in filamenta concrescit exigua quidem, sed plurima, quibus hujusmodi reculas implicat. Unde flante vento non trahit. Excitatur vis tractiva per affrictum, quia sordibus absterſis pori apertiores fiunt ad majorem halitum; magis tamen, quia sic excitatur calor, & majorem partium insensibilium motum facit frictio, sicut in serra reciprocatio: unde exhalatio copiosior. An ex annosa glacie fiat crystallus? respondeo, ad hoc aliud non requiritur, quàm ut complexio glaciei fiat arctior, subtilior, & tenacior, ut resolvi per ignem non facilè possit.

JULIUS.

DIES I.

REflecte nunc mentem lector, super corporibus hactenus explicatis, & facilè dispicies, mixta perfecta ab imperfectis, non nisi ex alia atque alia materia secunda vel vulgariter elementali, & per plexum minus vel magis arctum differre. Nimirum corpus laxissimè primùm cohærens ex plurimis partibus etiam aëreis, igneis,

igneis, & cœleſtibus conſtans, paulatim agentibus cauſis, exhalat cum aqua aërem, colligiturque in arctiorem plexum, particulis aliis vel amiſſis, vel acquiſitis, paulatim tranſit in maſſam embryonicam, ac demum in ſaxum, vel metallum, vel ſimile quid: ubi rurſum nulla prorſus forma abſoluta apparet, quæ ſit ad rem. Cum nihil aſſignari poſſit, quod non à tali forma modali, hactenus expoſita, proveniat, nullus effectus, nulla proprietas, nulla qualitas; ut forma abſoluta planè actum ageret, ſi poneretur. *Sufficit proinde forma ſubſtantialis modalis*, conſtans tamen ex multis partialibus, magis minusque communibus & particularibus, genericis atque ſpecificis.

DIES II.

Conſidera etiam, quomodo *elementa inſint mixtis*, ſecundùm eſſentiam, proprietates, qualitates. Nam primò materia elementi eſt actu in mixto, quod materialiter cauſat. Sic enim in mixtis metallicis & lapideis, imò magis in imperfectis inſunt elementa vulgaria, ignis, aqua, aër, terra, ſcilicet potentiâ talia, non actu: ſive ſecundum materiam, cujus eſſentia eſt, continere mixtum potentiâ, hoc eſt, taliter, ut adhuc ex ea mixtum educi poſſit; & poſtquam eductum eſt mixtum, in eo tamen mixto adhuc manet ea materia, ſive illæ particulæ, quæ tunc ſunt ſub actu mixti, non ſub actu elementi: poſſunt tamen etiam actum elementi recipere.

Unde

Unde materia ſecundùm eſſentiam materiæ ſemper manet. Ita jam ſupra diximus in lapide e. g. vel metallo, manere materiam aquæ, ignis, terræ, &c. In materia aquæ, terræ &c. manere materiam elementi potiſſimùm tertij ex primigeniis, in eodem tertio manere materiam ſecundi, in ſecundo materiam omnium primam.

DIES III.

Proprietas vel qualitas propria, quæ ſumma eſt in elementis, nunquam eſt *ſumma in mixtis, ſed*, ſicut dici ſolet, *refracta*. Nam eatenus qualitas elementi tranſit ad mixta, quatenus ejus materia tranſit: prout ſæpe diximus, aurum eſſe gravius e. g. quia plus terræ continet (terræ inquam potentialis, ſive quia plures particulas terreas habeat, quàm aëris) plumbum non eſſe accendibile, quia paucas habet particulas ignis, ſive minus habet de materia cœleſti & agitabili, &c. Hujusmodi autem particulæ ignis, terræ, aquæ &c. ſunt materia metallorum & ſimilium corporum. Tametſi autem materia elementalis verè maneat in mixto, ſecundum quidditatem materiæ; non tamen illa materia partialis ſola & omnis ineſt mixto: ſed miſcetur aliis materiis, alioquin corpus mixtum non eſſet; ergo etiam qualitas mixta tantùm & refracta ineſt mixto.

DIES

DIES IV.

Sicut ergo mixtum constat ex materia plurium elementorum, & ideò qualitates elementorum etiam ipsæ *mixtæ sunt in mixtis*; ita patet etiam esse refractas, cum quadam pugna & contrarietate: consequenter etiam non esse æquè intensas in mixtis. Sic in oleo est humiditas formaliter quidem, sed non tanta, quanta in aqua: levis formaliter est pumex à porositate vel aëre, sed non æquè ut ipse aër. Hæc communiter. Attamen nonnullæ qualitates insunt elementis, & planè non mixtis: uti ignis est inflammativus, bitumen tamen, etsi constet multo igne, non est inflammativum. Quædam etiam mixtis insunt, non elementis, ut patet in herbis medicatis. Nimirum aliæ sunt qualitates propriæ & specificæ certo corpori, quædam genericæ & universales, atque communicabiles: quædam à suis contrariis penitus obruuntur, quædam ex parte tantùm. Sed hæc & similia in via nostra facilia sunt.

DIES V.

Forma substantialis elementi non manet formaliter in mixto. Nam forma substantialis est ipsissima illa qualitas principalis, quæ omni, soli, & semper inest, ideò separabilis non est à suo corpore vel subjecto: sive est *actus primus* cujusvis corporis, *quo* primùm *quodlibet corpus physicum est id, quod est, & non est, quod non est:* est præcipuum prædicatum, quod quidpiam con-

constituitur in tali specie, & distinguitur ab alia: est modus substantialis, & essentialis talis corporis solius. Hinc etsi multa possint esse calida, nullum tamen eo modo quo ignis: plura metalla sunt arctè plexa, sed nullum ita ut aurum. Omnia saxa constant ex terrâ, sed nullum ita, ut marmor. Denique est modus talis materiæ cum tali plexu, qui uni soli conveniat: quem semper præcisè dignoscere & nominare posse de omnibus corporibus, absque dubio humanam notitiam superat, ut quisque videt. Interim evidens manet, *elementum non manere formaliter in mixto*, quia non manet sub tali forma; etsi maneat materialiter, sive cum aliqua materia; & virtualiter, sive cum qualitate refracta.

DIES VI.

Adverte etiam, quàm accuratè nostra doctrina respondeat institutioni Porphyrianæ ab omnibus admissa. *Tot enim sunt suprema genera qualitatum, quot classes prædicabilium in quale.* Nam genera quidem prædicantur quidditativè de certo subjecto, sicut & species; cætera qualitativè. Sic de auro dicitur metallum quidditativè tanquam genus: cujus perfectio differentialis & constitutiva est modus ille singularis complexionis & conjugationis partium; ita, ut hæc cum ratione metalli generica faciat totum, quod est aurum, speciem scilicet, quæ & ipsa quidditativè prædicatur de tali corpore:

sed

ſed complexio ſecundùm ſe prædicatur in *quale quid*; nimirum quidditativè de ſpecie, cujus pars eſt, & qualitativè de genere ſive de metallo generatim, cujus determinativa eſt. Ex complexione manet neceſſariò liquabilitas & ductilitas tanquam proprietas eſſentialis & neceſſaria, ſine qua eſſentia ſpeciei eſſe non poteſt, & dicitur de ea *qualitativè neceſſariò*. Denique ſtatus actualis vel concretionis vel liquationis &c. eſt accidens, ſine qua eſſe ſpecies poteſt: Non quod poſſit exiſtere & ſubſiſtere ille ſtatus ſeorſim, uti poſſet, ſi eſſet accidens abſolutum; ſed quod illo ſpecies carere poſſit. Unde iſte eſt *modus accidentalis* & contingens, cum proprietas & differentia ſint modi vel qualitates ſubſtantiales, eſſentiales, & neceſſariæ, ſine quibus ſpecies eſſe non poteſt.

DIES VII.

Sunt ergo plura genera qualitatum, quorum tantùm unum eſt accidens, cæteræ ſunt qualitates quidem, ſed ſubſtantiales vel eſſentiales, ſive tales, ſine quibus eſſentia ſubjecti, cujus ſunt, non poteſt conſiſtere. Qualitatum accidentalium & contingentium quædam ſunt alterativæ: quomodo tales ſint, non eſt difficile ex dictis aſſequi. Nimirum qualitas alterativa eſt, qua ſubjectum redditur non aliud, ſed alterum; ſive non fit aliud quid, ſed quale. Nimirum *qualitas alterativa mutat ſubjectum, ſecundùm accidens ſenſibile, notabiliter permanens, tollibile*

bile & contingere ſolitum: ita ut alteratio non ſit mutatio ſubſtantialis, ſed tamen via ad hanc. Homo ſanus, dum fit æger, alteratur; juſtus dum fit pecca or, non alteratur: Lapis impulſus non alteratur, quia impetus mox tranſit: lumen parietem non alterat, quia non remanet in pariete, luminoſo ſublato: campana rupta non alteratur, quia ruptura non eſt tollibilis: dum ligatur faſcia, ut aliter reſonet, non alteratur, quia id non eſt ſolitum fieri.

DIES VIII.

Sicut per alterationem procedit natura ad generationem, ita ad ipſam alterationem variis viis & modis tendit. Primò enim per *condenſationem & rarefactionem* multiplex alteratio contingit: ita namque per condenſationem vaporis aër fit nubilus, rarefactione nubis idem fit ſerenus: largiore ſcilicet vel parciore affluxu vel influxu cœleſtis materiæ ferè omnia corpora meteorica, ſed & lapides ac metalla generantur, alterantur, diſponunturque vel ad corruptionem, vel ad novam generationem, ut experimenta, & ipſa conſideratio ex dictis oſtendit. *Ex mutatione* quoque *ordinis ac ſitûs partium:* ſic vitrum alteratur terendo, ut ex opaco fiat diaphanum, ex aſpero læve. *Ex mutatione figuræ* in partibus itidem alterantur corpora: ſic ſuccus ex amaro percolatione fit dulcis:

dulcis : non item, si totius figura mutetur, cum ista non sit via ad generationem, ut si totius ceræ figura cubica mutetur in sphæricam. *Ex motu & agitatione* quoque fit alteratio; sic corpus humanum contrahit febres, tusses, livores, sanitatem.

DIES IX.

Nec difficile est explicatu, quomodo secundæ qualitates ex primis, tertiæ quoque ex secundis generentur. Nimirum sicut *mixta ex elementis*, ita *mixtorum qualitates ex elementaribus* resultant. Namque ex calore fit raritas, ex raritate levitas; ex frigore densitas, ex densitate gravitas: ex humido flexibilitas, ex sicco durities: ex duritie lævitas, vel asperitas, indè opacitas aut perspicuitas; ex opacitate colores. Similiter sapores, odores, & aliæ qualitates sensibiles nascuntur, de quibus adhuc infra pluribus, si videbitur operæ pretium, agendi copia erit: quamvis hîc saltem ex dictis abunde patet, hæc & similia non esse qualitates absolutas, sed merè modales ac respectivas.

DIES X.

Facillimè explicamus, quomodo corpora *per qualitates contrarias* inter se *agant & patiantur*. Nam calidum agit in frigidum, illud rarefaciendo, ut disjectis partibus humidis prævaleant igneæ, & flamma excitetur. Frigidum

agit in calidum, immittendo illi particulas aquosas & crassas, quibus sufflaminetur agitatio ignis, & sequatur stupor & quies. Humidum agit in siccum, quatenus communicatis suis partibus plexum illius laxat, sic ut partes siccæ in humido natent. Siccum in humidum, illud suis particulis immissis stipando, absorbendo, suis poris concludendo, ut sistat fluiditate amissâ. Cætera tu ipse considera. Perspicuum namque est, quomodo etiam secundæ qualitates sint inter se contrariæ. Sic enim densum opponitur raro, grave levi, perspicuum opaco, molle duro, flexile rigido, pingue arido, album nigro, amarum dulci, sonus gravis acuto, &c.

DIES XI.

Patet quoque quomodo fiat *reactio* corporum. Sic e. g. ferrum candens immissum aquæ, istam calefacit, communicando multas particulas ignis celerrimè agitatas, quam agitationem secundùm quid propagat in partibus aquæ. Hæc vicissim suas partes crassas immittit ferro, quibus impeditur & sistitur agitatio in partibus ferri, ut sequatur frigida quies. Non omne quod patitur reagit: Quid enim terra calefacta à sole reagit in solem? Simile non agit in simile. Nam frigidum in frigido non reperit partes rapidè agitatas, quas sistat: humidum in humido non invenit partes laxabiles: ignis in igne similiter accenso non habet, quod agat. Passum resistit agenti, interdum activè, qua-

quatenus reagit, & ejus actionem debilitat; interdum solùm passivè, quatenus actionem difficulter recipit ac admittit.

DIES XII.

Nec manet obscurum, quomodo qualitas *intendatur, ac remittatur*. Utique enim fit major per additionem partium, ac per imminutionem remittitur. Item per *majorem radicationem* in subjecto: sic partes terreæ, aqueæ, vel sulphureæ quando arctius inter se constringuntur & implicantur, quàm priùs fuerant in nube, ita ut nubes transeat in lapidem, crescit gravitas, & fit major, quàm in nube. Gradus porrò intensionis in eadem qualitate sunt ejusdem rationis & homogenei, etsi qualitas in se ipsa composita sit ex diversis, & ideò refracta & mixta sit. Hinc manifestum est, posse contrarias qualitates se se compati in eodem subjecto in gradibus remissis, non verò in intensis. Sic enim potest aqua secundùm quasdam sui partes intensibiles rapidè moveri, secundùm quasdam quiescere, ut sit tepida; si verò secundùm omnes agitetur, calidissima erit, non frigida omninò, quia secundùm nullas quiescit. Motus localis non potest simul esse in terminos oppositos, sursum & deorsum, etiam in gradibus remissis: fit tamen sæpe determinatio in lineam tertiam.

DIES XIII.

Hinc patet, quomodo qualitas intendatur *per antiperistasin contrarij*. Nam per contrarium circumstans, potest coarctari agens, & cogi in angustum, ita, ut particula quædam & vis activa magis radicetur, & uniantur inter se in eodem corpore. *Reflexio* qualitatis interdum fit cum subjecto, sicut reflexo aëre reflectitur sonus: lumen reflectitur reflexis globulis luminosis. Refractio fit, accelerato aut retardato motu luminis, ut dictum est. Crescere potest & decrescere corpus in infinitum, consideratum secundùm se; non ita, prout est pars mundi. Si enim sol ita cresceret, omnia inflammaret; si arbor fieret terrâ major, unde alimentum traheret?

DIES XIV.

Hæc quicunque vir mentis compos considerat, poteritne fieri, ut non rideat eum, qui dicat, hujusmodi corporum qualitates, potentias, virtutes, activitates, accidentia, esse entia, quæ possint extra omne subjectum existere? infectilitatem lapidis, liquabilitatem metalli, extenuabilitatem auri, vim elasticam argenti, mollitiem plumbi, candescibilitatem ferri, gravitatem hydrargyri, vim solidativam salis, fragilitatem vitri &c. posse extra sua, & sine ullo subjecto existere? Quid erit, & quomodo esse vel concipi potest liquabilitas,

per

per quam nihil est liquabile? extenuabilitas, per quam nihil est extenuabile? mollities, qua nihil est molle, operativitas, qua nihil est operativum? Profectò hujusmodi nec fingi quidem vel à somniante possunt.

DIES XV.

De hujusmodi forma seorsim existente, sive sit substantialis, sive accidentalis, (nam inter figmentum & figmentum nil interest) nulla entis veritas affirmari potest: Nec est parva, nec magna, nec dura nec mollis, nec rara nec densa, nec calida nec frigida, nec humida nec sicca, nec alba nec nigra, nec diaphana nec opaca, nec tangibilis nec tangens, nec erecta nec jacens, nec locabilis nec locativa, nec mobilis nec motiva, nec passibilis nec activa, nec sensu perceptibilis nec intellectu, nec enti corporeo similis nec incorporeo; per nihilum convenit cum ullo alio ente, per nihilum etiam differt ab ullo, per nihil est intelligibile, per nihil amabile, denique *nihil habet veri, nihil boni, nihil entis.*

DIES XVI.

Considera quæso qualecunque corpus physicum e. g. lapidem, cui fac inesse talem materiam cum tali proportione & plexu, qualem descripsimus, quod esse DEO possibile factu, arbitror non negabis. Fac deinde formam illam, quam tu asseris, substantialem absolutam lapidis annihilari, aut potiùs seorsim existere, ut asseris fieri

posse. Quæro quid per absentiam talis formæ tuæ amiserit lapis? Certè adhuc erit complexum ex tali materia cum tali proportione & plexu: adeóque similiter ut antea durum, insectile, non liquabile, non malleoductile, grave, frigidum, denique idipsum quod ante. Non erit corpus, inquis, quia carebit formâ? sed habet adhuc eandem formam modalem, quàm ante; & absolutam nullam priùs adfuisse, patet ex eo, quia nil est in lapide perditum. Nunc porrò uniatur rursum forma illa absoluto priori complexo, quid lapidis aut lapideum ei per formam accedet? certè non durities, non frigus, non insectilitas, non gravitas &c. quia nihil horum illa forma seorsim habuit.

DIES XVII.

DICES, formam substantialem, sed & accidentalem, seorsim à materia nihil horum habere, non esse calefactivam, nec frigefactivam, nec ullam habere in se actu virtutem atque potentiam agendi: sed hæc omnia illam habere, dum est unita materiæ, idque DEI ordinatione ita se habere. Sed quid si DEUS ordinet, ut materia sola absque forma sic operetur? Quid si ordinet, ut forma aquæ unita materiæ ignis ista præstet? si potest DEUS sic ordinare, ergo forma ignis in se nihil habet diversum à forma aquæ: quomodo ergo discrepant inter se. Si non potest sic ordinare, quid obstat? cum forma ignis separata æquè parùm sit calefactiva ac forma aquæ: vel

nomina

nomina quid rei sit illa potentia formæ ignis præ forma aquæ. Deinde cum materia de se impotens prorsus sit, & nullam habeat vim activam, quomodo illam confert formæ ignis? Quare non eandem confert formæ aquæ? In quo causandi vel principiandi genere confert, quod ipsa non habet?

DIES XVIII.

Sed loquere tandem aliquid sapiens. Quomodo fit lapis durus & gravis per formam, quæ nec dura, nec gravis est? Quare non fit lapis per formam suam ductilis & liquabilis, cum ipsa æquè parùm sit ductilis & liquabilis, uti est nec dura nec gravis? Quare vitrum fit fragile per formam vitri, & non malleoductile, sicut metallum per formam metalli? Hujusmodi interrogationes innumerabiles fieri possunt. Ad quas nihil erit responsi, quàm quod talis sit natura unius formæ, & non alterius. Sed in quo est quæsosita ista naturæ diversitas? si tali responso quisquam sapientior fiat, non erat causa, cur regina Sabæ ab ultimis finibus terræ properaret ad Salomonem, ut ab illo physicas rerum causas addisceret; sed quilibet agricola in Abyssina interrogatus promptissimè respondisset planè idem; scil. hanc esse naturam ignis, hanc aquæ, hanc metalli, &c. ut aliud ita, aliud aliter operetur.

DIES XIX.

Quid hoc responsi est, inquis, ergone rem nostram, cum Salomonis sapientia comparamus? Non ita nostram guttam magnificamus, ut eam ad Oceanum æstimemus. Arbitramur attamen, nos in ea via constitutos, qua ad aliquod ingentis scientiæ instar transiri posset, si observationes rerum & experimenta sufficerent, quod angelicæ perspicacitatis, non humanæ ætatis atque industriæ est. Quidquid sit, dicimus, Salomonem nihil explicaturum fuisse, si nihil aliud ad interrogata respondisset, quàm Absolutistæ soleant. Neque tamen quid aliud respondere possunt, cum nihil in sua forma separata veri entis reperiant, ex quo corporum effectus & experimenta deduci possint.

DIES XX.

Quocirca conclusionis instar esse potest, formam istam nullius esse prædicamenti, sive nihil entis de ea verè affirmari & prædicari posse. Non est enim *quid*, sive ens aut substantia. Non *ens*; quia unita subjecto non est per se subsistens, disunita non est in alio & per aliud subsistens, & tamen unita & non unita est eadem. Non *substantia*; quia nec materialis, nam sic esset corpus; nec immaterialis, quia sic esset spiritus: adeoque esset substantia in genere, nullius speciei. Non est *Quanta* vel *aliquanta*; quia non est extensa, vel habens molem.

Non

Non *Aliqualis*; quia nulla ejus qualitas nominari potest. Non *Ad aliquid*; quia nulli enti expetibilis, nulli utilis aut necessaria. Non *Agens nec Patiens*; quia cujuslibet horum incapax. Non *Ubicata*; quia nullius corporis superficie concludibilis. Non *Durans*; quia causâ finali, ob quam durat, est destituta. Non *sinuata* nec figurata; quia defectu quantitatis non est locabilis nec terminabilis. Demum nec *finita*, nec *infinita*. Quid igitur est? *Nihilum*.

DIES XXI.

Videri quidem sanè possumus aliunde ostendisse, quàm forma absoluta nullo loco, modoque subsistat: attamen si vel ipsam lucem illustrare adhuc libeat, dico & quasi summatim colligo, eam formam nec mediatè, nec immediatè cognosci, sed mero quopiam phantastico somnio in imperitorum animas irrepsisse. Mediatè sive ex medio cognoscitur, quidquid ex alio antecedente prius noto infertur, & discursivè concluditur: immediatè, quod absque conclusione, sine medio, per se ipsum notum est. Sic metaphysicis per se notum est illud, *Non potest idem simul esse & non esse*: Ethicis illud *Declina â malo, & fac bonum*: Mathematicis, *totum majus est parte*; Physicis, *ex nihilo nihil generatur*: existere colores & lumen, & sensibilia reliqua immediatè omni homini inolescit. Porrò quod mediatè innotescit, vel à priore innotescit & per causam, vel à posteriore, per effe-

ctus; quatenus medium illativum vel causat id, quod infertur, vel causatur ab illo. Quæritur quomodo, & an ullo modo forma absoluta sapienti fit nota?

DIES XXII.

Primùm igitur per causam primam archetypam, quæ Deus est, nec forma aliqua absoluta, nec nostra respectiva est nota: quia mentem Dei ideativam & potentiam effectricem immediatè non cognoscimus, quam non videbit homo & vivet. Ergo de causa creata solùm aliqua restat quæstio, an ex aliqua alterutra forma deduci possit. Deinde immediatè etiam nostras formas modales cognosci nolumus absque necessitate contendere. Absolutam verò immediatè innotescere, nec adversarij dicent: quia quæ immediatè nota sunt, omnibus nota sunt, ita, ut de iis nullum litigium, nullum dubium, quatenus sic nota sunt, esse possit. Patet verò hanc propositionem, *forma materialis absolutæ existit*, nec sensibus patere, nec esse principium physicum, nec mathematicum, nec ethicum, nec metaphysicum. Quis enim unquam talis formæ existentiam immediatè & evidenter attigit, aut ostendere potuit: cum nec quidem aliquod prædicatum genericum, vel specificum, vel proprium talis formæ immediatè appareat; eò quod sæpe inculcatum sit, neque esse per se extensam, neque magnam, neque aliqualem ullo modo, qui pateat.

DIES

DIES XXIII.

Certum eſt quoque formarum accidentalium merè modalium aliquas immediatè pateſcere: videmus enim rerum præſentias, abſentias, durationes, mutationes, magnitudines, figuras, fragilitatem vitri, liquabilitatem metalli, duritiem lapidis, flexibilitatem culmi, ramoſitatem arboris, ſanitatem animalis, mortem hominis, & innumera talia ſenſu immediatè cognoſcimus. Cognoſcimus inſuper hujusmodi qualitates vel effectus, aut virtutes per ſuas cauſas. Sic enim ſcimus hominem mortuum eſſe, quod vel nihil alimenti habuerit, vel per tot vulnera omnem ſanguinem amiſerit: animal debere eſſe ſanum, quod habeat omnia ad uſum, quibus naturaliter harmoniam partium & humorum acquirit: parietem fieri alteri ſimilem, ſi uterque dealbetur: plantam fieri majorem, ſi fuerit irrigata: lignum fieri cubicum, ſi ita fuerit ſectum, ut ſex faciebus parallelis terminetur: maſſam fieri duram, ſi exhalato humore partes terreæ arctiore plexu conſtiterint, &c. Atque ex his patet, formas modales accidentales dupliciter innoteſcere, per ſe ipſas immediatè, & mediatè quoque per cauſas ſuas, quæ ſunt talia ſubjecta cum talibus cauſis reſultantia.

DIES XXIV.

Eo ipso verò, quod istæ formæ demonstrentur per suas causas & principia, etiam eadem sui causas & formas substantiales, per quas ipsæ sunt, demonstrant. Nam ex motu corporis infertur præsentia causæ motricis & impellentis: si lignum sit cubicum, colligitur adfuisse artificem, qui aptè secuerit: quòd ignis sit combustivus, ostendit per eum quaqua versum agitari acuta spicula, quæ poros subintrent vicini corporis, & plexum solvant: quod hydrargyrum fluat identidem, & non accendatur, ostendit, ipsum constare plurimâ aquâ, nullo igne, sed multa terra non filamentosè & rigidè plexis: lapidis rigiditas & durities monstrat, eum coalescere ex multis particulis terreis & siccis, non multis aqueis, eâ proportione, ut porosè quidem, sed tamen firmiter cohæreant. Atque ita de cæteris: semper enim ex hujusmodi effectibus, virtutibus, qualitatibus est devenire ad causas tum cæteras, tum eam, quæ in corporibus est forma substantialis, videlicet talium partium *talis proportio in plexu, in numero, pondere & mensura, in figura, magnitudine situ partium, ex quibus unus modus totalis hujusmodi corporis & specificus* resultant, unde tales effectus vel qualitates secundariæ consequuntur. Atque ita nostras formas substantiales demonstramus à posteriore per effectus.

DIES

DIES XXV.

Declaratur hoc ipsum pulchrâ analogiâ, quæ sumitur ex linguis gentium. Sicut enim omnes linguæ eisdem alphabeti primigeniis elementis & literis constant, quæ tamen in syllabas, dictiones, verba, nomina, modos, casus, tempora, adverbia, participia, gerundia, supina, &c. aliter atque aliter componuntur, miscentur, ordinantur, eo modo, qui singulis linguis solis & semper, atque specificè conveniat; ita per certum illum & specialem modum una lingua ab alia totaliter differat, & in plures accomodari non possit. Hinc autem profluunt singularum linguarum peculiares velut dialecti, proprietates, phrases, proverbia, modi loquendi, acumina, aptitudines, commensuræ, ad carmina pangenda, ad prosam struendam, &c. Ita omnia corpora constant eadem primâ materia, eisdemque materiæ particulis; sed ita diversimodè mixtis, ordinatis, compositis, ut uni corpori tantùm unus ejusmodi modus substantialiter & specificè congruat, & aliis ex toto aptari non possit, quæ est *ratio & forma primò constitutiva* talis corporis, & non alterius. Ex hac porro principali forma & modificatione manant speciales potentiæ, actiones, virtutes, qualitates, tanquam ex fonte rivuli, & secundarij modi partim proprij, partim accidentales.

DIES

DIES XXVI.

Unde quid rei ſint iſtæ formæ ſubſtantiales, oſtenditur non tantùm à poſteriori ex effectibus & conſequentibus illis affectionibus ; ſed etiam à priori per cauſam materialem, viâ reſolutionis. Etenim ſermo & oratio reſolvitur in dictiones, caſus, modos, tempora, gerundia, adverbia &c. ex quibus conſtat : hæc in nomina & verba, quæ ſpecificis inter ſe modis flectuntur, ordinantur, conſtruuntur, declinantur : Nomina & verba reſolvuntur in radices vocum : iſtæ in ſyllabas : ſyllabæ in litteras, quæ eſt una linguarum omnium veluti maſſa & materia. Sic corpora perfectè mixta reſolvuntur in elementa vulgaria minùs artificiosè mixta, ex quibus coaleſcunt. Elementa, ſi confundantur in unum, ſingulorum formæ ſpecificæ pereunt, & reſtat univerſalior aliqua maſſa rudior & imperfectior, quam nos tertium elementum primigenium vocamus. hujus minima ſi dividantur, reſultabit alia maſſa ex minimis rotundis, quod corpus luminare dicimus. Hoc pariter diviſo reſultat materia univerſalis, cujus minima ſint tenuiſſima, ulterioris diſſectionis incapacia, ex quibus omnia conſtant.

DIES XXVII.

Sicut proinde qui linguarum prima elementa, & eorum compositiones considerat, facilè intelligit, non solùm qua ratione & modo quævis lingua ab altera maximè differat : sed etiam videt, alias atque alias linguas ex iisdem literis plures nasci posse, cum omnes modi non sint adhuc expressi & usurpati. Ita pariter apparet, quomodo modis propè innumeris materia prima aliter atque aliter in diversa complexa digeri, & si Deus vellet, ex ea alius atque alius mundus formari possit ; sed etiam facilè mente concipit, quibus potissimum rationibus, proportionibus, ac modis singulæ corporum species à singulis discrepent ; & quid rei sint isti modi, scilicet esse affectiones & qualitates primarias in materia resultantes, à qua seorsim ipsæ existere nequaquam possint, etsi materia ab illarum singulis separari, sive eis carere posset ; & ideo rectè à nobis vocari, non entia, sed entitates.

DIES XXVIII.

Demonstretur etiam pluralitas & origo linguarum à *causa effectiva* : qualis est partim Deus ipse in structura turris Babel, partim humani reges & principes, quatenus per diuturna bella & aliis modis miscuerunt diversas gentes, quorum linguæ alteratæ primùm deinde vitiatæ, corruptæque in linguas alias & plures abierunt.

Ita

Ita agente Deo in principio ex materia universali resultavit lumen elementum secundum ; ex hoc & primo corpus cœleste ; ex isto tertium elementum rude : ex hoc eductæ formæ elementorum vulgarium : ex horum actione & reactione, mixtione, alteratione, alia atque alia mixta quotidie prodeunt : ut ita quidditas formarum substantialium demonstretur à nobis, non solùm à causa materiali ; sed etiam ab efficientibus, ut ex parte nuper ostendimus.

DIES XXIX.

Denique quod ex tali materia vel prima vel secunda, à corporibus sive elementalibus, sive mixtis tanquam causis efficientibus, certo ordine in mundo dispositis, variis actionibus, *percolando*, *addensando*, *rarefaciendo*, *coquendo*, *assumendo*, *dimittendo*, *sublimando*, *liquando*, *stipando*, *&c.* hujusmodi generationes naturaliter fiant, confirmatur etiam ex illis effectibus, qui producuntur per artem, dum naturam imitatur. Sic enim arte chymica efficitur succus lapidificus, & aliæ conversiones mirificæ, similes iis, quæ fiunt per ignes subterraneos vel in aëre accensos, quibus corpora metallica, lapidea, semimetallica, & similia fiunt. Sic ars sclopetica imitatur fulmina ; ars lateritia confectionem cunei fulminalis & similium ; sic medicina, concretiones salium, tartari, calculi in cor-

corporibus, præbendo medicinas, materiam dissipantes, & actiones concretivas turbantes, impedit: quæ omnia non succederent, si generationes naturales aliter fierent. Adeoque nostra forma respectiva manet à priore & à posteriore demonstrata.

DIES XXX.

Contra verò quis unquam à priore demonstravit formam absolutam? Quod ex. gr. ignis A. accendat ignem B. sequitur, ne ignem B. habere formam absolutam? Nam ignis A similem formam habere deberet, vel æquè vel magis perfectam, cum sit causa vel univoca, vel æquivoca; & hæc forma de igne A priùs nota esse deberet; cum ex noto ignotum sequi oporteat. Quomodo verò talis forma est nota. Eodem modo de quibuslibet causis efficientibus arguere potes. Neque causa increata adduci potest, quod hæc in principio tales formas indiderit. Nam de hoc neque ex revelatione divina, neque ex ullo congruo testimonio, nec ex ratione quidquam constat. Ex causa materiali similiter nihil deducitur. hæc enim Absolutistis est mera caligo; & ex eo, quod sit *primum cujusque subjectum, &c.* quod *neque sit quid, neque Quantum &c.* neque ex alio ejus prædicato, minimè sequitur: Ergo ex ea educitur forma absoluta. Unde à priore non est demonstrabilis, quia ex nulla causa vel efficiente,

vel materiali, vel ex alia formali, vel finali, ut patet ex dictis.

DIES XXXI.

Similiter *à posteriore* vid. ex effectibus, virtutibus, qualitatibus, accidentibus, actionibus eadem absoluta substantia non infertur. Nam quis hanc consequentiam ferat, vitrum est fragile, lapis firmus, metallum liquabile, hoc corpus fit percolando, illud condensando, &c. ergo constant eadem corpora ex forma substantiali absoluta? Præsertim cum eadem forma penetrabilis & inextensa ad omnes hujusmodi actiones sit prorsus impotens. Cum igitur neque ex causa, neq; ex effectu, neque ex ulla ratione naturali, neque ex divina revelatione, neque ex ullo testimonio illius, qui rem cognitam haberet, neque ex ullo medio constet, neque immediatè per se ipsam pateat, illud tantum est reliquum, ut dicatur esse merum figmentum, & non nisi quadam phantasiatione hominum errabundorum mentibus incidisse.

AUGU-

AUGUSTUS.

DIES I.

NOn dedignabimur etiam adversariorum argumenta resumere ; tametsi pleraque talia sint, quorum infirmitas jam ex dictis constat. Opponunt ergo primò, juxta nos *forma substantialis esset merum accidens*, & natura non nisi accidentia produceret. Respondeo ex nostris dictis natura producit ignem, aquam, lapides, metalla, & similia corpora, quæ accidentia non sunt. Et quomodo formæ substantiales, cum per eas substantiæ primò ac formaliter fiant ac subsistant, accidentia erunt ? Ad majorem tamen instructionem distinguo : forma substantialis est accidens respectu corporis, cujus est forma substantialis *Nego* : respectu materiæ primæ, *transeat*. Quatenus enim materia remota aut prima indifferens est & indeterminata ad certam formam specificam, sic e. quodammodo accidit hanc accipere potiùs quam illam : hoc autem verum est, etsi forma ponatur absoluta : quatenus tamen essentialem habet potentiam etiam ad istam formam, quæ est ejus actus physicus, & per quam ipsa traducitur ad istam speciem, quam essentialiter, etsi indeterminatè & divisim, respicit, sic forma ei non accidit. Juxta aliorum phrasin posset dici accidens non physicum, sed metaphysicum. *Vide supra diem* 8. 9. 10. *Aprilis*.

DIES II.

Opponunt rursum: Nos, dum nulla accidentia admittimus, *non posse mysterium eucharistiæ explicare.* O inanissimum argumentum! Sanè si alia ratio nulla nobis esset, quàm quia mysterium illud connaturalissimè & clarissimè explicamus, ut facimus in dialogo 1. post soliloquium, illud ipsum efficacissimè vel unicum moveret me, ad doctrinam hanc amplectendam. Contra verò absolutistæ faciunt mysterium hæreticis & gentibus prorsus incredibile, & adeò impossibile, per quantitatem suam & alia accidentia absoluta, quæ non est levis in fidem injuria: uti patet ex dictis die martij 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. & Aprilis 12. 13. 14. 15. 16. Quod autem accidenria utique asseramus innumera, etsi non absoluta, passim ex dictis constat.

DIES III.

Præterea utuntur variis in nos dicteriis: Nos esse *Atomistas & Democriticos: non admittere materiam, neque, formam substantialem: nos subtili philosophiæ non esse assuetos, & parùm ingenioſos: ultra sensum nos proferre pomœriæ philosophiæ:* Sapientum subtili indagine formas absolutas repertas esse, quas non debemus rejicere: contra negantem principia non esse disputandum, cum philosophiæ principia sint, mate-

materia & forma ſubſtantialis : per nos non fieri generationes ſubſtantiales : corpora ſubſtantialia per nos non eſſe niſi quædam aggregata per accidens : Oportere auctoritatem ſcriptorum æſtimare, & non totam philoſophiam turbare, &c. Sed hæc & ſimilia vel ſæpe jam refutata ſunt, vel adeò non ſunt ad rem, vel ita inania & falſa, ut per ſe ipſa concidant, in fumoſque abeant.

DIES IV.

Attamen in favorem illorum, quorum phantaſia in oppoſitum prorſus aſſuefacta eſt, ut difficulter noſtra concipiant, aliqua reſumamus, quæ opponit P. Semery, quia is recentiùs ſcripſit. Dicit ergo : juxta nos Chriſtus Euchariſticus *deciperet ſenſus noſtros*, quos ita moveret & afficeret, quaſi realiter reſtarent accidentia panis, cum tamen non remaneant juxta nos : vel certè cum corpore Chriſti deberent poni atomi, qui delati ad ſenſus noſtros, eos ita moverent. Primum non eſt dicendum de Chriſto : alterum quoque non convenit ; præſertim quia atomorum delatio per medium non poteſt eſſe inſtantanea. Reſpondeo, ſi aliter explicari non poſſet myſterium, non eſſet uſque adeò abſurdum, dicere, quod Chriſtus immediatè & miraculosè ſic ſenſus noſtros afficeret, uti ſupponit Semery nos docere ; cum ſic egerit Chriſtus apparens Magdalenæ & duobus Diſcipulis peregrinantibus. Fallitur autem Seme-

ry ; cum nos dicamus , remanere eadem accidentia realiter, & inhærere Corpori Christi, ita ut peragant visionem & sensationem prorsus naturalem ac physicam ; uti dicimus in *dialogo de Eucharistia , post Soliloquium* , & infra patebit , ubi de objectis sensuum distinctiùs agemus.

DIES V.

Neque huic rei obstat, quod eadem accidentia , dum inhærent Corpori Christi, differant individualiter à se se , ut priùs inhærentibus pani : nam , ut ibidem diximus , hæc numerica distinctio ad sensationem naturalem planè impertinenter se habet : imò nec hanc effugere possunt absolutistæ in sua hypothesi , juxta *dicta* 27. *Martij* , *&* 31. *Martij*. Fallitur quoque , dum putat , species vel lumen propagari per medium, idque in atomis ; quæ si in aliis legit , nos non asserimus , ut patet ex dictis. Fallitur præterea , dum nobis atomos affingit : cum nostra doctrina prorsus abstrahat ab eo , an materia prima vel corpus sit divisibile in infinitum , an verò veniatur ad indivisibile : nobis autem sufficiat, divisionem fieri posse in particulas incredibiliter parvas , quod ars microscoptica monstrat.

DIES

DIES VI.

Instat Semery : per meram dispositionem localem atomorum non potest ostendi, quomodo aqua *reducat* se à statu caloris, ad connaturale frigus ; & quomodo metallum liquefactum ad statum consistentiæ & soliditatis ; item quomodo animal fugiat noxia, & utilia prosequatur. Respondeo, fallitur iterum Semery, dum putat, nos formam substantialem constituere in mera & qualicunque situatione locali atomorum : cum penè innumeris agendi modis resultent formæ, & per formas corpora: ad quæ requiritur alia atque alia materia partialis, aliter atque aliter divisa, figurata connumerata, comproportionata, ad alium atque alium plexum, unde aliæ atque aliæ potentiæ passivæ activæque resultent; atque ita subsistat corpus, ut *per talem habitudinem fiat primò id, quod est, & differat ab omni alio, quod non est*, sicut multis exemplis hactenus ostensum fuit.

DIES VII.

Diceret aliquid Semery, si ostenderet, quomodo *reductiones, & operationes* illæ fierent per formam absolutam : sed neque hoc ille, neque alius explicare poterit, fieri enim ista non possunt, nisi mediante vel concurrente motu locali : nos verò impossibile esse dicimus, substantiam materialem, quæ penetrat suum corpus sive subjectum, posse illud loco movere;

cum nequeat illud tangere vel impellere. meræ sunt istic tenebræ, merum suppositum nullo experimento nixum. Contra verò quomodo hæc fiant per formam respectivam, jam satis ostendimus nos. Nihil enim aliud requiritur, quàm ut illa corpora excusso paulatim minimarum partium rapido motu, se ad quietem restituant, quod fit etiam in artefactis, puta in horologiis rotatis aliquo modo. De sensu & appetitu animalium dicetur infra. Interim hîc quoque observo, quod Semery supponit aliam doctrinam de calore & frigore, quàm nos doceamus; unde ipsius hoc argumentum & instantiæ non valdè oppugnant nos.

DIES VIII.

Videtur & Semery à nobis requirere *tria generationis principia*. Cum enim non generetur forma substantialis, quomodo generabitur totum? ubi privatio? ubi unio quoque? item liber aliquis e. g. Platonis resolutus in literas alphabeticas & dissipatus non se restituit, sicut se restituit forma substantialis in aqua. Respondeo, hujusmodi argumentum potiùs stabilit nostram doctrinam, & Semeryanam impugnat. Expressè enim Aristoteles non semel docet, quod *forma non generetur, sed totum*, sicut dum *ex*

non

non musico fit musicus, non fit musica, sed musicus. Sine dubio ergo resultat forma in materia, eaque substantialis, sed modalis: sine dubio eam præcessit in eadem materia privatio: unio non est distincta à forma; quia hæc cum sit modalis, non est indifferens, ut insit vel non insit, cum essentialiter insit, & inhæreat. Unde non est substantia, sed tamen substantialis.

DIES IX.

Cæterum non generatur forma, sed totum; non subsistit forma per se, non patitur, non agit, non restituit se, sed *per formam subsistit totum, patitur, agit, restituit se*, quæ est planè genuina Aristotelis doctrina. Verum quidem est, quod litteræ dissolutæ non se restituunt; sed omnis similitudo claudicat, & si forma quoque fuerit dissoluta, nec restitutio fit, ut patet in animali mortuo, lapide calcinato, & similibus: nimirum per formam substantialem totum se restituit ab alteratione, quam passum fuerat: ad quod sufficere formam modalem, quodammodo in ipsis artefactis apparet, puta in pane, tegula, succis medicis, horologiis &c. In eo solùm laborant Adversarij, quod nostram doctrinam non habeant cognitam. Scio enim non omnes, qui formas absolutas negant, sano modo procedere, & propter hoc ipsum aggres-

sus sum ista scribere à *Soliloquio* inchoando, quod necesse est priùs legas.

DIES X.

Quærit denique Semery, quare non admittamus formam, quæ sit *substantia*, & tamen vocemus eam *substantialem* ac modalem? item quare dæmones non possint excitare mortuum animal, quia poterunt corpuscula congregare & localiter situare? Resp. Ratio primi passim in decursu est data; maximè quia erroneum est principium vulgare, quod debeat esse substantia id, quod constituit substantiam, ut patet *ex Soliloq. num.* 103. & hîc *ex dictis die 8. Januarij.* Si angelis bonis suppeteret causa finalis, sine qua nihil agunt, excitandi mortuum animal, excepto homine, & malis fieret permissio; Non video quare non possent id ipsum: cur enim hoc esset difficilius, quàm animal primò producere? Atqui dæmones per Ægyptios magos fecerunt animalia, & per sagas faciunt pediculos, muscas, vermes &c. similiter possent facere fructus arboreos: scil. quia similia pertinent ad regimen mundi corporei, quod DEUS sibi soli vendicat, talia angelis communiter non permittuntur; animam verò rationalem ab eis creari non posse constat.

DIES

DIES XI.

Deinceps quædam *de objectis ſenſuum* exponamus: quæ licet nuper utcunque indicaverimus, erunt tamen qui plura deſiderent. Objectum tamen visûs, quod eſt lux & color, prætermittimus, cum ſatis ſupra ſint explicata, quæ eò pertinent, ut plenior eorum ſcientia ab opticis petenda ſit. Aggredimur ſonum, objectum auditûs. *Sonus* autem eſt *qualitas immediatè & formaliter motiva ſenſus auditorij.* Mediatè vel remotè ac efficienter movet corpus ſonorum, quod reddit ſonum, vel aër, cui inhæret ſonus, formaliter verò ſive per modum formæ, ipſe ſonus afficit organum, prout propagatus ad organum.

DIES XII.

Quid rei ſit ſonus, etiam tactu percipimus. Nempe ſi vitrum menſale cultello contigeris, ut tremere incipiat, reddit ſonum; ſi digito apprehendas, ut ceſſet tremere, ceſſat & ſonare. Sonus proinde eſt *erispatio aëris à corpore ſonoro cauſata, & ad organum acuſticum propagata.* Eſt autem organum acuſticum conſtructum ad ſimilitudinem tympani militaris, membranâ ſubtiliſſimâ exteriùs oppansâ clauſum; cui membranæ chorda nervoſa ſubtenditur intrinſecus, quæ per muſculos, ubi opus fuerit, intendi poſſit. Intus continetur aër, quem vocant *innatum*, qui per plures cochleas ac flexus ad nervum acuſti-

acuſticum pateſcit. Propagatio per aërem, elaſticè & crispativè motum, non fit inſtantaneè, uti propagatio lucis ; ſed ſucceſſivè & paulatim, per circulos undulatim progredientes ; cujus analogia eſt in aqua ſtagnante, ſi lapidem injeceris.

DIES XIII.

Hæc ita eſſe, *experimenta* commonſtrant. Hinc enim etiam ſurdaſter audit, ſi corpus ſonorum manu tangat, aut mordicus teneat; quia tremor per oſſaturam propagatur ad aërem innatum, etſi tympano rupto. Per flammam, nebulam, pluviam, minus auditur ſonus, quia tremor aëris minùs procedit per aërem tot filamentis, ex quibus velut globulis pendent, implexum. Procul minùs percipitur ſonus ; quia vibrationes remiſſiùs procul fiunt, quod partes aëris motæ magis magisque à ſe recedant, creſcentibus circulis, ac divaricentur. Per tubum acuſticum creſcit ſonus, quia cum tubus creſcat in conum, creſcunt etiam vibrationes ejus ; ſicut ideo & campana major grandiùs ſonat, quàm minor. Pulſato barbyto ſubſultant flammulæ, & atomi in radio ſolis conſpicui, quia tremorem aëris excipiunt. Priùs videtur fulgur, quàm tonitru, quia lumen inſtantaneè, ſonus ſucceſſivè propagatur: Qui ex alto loquitur, faciliùs intelligitur, quàm qui ex humili; quia tremor deorſum promovetur etiam aëris gravitatione, ſurſum impeditur.

DIES

DIES XIV.

Soni vehementes aut multiplicati auditum debilitant; quia laxant nimium membranam (interdum & planè rumpunt) ut ineptior fiat ad tremorem. Simile faciunt catarrhi membranam humectantes, aut meatus aëri obstruentes. Qui in cella loquitur, auditur tanquam remotè distans; quia parum aëris tremuli per januam exit. Qui in carcere prorsus occluso, crassis muris obsepto clamat, non auditur, quia muri firmitas tremorem non excipit: secus si muri sint tenues: tunc enim murum tremere patet ex vase aquæ muro superimposito, vel ex appenso speculo, radium solis reflectente. Difficiliùs auditur concionator, dum populus est frequens, aut templum peristromatis vestitum, quia tremor aëris dispergitur & minùs reflectitur: contrà quia parietes calce recenter incrustati plus reflectunt, distinctiùs auditur: sub dio, quia nihil reflectitur, difficillimum est concionari. Per noctem omnia distinctiùs audiuntur, quia liberior tunc est tremor, per diem tot hominum actionibus & vocibus identidem turbatus & varius: Unde etiam in sylva clamans minùs audiris, & minùs ultra fluminis ripam, dum aqua est turbida; quia lævigata superficies aquæ minùs tremorem aëris turbat, quàm asperata.

DIES XV.

Per ſonum examina apum ſiſtuntur, quia imbecilles earum alulæ acutiore ſono ac tremore fatigantur, ut phantaſiâ ſuâ concipiant ventum ac tempeſtatem metuant: quam ob cauſam etiam terra & aqua in ipſas ſpargitur. Muſica excitat fletum, lætitiam &c. quia tremor ad organa ac cerebrum propagatus titillat & movet nervos, laxat vias, &c. unde & moribundos ex morſu tarantulæ reſtituit. Sonus acutus eſt, ſi vibrationes aëris & inſtrumenti ſint citatiores, gravis, ſi tardiores: Si citatiores cum tardioribus proportionatè miſceantur, conſonantia grata fit; ſi inter eas proportio non eſt, ſed colliſio, diſſonantia erit. Sonus paulatim ceſſat, quia tremor elaſticus ſenſim ad quietem componitur, agente ſubtili materiâ. Tu ſimilia innumera facilè ex dictis reſolvere poteris.

DIES XVI.

Colligis opinor, ſonum non eſſe *qualitatem abſolutam*. Quia omnia experimenta commonſtrant, non eſſe, niſi tremorem corporis ſonantis & aëris, qui eſt ſolùm modalitas. Nam ſi abſoluta foret, quæ eſſet ejus cauſa efficiens? cur campana ſonaret, ſive eam ligno, ſive ferro, ſive ſaxo percutias? Quomodo recipietur ea qualitas, aut progredietur de campana in aërem? mutabitne ſubjectum? quare non recipitur in aqua, aut alio corpore non elaſtico? Denique quæſtio-

quæstionem de speciebus soni advertis planè esse inutilem & vanam, cum sonus ipse, id est, tremor realis utique ad organum promoveatur. Species autem illa quid rei esset? quare eam corpus sonorum non semper produceret, sed tantùm percussum? quare cum motu solùm consisteret, &c.? Sed quare caliginem volumus inducere in tantam lucem? Omittamus amentias.

DIES XVII.

A sono ad *saporem* convertimur; qui est *qualitas gustabilis*, sive immutativa gustûs, sive affectionem gratam vel ingratam organo gustativo imprimens. Est ergo qualitas illa quædam composita modalitas, resultans ex particulis certum statum & habitudinem duritiei, asperitatis, figuræ, motûs & quietis repræsentantibus, quo possit organum certis fibris & nervis contextum fricari ac titillari. Debent autem corpuscula saporifera quodam humore subigi ac misceri, sicque ad organum devehi. Est proinde sapor qualitas secunda; quia resultat ex humidis & siccis, frigidis & calidis, diversimodè mixtis & contemperatis. Corpus sapidum est, quod hujusmodi qualitatem subministrat & communicat: organum autem eam recipit & patitur, ab eoque immutatur, ac vitaliter afficitur. Porrò hæc ita esse demonstrant effectus, proprietates, & experimenta.

DIES

DIES XVIII.

Etenim quæ ſunt nimis acerba & impercolata, dyſenteriam cauſare ſolent: conſtant ergo illa particulis nimis acutis, quæ non ſolùm titillent, ſed pungant quoque & lacerent. Ut ergo gratus ſit ſapor, oportet corpuſcula mediocriter eſſe acuta: ingratus eſt, ſi corpuſcula nimis aſpera vel nimium diducant, vel etiam lacerent plexum organi: unde mixtura humidi & ſicci requiritur; ſic ut ſiccæ partes humore vel ſalivâ ſubactæ ſint, & humor corpuſculis ſiccis non careat: unde lingua nimis ſicca parùm guſtat, & nimis humida ut aqua parùm ſapit. Idem cibus alteri ſapit, alteri deſipit: nimirum ad organum delicati plexûs cibi delicati proportionatè veniunt, craſſiores cum offenſione: craſſior plexus craſſiores cibos dulciùs recipit; prout pueris & fœminis dulcia præplacent, viris & fortibus caſeus & panis gratiora ſunt.

DIES XIX.

Mel, lac, vinum, dulcia ſunt, quia conſtant corpuſculis magis ſubactis & ſphæricis; fuligo, bilis, & ſimilia conſtant ſpinoſis, aſperatis, denticulatis, ideo amara. Poma putreſcentia amareſcunt, quia partes percolatiores exhalant, craſſioribus remanentibus. Vinum aceſcit, quando calore agente ſubtiliores & ſpirituoſiores partes avolant, ſicciores autem rumpuntur, & remanent magis cuſpidatæ. Sapor acerbus ſtupe-

ſtupefacit dentes, quia particulæ nimis acutæ & ſtriatæ gingivam lacerant: cui ſtupori panis recens medetur, quia ſpongioſitate ſua ſtriatas partes ſecum educit. Amara purgare & provocare ſolent, quia vellicant meatus & laxant. Dulcia nutriunt, quia conſtant partibus ductilibus & filamentoſis, quæ facilè accreſcunt. Poteſt angelus guſtum decipere, imprimendo ei affectionem ac immutationem, cujusmodi certum corpus vel alimentum imprimeret: Quod etiam de aliis ſenſibus intellige. Hoc tamen in caſu, non angelum guſtaret homo, ſed cibum, cujus ſpeciem impreſſam ab angelo accipit: unde objectum etiam abſens, vel non exiſtens ſentiri poteſt.

DIES XX.

Colligis facilè ſaporem alium ſuo ſubjecto *proprium*, qualis à talium particularum tali complexione primaria ac ſubſtantiali immediatè provenit, & quo pereunte talis corporis ſubſtantia perit; qualis eſt dulcedo in melle: alium *accidentalem*; qui adeſt aut abeſt ſubſtantia permanente, uti ſapor ingratus vini, quem ex dolio traxit. Collige denique, ſaporem eſſe *qualitatem* merè *modalem*, cum hoc omnia experimenta oſtendant; abſolutam verò nulla ratio ſuadeat, nulla cum effectibus & proprietatibus connexio inferat. Subſtantialem tamen tali ſubjecto eam dici, quæ ſit ſubjecto propria, ex pridem dictis jam conſtat.

DIES XXI.

A ſapore ad *odorem* transgredimur. Odor ita procedit à corpore odorato, ut idem corpus e. g. pomum, dimiſſo odore paulatim flacceſcat, & rugas contrahat. Propagatur autem per medium ſucceſſivè, paulatim, & ferè cum aëre motu, & ſæpe cum halitu, ut in iis, quæ cremantur, oculus videt. Manifeſtum eſt ergo, odorem à corpore odorato diſtingui, cum extendatur per totum conclave, manente in ſuo loco pomo vel rosâ; atque ita manente corpore, abeat odor, ut patet maximè in aqua odorata tepida, quæ frigefacta, dum non ampliùs exhalat, non retinet odorem. Odor igitur mediatè ineſt corpori odorato, immediatè tamen inhæret quibusdam corpuſculis, cum halitu erumpentibus; quæ quatenus ſunt partes ſui ſubjecti, eatenus ſunt odor ejusdem ſubjecti: prout ſcilicet ſunt motiva organi olfactivi, quod ſitum eſt in fibris delicatiſſimis, à cerebro per nares porrectis, qua eisdem corpuſculis ſiccis, certoque modo affectis titillari, & quoddam in tripudium excitari poſſunt, cum analogia ad guſtum hactenus explicatum.

DIES

DIES XXII.

Demonstrant hoc *experimenta*. Nam quia odor per halitum propagatur, sicut sapor per humorem, ideò odor successivè & paulatim diffunditur, dispergitur à vento, emittitur ampliùs à corporibus calidis, minùs ab humidis, nec refringitur nec reflectitur, diutius retinetur in conclavi clauso, humectata soli exposita amittunt odorem, quia tunc halitus magis expirat. Canes venatici vestigia ferarum legunt ex odore; quia corpuscula per pedes expirantes remanent in iis, filamentis aëreis implicata. Gratus odor inhæret particulis organo proportionatis, ipsumque molliter afficientibus; ingratus crassioribus cum mordacitate irruentibus. In gossipio servatur odor, quia halitus filamenta ei implicantur. Ingenioſi dicuntur obtusiore olfactu, quia qui sunt cerebro minùs obstruibili, & multo rheumate laborant. Valent olfactu, quibus fibræ semper manent dociles & spirituosæ, nec alienis humoribus occupatæ. Cætera similia facilè resolvas.

DIES XXIII.

Objicies: odor propagatur in eam distantiam, ad quam halitus non pervenit; Nam vultures ad 200. milliaria dicuntur olfacere: corpus odoriferum manu tractatum retinet odorem, non tamen retinet halitum: odor eucharisticus non fit per halitum, cum substantia desit: Respon-

deo ad primum. Non est necesse, ut halitus ipse sensibiliter maneat: satis est, si eadem corpuscula inhæreant aëri similiter pluminoso & filamentoso: sicut etiam eadem remanent intra rugas & plicas, porosque manuum. De eucharistia paulò post dicamus, quæ sufficient. Collige interim halitum non esse odorem ipsum, sed ejus vehiculum, quale potest esse etiam aër; imò & aqua; cum pisces etiam odorem percipiant. Hujusmodi proinde corpora vehunt corpuscula olfactibilia, quibus immediatè inhæret odor, quæ est *modalitas, resultans ex congerie particularum talis parvitatis, subtilitatis, figuræ, numeri, & consociationis*, ut organum certâ ratione movere ac titillare sint aptæ. Forma igitur *absoluta* hîc pessimè fingitur, quia migraret de subjecto in subjectum, quod permitti non potest; præter ea, quæ aliàs contra hujusmodi formas attulimus.

DIES XXIV.

Restat *sensus tactus*. Omnis quidem sensus ex quinque est quidam tactus in genere & simpliciter, nihilominus sunt quinque hujusmodi tactuum species. Nam visus quodammodo tangitur lumine, sed eo modo, quo nullus alius sensus potest; auditus tangitur aëre tremulo, sapore gustus, olfactus odoratis corpusculis; sed ea ratione, ut nullus sensus alterius objectum, terminare vel vitaliter percipere possit; unde & quinque sunt sensuum species, substantialiter diversæ;

sicut

ſicut ſingulæ ſpecies animalium conveniunt in eo, quod animalia ſint; attamen ſingulæ ſunt ſuæ tantummodo ſpecies. Quintus tamen ſenſus, cum toto corpore diffuſus ſit, & craſſius organum requirat, nomen tactûs ſibi ſpecificum fecit.

DIES XXV.

Organum tactûs eſt quævis pars corporis fibris & nervis talibus conſtans, quibus tenſionem & tractionem recipere, & ad cerebrum propagare poſſit. Hinc non ſentiunt oſſa, ungues, cornua, dentes, quia fibras non habent dociles, ductiles, mobiles, & ad cerebrum tendentes: nec ſanguis, adeps, humores oculorum, medulla cerebri, &c. quia fibras quidem aliquas, & filamentoſitatem habent, ſed eæ non inſtructæ competente ſoliditate & vi reſiſtendi, neque ita cohærent, ut ad cerebrum tendant, eoque tenſionem receptam propagare poſſint. Ex quo non malè videtur inferri, tametſi organum externum impreſſionem ab objecto recipiat in ſe; quia tamen externa organa ita ſunt efformata, ut eandem impreſſionem per tubos & nervos ad cerebrum promoveant; ſenſationem omnem in ipſo cerebro perfici, & coſummari. Certè compertum fuit, cum puellæ ſoporatæ brachium abſciſſum fuiſſet, ſolutam ſomno exclamaſſe, ſe ex digito auriculari dolere; quod ſcil. nervus ille priùs affectus eandem cerebro affectionem impreſſerat, qualis à parvo digito, ſi ſuperfuiſſet, proveniſſet.

DIES XXVI.

Hinc objectum tactûs illud omne eſt, quod tenſionem in nervis cauſare poteſt. Ebrij & furioſi minùs ſentiunt, quia ſanguine, vel aliis humoribus obſtructa membra, & organa minùs facilè tractionem recipiunt. Flatibus interceptis oriuntur dolores capitis & colici, quia nimis diſtendunt fibras. Titillatio gravis eſt iis, qui habent fibras ſubtiliùs textas, ut leni & multiplici motu nimis magna in cerebro agitatio fiat. Formicatio contingit, quando ſtagnante ſanguine exteriores partes frigore obſtupeſcunt, ut nervi ad motum non ſint idonei; ideò non ſentitur applicatus digitus, donec diffluente ſanguine, mobilitas redeat. Febricitantes æſtum & frigus patiuntur; quia craſſior ſanguis arterias capillares claudit, unde venis ſanguine deſtitutis ſequitur frigus & horror; maximè ſpiritibus oppreſſis: Poſtmodum tamen impulſibus cordis magis magisque agitatur ſanguis, ut vi perrumpat; inde æſtus.

DIES XXVII.

Collige objecta tactûs utique per ſe immediatè pervenire ad organa, & non per ſpeciem ſui vicariam; quod etiam de aliis ſenſibus intelligo ſuo modo. Imprimi autem organis ſemper aliquam affectionem, ſive modalitatem, quam ſpeciem impreſſam rectè vocant; ſitam in quadam

dam figura, motione, ſituatione, ſubſultatione, cujusmodi etiam ad cerebrum propagatur; ubi & aliqua talis figuratio remanet ad memoriam. Tangibilitas porrò objecti non eſt aliud, niſi ejus impenetrabilitas terminata & figurata, qua aptum eſt organum tangere: unde angelus non poteſt tangi, nec aliud quidvis, quod penetrabiliter coëxiſtit, licet intimè; prout nec DEUM poſſumus tangere, nec animam noſtram. Denique colligis objectum tactûs eſſe ens abſolutum, nempe corpus, quatenus eſt figuratum, motum & appulſum, calidum, frigidum, humidum, ſiccum, quæ ſupra diximus in quibus ſita ſint.

DIES XXVIII.

Videamus nunc, an *myſterium Euchariſtiæ*, cui à noſtra doctrina Adverſarij tantoperè mecum eſſe corpus mixtum naturale, panem autem mixtum etiam artefactum, & ideo utrumque non eſſe diviſibile in infinitum; ſed diviſione vini deveniri ad ultimum indiviſibile, quod dividi quidem poſſit in ſua miſcibilia, ſed quæ non ſint vinum; panem ſimiliter ad minimum panis, quod ſi dividas, partes diviſæ non erunt panis, ſed farina, aqua, aër, &c. ſive hæc deinceps, & eorum prima materia dividi adhuc poſſit in infinitum, ſive non; hoc enim ad noſtrum negotium nihil omnino facit. Certum

tum etiam est, si minimum sive naturale vini, sive artificiale panis sit ita modicum, ut sensu non possit percipi, illud non esse consecrabile; quia sacramentum est signum sensibile. Unde conficitur, materiam consecrabilem *non constare minimis infinitis*, sed finitis.

DIES XXIX.

Certum proinde est, corpus Christi existere sæpius replicatum sub speciebus, toties scilicet, quot sunt minima consecrabilia in pane; ita ut sub specie panis minima existat totũ corpus, cum sanguine, anima, &c. Porrò quomodo intra singulas totalitates membra Christi existant, penetratè vel impenetratè, extensè vel inextensè, ad præsens negotium nihil attinet inquirere vel explicare, quia impertinens est hoc ad nostram rem: illud tamen apud theologos certum est, easdem totalitates *ad extra* esse extensas & impenetrabiles, sic, ut una totalitas alteram tangat, & cum illa faciat extensionem in longum, latum, & profundum, adeoque ex singulis ita se se contingentibus resultat unum totale extensum & mensurabile, in ea planè magnitudine, in qua existebat panis vel vinum. Denique quia Christus perfectè existit sub titulo panis, & sub specie panis, & sub apparentia panis, ideo necesse est, singulas totalitates esse prorsus eo modo figuratas, & extensivè terminatas, quo modo erant minima panis figurata & terminata; unde totius extensi & complexi

Eucha-

Euchariſtici reſultat eadem planè poroſitas, continuitas, & externa internaque modalitas extenſiva, quæ erat panis, & eadem *ſuperficialis* vel *aſperitas* vel *lævitas*.

DIES XXX.

Ex hoc ulteriùs evidentiſſimè ſequitur, etſi corpus Chriſti ſic miraculosè exiſtat, tamen in ſenſu compoſito talis exiſtentiæ, continuum illud euchariſticum connaturaliter eodem modo planè reflectere lumen, quo reflectebant panis & vinum, & conſequenter *eoſdem* ibi reſultare *colores*, qui reſultabant ex pane & vino: in quo nullum eſt dubium ſuper, nulla difficultas reliqua, dummodò doctrinam de coloribus ſupra traditam probè perſpectam habueris. Similiter minima euchariſtica, quia eodem planè modo figurata ſunt, coordinata, & mixta quo minima panis, ideo cum humore ſalivali delata ad organum guſtativum, ipſum eodem planè modo afficiunt, affricando, titillando, mulcendo, quo minima panis & vini, adeoque eandem ei ſpeciem imprimunt, *guſtationemque* efficiunt: quod quia immediatè faciunt, (cum juxta adverſarios tantùm mediatè Chriſtus id faciat, & per accidentia abſoluta) ideò rectiſſimo in ſenſu, vera ſunt effata ſcripturæ, quod *Chriſtum videamus*, *Chriſtum tangamus*, *Chriſtum comedamus*, *Chriſtum guſtemus*, *&c.* idque eodem prorſus & ita naturali modo, quo panem videmus, vinum guſtamus, &c.

DIES XXXI.

Ulterius quia *odor* ſitus eſt in corpuſculis olfactui proportionatis hærentibus intra poros panis vel in halitu, vel in aëre, quo ad organum deferuntur; quæ corpuſcula vel ſemper ibi hæſerunt diſcontinuata à reliquo pane, ita ut panis ſenſibiliter talis nunquam fuerint; vel etiam fluxu aëris atque ætheris à continuo reliquo abrepta ſunt, ut deſierint eſſe panis: inde fit, ut in continui Euchariſtici conſimili poroſitate eadem corpuſcula deliteſcant, quæ nunquam conſecrata fuerunt, vel conſecrata eſſe deſierunt, ſi quæ à conſecrato jam continuo avulſa ſunt; quæ delata ad organum illud ſimiliter afficiunt, ut panis & vinum; & ſic eodem planè modo *olfacimus Chriſtum* euchariſticum, ſub ſpecie panis & vini exiſtentem, quo modo olfaciebamus panem & vinum. Quid facilius, quid clarius? Rurſus continuum euchariſticum, cum habeat ſimilem reſiſtentiam, cohæſionem, duritiem, aut fluorem, qualem panis & vinum, ſimiliter aërem criſpat, ſi frangatur aut certo modo tractetur, ſimilem ergo *ſonum* efficit, ſimiliter auditur, ſimiliter *tactum* efficit, quo panis & vinum. Quæ omnia non ſolùm ſunt philoſophicè perſpicua, ſed etiam orthodoxè vera.

DIES

SEPTEMBER.

DIES I.

ANtequam claudamus dogma euchariſticum, occurrere hic poteſt unicum argumentum, quod ſolvamus oportet. Dicet enim aliquis cum eandem modalitatem complexivam, texturam, ac poroſitatem inter minima Euchariſtica vel in continuo euchariſtico adſtruamus, quæ eſt in continuo conſecrabili; & in ſimili modalitate, prout eſt primaria & principalis, formam ſubſtantialem conſtituamus, conſequens eſſe videtur, ut in continuo euchariſtico dicamus eſſe formam ſubſtantialem panis & vini, & ideo invincibiliter debeamus fateri, remanere ibi panem & vinum; quia qui adſtruit formam ſubſtantialem corporis, ipſum corpus adſtruet neceſſe eſt. Verum nondum penetravit doctrinam noſtram, qui ſic argumentatur. Non enim diſcernit formam ſubſtantialem ab accidentali, primam à ſecunda. Nam quod Ariſtoteles de anima dicit. eam eſſe *actum primum corporis organici potentiâ vitam habentis*, de quavis forma ſubſtantiali intelligendum eſt; eam ſcil. eſſe primum actum ſuæ materiæ proximæ, non ut habentis jam actu illam formam, ſed ut habentis eam potentiâ: quam prout habet actu, hic ipſe actus, ſicut eſt primus talis materiæ, ita eſt ejus forma ſubſtantialis: per quam mox reſultant plures formæ, vel actus, qui ſunt ſecundi, & ideò accidentales

tali

tali corpori. igitur forma ſubſtantialis, eſt modus corporis, non ut facti, ſed ut fiendi per illam; accidentalis autem eſt modus corporis, ut jam facti per primam. Quocirca plexura figurativa partium corporis Chriſti, per quam ipſum primò eſt tale, ſine dubio eſt ſubſtantialis: ſed hæc non eſt illa, quæ eſt minimorum Euchariſticorum, ex quibus continuum Euchariſticum exiſtit; hæc enim eſt corpori Chriſti, jam in ſuo eſſe conſtituto, accidentalis, & per actionem miraculoſam quidem reſultans; attamen eſt eadem quæ minimorum panis, quæ & ipſa ſunt partes panis jam conſtituti: unde etiam eadem ſunt accidentia continui euchariſtici, quæ ſunt continui panis; & ſicut minima panis jam eſſentis ſunt materia totius continui panis, ita minima corporis Chriſti jam eſſentis ſunt materia totius Euchariſtici. In eo diſcrimen eſt, quod ſenſus ſupponit, totum, quod Euchariſticum eſt, exiſtere per actionem naturalem, ſicut totum panis, & ideò adeſſe quoque formam ſubſtantialem panis; quod ita non eſt: quia continuum Euchariſticum exiſtit per actionem miraculosè converſivam. Ergo textura euchariſtica non eſt eadem, quæ eſt panis, qua panis eſt, & quæ pani ſubſtantialis eſt: eſt tamen eadem, quæ eſt panis, qua panis jam antecedenter panis conſtitutus, accidentaliter & tali poroſitate plexus eſt. hæc ſecunda plexura manet de pane in continuo euchariſtico, prima cedet.

DIES

DIES II.

Conclude, Christum prorsus agere *vicarium panis & vini*, in eorumque locum & vices ita succedere, ut omnia patiatur & agat, quæ ageret panis & vinum : substare quoque eisdem prorsus accidentibus, ita ut hæc in ejus corpore inhæreant sicut inhærerent pani & vino, nec in eo ulla est difficultas, licet aliqua religio videretur prohibere, quo minùs dici oporteat, accidentia Christo inhærere, si absoluta essent. Nam de modalibus etiam absolutistæ id confiteri nihilominus debent : fateri enim debent, corpus Christi durare, ubicari, situari, extendi, &c. sicut panis, si adesset; hæc autem esse accidentia modalia, quis eorum negabit, & eadem inhærere corpori Christi, quod durat, quod ubicatur, quod situatur, & quod est subjectum talis durationis, ubicationis, situationis, quis ibit inficias ? Assumit ergo Christus eadem accidentia, & sub iis, ac per ea apparet, quod ipsissimum est *existere sub specie aliena*.

DIES III.

Unde continuum eucharisticum intra poros suos admittit extraneos humores, & qualiacunque corpuscula, & actiones causarum alterativas, ut humectetur, desiccetur, indurescat, acescat, amarescat, denique consumatur : atque ita corpus Christi nihil horum patitur, ut naturaliter in cœlo existit ; patitur tamen ut Sacramen-

mentaliter existit. Unde nec hoc quidem absurdum alicui visum est, quod Corpus Christi eucharisticũ etiam *corpus nostrum nutriat*. Neque enim ad hoc aliud requiritur, nisi ut stomachus minima Eucharistica resolvat, quo facto desinit sacramentum, & fit chylus, cui tamen materiam dant miscibilia naturalia & elementalia, ex quibus corpus Christi naturale naturaliter constat. sic enim tantummodò nutritio naturalis evenit: ut scilicet vinum naturale & panis resolvatur per stomachi fermentum in sua miscibilia & elementalia, qua resolutione cessat forma vini & panis, ex remanentibus tamen miscibilibus educitur forma chyli, &c. Putabat ergo, materiam primam corporis manentem, deinde subjici formando chylo.

DIES IV.

Quod autem dicat, formâ eucharisticâ cessante per resolutionem, remanere miscibilia corporis Christi naturalia, & prima ex iisque confici chylum naturalem & naturaliter, ex eo movetur, quia non apparet, quare annihilari potiùs debeant illa miscibilia, & nova creari; cum modus assertus sit facilior, & Christo glorioſior, ejusque pietati conformior, denique connaturalior. Deinde hoc est Scripturæ & Patribus conformius. Quare enim communio speciale jus attribuit ad resurrectionem, dicente Christo, *Ego resuscitabo illum*, nisi quia communicans ex ipso corpore Christi vitam traxit etiam corpora-

poralem. Ita de S. Catharina Senensi dicitur, quod sacra communio aluerit ejus vitam naturalem. Ita S. Chrysostomus & alij, communicantes vocant *Christiferos*, *Christo consanguineos*, *concorporeos*. Quare nec hoc indignum arbitratur, materiam à Corpore Christi tractam nunquam consumi in corpore communicantis, sic ut qui frequenter communicant, magnâ parte ex Christi materia constent, dicente Chrysostomo, Christum *commiscri nobis &c.* Hinc oritur condignitas ut corpus tale debeat resuscitari: nec non apparet, quare indignè communicantes *rei* specialiter sint *Corporis Christi*. Neque huic obstat, quod dicitur S. Augustino, dum moralem conversionem commendat Christus, *non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.*

DIES. V.

Quin imò ex hoc potiùs confirmatur assertum; nempe quia materia Corporis Christi manet unita Corpori communicantis, ex eo sequitur, corpus communicantis quodammodo mutari in Corpus Christi, sive ex utroque fieri unum corpus. Unde in confesso est apud omnes, frequentem synaxin etiam *corporalem castitatem* conferre, & sentiunt communicantes, manducationem Eucharisticam etiam gustatum sensibilem, quâdam etiam corporali dulcedine delinire. Nec indecens est, Christum in gloria agnoscere suum corpus, in corporibus glorio-

sis

rioſis Sanctorum quadam ex parte replicatum, quod ad gloriam tum Chriſti, tum Sanctorum mirificè conferet. Ergo etiam in damnatis manebit eadem Chriſti materia, ſiqui communionem in vita perceperant? Non ſequitur: ſed illis, ſicut cœtera omnia dona divina eripientur, avelletur potiùs, & ſanctis attribuetur, juxta illud, *habenti dabitur & non habenti etiam id, quod habet, auferetur.* Sic ille.

DIES VI.

Hæc autem concorporatio ſic permanens erit miraculoſa? Reſpodet; Dicunt communiter, in animali materiam primigeniam & ſeminalem perpetuò manere: quare ergo per circulationem naturalem, ſpeciali modo, non valde miraculosô, directam, materia illa Chriſti eidem materiæ primigeniæ accreſcere, & cum illa conſervari poterit? Certè ſi miraculum hoc appellandum eſt, iſtud ego, inquit, tam rationabile malim admittere, quàm illud alterum otioſum, quo illa materia euchariſtica debeat annihilari, & nova creari. Ad quid iſta multiplex actio annihilativa ac creativa: cum Chriſti corpus non deſinat, niſi per reſolutionẽ in miſcibilia, quæ non ſunt panis & vinum, ſed elementalia horum: ad quid iſta tunc deſtruantur, cum connaturaliùs idem præſtare poſſint, quod præſtarent alia ejuſdem planè ſpeciei, creatione ſubſtituta? Verùm quidquid de hoc ſit, ad noſtram quæſtionem, quæ eſt de formis, id non facit; illam verò nos in noſtra

noſtra via, Deo dante, ſic expoſuimus, ut nihil difficultatis, nihil obſcuritatis remaneat, adeoque plenè diluimus illam calumniam, qua dicunt, nos non explicare myſterium; quod quiſque, cui intellectus eſt, videt. Quod porrò alienarum ſpeculationum eſt, alij dijudicent. Pergamus.

DIES VII.

Nunc porrò videndum eſt, ſitne neceſſaria anima abſoluta in animantibus, ex eo, quod animantia ſentiant æquè ac homo, cujus anima communiter ſentire dicitur. Eſt autem hujusmodi explicatio ſummè neceſſaria propter diverſas hæreſes, quæ viguerunt olim, & vigent etiamnum circa animas brutorum & hominum. Nam animas in principio ſimul omnes creatas fuiſſe ſenſit *Origenes*, *Albanenſes*, *Priſcillianiſtæ*; Non creari eas à Deo *Maſſaliani*; ſed ab Angelis, *Seleuciani* & *Saturniani* dicebant: Factas eſſe ex igne & ſpiritu *Enthuſiaſtæ*, de terra *Seleuciani* volebant: Eſſe corporeas & generari per traducem *Tertullianus* & *Luciferiani* volebant; corrumpi in morte *Trinitarij*, *Albigenſes*, *Samaritani* putabant. Eas tranſmigrare de corpore in corpus, *Albanenſes*, *Elceſaitæ*, *Manichæi*, cum *Tertulliano*; ſeparatas non pati ignem *Trinitarij*; non informare corpus, *Petrus Joannis*; eſſe aut Dei ſubſtantiam, aut ex Dei ſubſtantia *Apocaritæ*, *Brachitæ*, *Dicartitæ*, *Fauſtus Manichæus*, *Gnoſtici*, *Marcioniſtæ* ſomniabant. Eas mori cum

corpore, & resurrecturas, *Arabici*, *Hermannus Risvvich*, *Luciferiani*; animas omnium salvari, corpora omnium damnari, *Georgius David*; Brutorum animas intelligere, cum sint eædem humanæ, *Manichæi* fabulabantur.

DIES VIII.

Quantum igitur anima humana cum substantia corporea similitudinis, dissimilitudinisve habeat, ex ejus operationibus, maximè vitalibus, oportebit colligere. Cum enim actio vitalis sit viventi essentialiter immanens, & ab eo immediatè procedat, utique actio vitæ spiritualis est principij tantùm spiritualis, & actio corporea principij tantùm corporalis. Nimirum actio est *potentia determinata* sive exercitata, ut in *soliloquio* sæpe ostendimus. Potentia verò vitalis est virtus substantialis & essentialis substantiæ viventi, ab eadem inseparabilis, & cum eadem realiter unum quid. Unde siqua actio vitalis nostræ animæ est spiritualis, eandem esse spiritum necesse est; sicut etiam esse substantiam corpoream, siqua ejus actio vitalis est corporea; si qua est partim spiritualis, partim corporea, aut diversarum ejus actionum alia est spiritualis, alia corporalis, eandem esse substantiam partim spiritualem, partim corporalem confiteri oportet.

DIES

DIES IX.

Quia porrò cum orthodoxis nunc agimus, ſupponendum eſt, animam noſtram eſſe mentem merè talem, ſive ſpiritum merum, & nequaquam corporeum ex parte, adeoque nullo in ſenſu proprio & categorico eſſe ſubſtantiam corpoream ſive corpus. Ex quo ſequitur, actiones ejus vitales immediatè & in ſe non niſi ſpirituales eſſe debere. Quomodo igitur nihilominus ſenſitiva eſt? Hoc licet in *Soliloquio* expoſuimus ſtrictim, & tamen fundamentaliter, rurſus tamen hîc vel diductiùs paulò, vel clariùs ex ejus actionibus producamus. Primùm igitur anima ſpirituali cognitione intelligit, quidquid ſenſus attingit, & ipſam quoque ſenſationem intelligit. Intelligit ergo noſtra anima colores, ſonos, ſapores, &c. quatenus eadem homo ſentiendo attingit: & ſimul dum homo ſentit, audit, videt, anima quoque intelligit, ſe ſentire, audire, videre. Quod ſanè fit titulo unionis ejus ad corpus, vi cujus actiones ſenſitivæ animam ad illas intellectiones determinat. Atque ex his patet, etiam ſenſus & ſenſationes intellectiones humanas cauſare, in eaſque influere ſuo modo, quatenus ſcilicet ad eaſdem animam determinat.

DIES X.

Dixi, animam intelligere objecta ſenſuum, *quatenus ea ſenſus attingit*: nam eatenus determinant objecta illa, quatenus ſentiuntur; ita ut ſenſatio ſit determinationis menſura, & prima eorum cognitio ultra ſenſum non exeat. Attamen cognitio animæ in hoc deinde non ſiſtit: ſed occaſione per primam apprehenſionem acceptâ per naturalem ſibi diſcurrendi, unumque ex alio inferendi potentiam, deinde diſcendo, legendo, audiendo, meditando, ſtudendo, earundem rerum intellectionem auget: unde longè latéque vagatur ejus intelligendi capacitas, & ea quoque, quæ ſenſibus ſunt impervia, obſcura, caliginoſa, diſtantia, futura, ſpiritualia, ſupernaturalia, divina, cogitando aſſequitur: quatenus anima vel ab aliquo docente inſtruitur, vel ſuâmet libertate ad inquirendum determinatur: alioquin certè non eſſet diſcrimen inter doctos & rudes, quin & inter homines & belluas, noſque nihil profeciſſemus, dum nuper objecta ſenſuum explicavimus.

DIES

DIES XI.

Sicut dicto modo *ſenſatio* determinat *ad primam ſenſibilium cognitionem*, ita eadem immediatè determinat *ad motum appetitûs corporei*, & hoc mediante ad *affectus animæ ſpirituales*. Quod moveat ſenſatio ad appetitum, patet experientiâ, qua diſcimus, ſimul atque videt famelicus menſam cibis inſtructam, eum eoſdem cibos expetere. Magis evidenter in brutis id patet. Homo autem & brutum in animalitate ſecundùm genus conveniunt; ergo & in actibus animalibus, qui ſunt ſenſatio & appetitio. Quod autem per appetentiam corporalem moveatur anima ad affectus analogos ſpirituales, patet ſimiliter experientiâ. Nam famelicus incipit cogitare, quomodo cibis illis perfrui poſſit, eoſdem deſiderat, expectat, poſtulat; idque liberè, quia poteſt etiam aſpernari eoſdem, & nolle comedere; adeoque affectus illi ſunt ſpirituales ipſius animæ. Quod fiant hæc movente appetitu corporeo, ſimiliter patet. nam cui ægrum eſt corpus, ut corporea appetentia deſit, is etiam ſpirituales affectus proſecutivos nullos experitur. Atque ita appetentia corporea cauſat affectus ſpirituales ſecundùm eorum inchoationem, licet poſtea anima pro ſua libertate poſſit illos continuare, promovere, augere, vel etiam excutere, opprimere, & oppoſitos ſubſtituere, ſicut ferè de intellectionibus diximus.

DIES XII.

Neque ſolùm materiales actiones in homine excitant ſpirituales modo dicto ; ſed etiam *ſpirituales excitant materiales* ; putà cognitiones movent ad ſenſationes ; non ſolùm quatenus imperatur applicatio ad organum, ſicut aperire poſſum oculos ad videndum, movere pedes ad explorandum ; ſed etiam immediatè ad ſenſationem internam, phantaſiativam, imaginativam : quod certè ex eo patet, quia etiam objecta merè ſpiritualia non poſſumus intelligere, niſi modo phantaſtico, & per ſpecies, ut ajunt, phantaſticas. Similiter affectus merè mentales excitare ſolent ad paſſiones ac appetentias corporales. Dum enim liberè immoror deſideriis edendi, ſentio in me moveri orexin quoque corpoream, cum moleſtia quoque corporea ; dum autem oppoſitos affectus exerceo, ceſſant & motus appetitûs corporei : in quo & lucta conſiſtit & exercetur inter carnem & ſpiritum ; & qui non ſic luctantur, carnales dicuntur, animales, & peccant. Atque hæc eſt naturalis potentiarum ſpiritualium & corporearum in homine, titulo unionis, conſociatio ac mutua dependentia, cui tamen libertas animæ quoad actus deliberatos & ſecundos moderamen adhibet.

DIES

DIES XIII.

Dixi, hæc ita fieri quoad actus primos, *titulo unionis*. Unde anima separata non ita, sed eo modo ferè intelligit, quo angelus. Angelus autem objecta quidem sensuum ipse utique, & meliùs quàm anima unita, intelligit; non tamen dependenter à sensu; quia non sentit, non videt, non audit. Unde nec movetur objectis sensuum ad appetentias materiales, nec per has ad affectus spirituales; licet alioquin affectibus spiritualibus prosecutivis & adversativis minimè careat. Habet se ergo angelus & anima separata ad objecta materialia vel sensualia cognoscenda vel expetenda, sicut qui videt in tabula vivacissimè depictum aliquod convivium regis Asveri vel Salomonis: anima autem unita habet se ut ipse conviva, qui mensæ assidet: hic enim reipsa experitur, gustat, videt, audit, quæ ibi oblectant; ille merè speculativè cognoscit, & absq; fruitione oblectatur, rerumq; proportionibus spiritualiter gaudet.

DIES XIV.

Fieri etiam nullo miraculo vel Dei ordinatione potest, *ut angelus sentiat*, audiat, videat, corporaliter appetat. Nam juxta orthodoxam veritatem est merus spiritus, nullo modo corporeus; & ideo non potest habere potentiam ullâ corporeâ. Tametsi enim ipsa actualis actio sit accidentalis suo subjecto; tamen potentia & virtus activa est substantialis & essentialis subjecto, & realiter indistincta à subjecto, sic, ut ab eo separari non possit. igitur potentia corporea non potest esse nisi cor-

corporis & corporea; potentia autem ſpiritualis non poteſt eſſe niſi ſpiritûs & ſpiritualis. Cum igitur potentia ſentiendi ſit potentia corporea & animalis, iſta nulla ratione poteſt competere Spiritui, quia aliàs ſpiritus ſimul eſſet & corpus. Actio porrò non eſt aliud, quàm ipſa *potentia determinata* & actuata; ubi itaque potentia non eſt, non poteſt eſſe potentia determinata & actuata: igitur nõ poteſt in angelo eſſe potentia, videndi, audiendi, tangendi, vel ullo modo ſentiendi, & cõſequenter neq; actio viſiva, auditiva, tactiva &c.

DIES XV.

Æquè parùm fieri poteſt, ut *anima bruti*, etſi eſſet ſubſtantia abſoluta, *intelligat*. Etenim apud orthodoxos, quibuſcum hîc ago, certum eſt, talem animam nulla ratione eſſe ſpiritualem, vel ſpiritum, ſed eſt merè corporea: quàm parùm autem potentia corporea poteſt competere ſpiritui, tam parùm potentia ſpiritualis, qualis eſt intellectiva, poteſt congruere ſubſtantiæ corporeæ, adeóque nec actio. Neque dicas, brutum vel animam bruti non intelligere propriè per actionem ſpiritualem, ſed tamen cognoſcere *cognitione* quadam *materiali*, quæ ſit media inter ſpiritualem & corpoream. Sed hoc chymæricum eſt. Nam ſicut ſubſtantia adæquatè dividitur in corpoream & ſpiritualem, ita ut nulla ſit media; ita actio corporis & ſpiritûs, ut ſic adæquatè dividitur in corpoream tantùm & ſpiritualem tantùm, ut media eſſe non poſſit. Nempe cognitio eſt actio vitalis, & ideò eſſen-

essentialiter immanens,& elicita ; ex ipsa substantia immediatè procedens, cum sit ipsa *substantialis potentia determinata* & actuata vel exercitata : substantia enim exercet id,quod in se habet, nimirum suammet potentiam, quæ realiter eadem est cum ipsa ; & ideò fieri non potest, ut potentia ejus aliqua sit medium quid, vel aliud quid quàm ipsa sit.

DIES XVI.

Sequitur hinc, *animam nostram posse* immediatè, elicitivè, per se ipsam, sive per potentiam suam substantialem & sibi propriam ac naturalem, *exercere sensationem*, ita, ut per se ipsam sentiat, videat, audiat. Nimirum ipsa in se est merus spiritus, mera mens, nullo modo corpus, ergo nulla ejus potentia substantialis, vitalis, immediata, potest esse corporea : ergo nec aliqua ejus actio talis esse potest, cum actio non sit aliud nisi *potentia determinata* & exercitata : cum ergo sensatio sit actio tantùm materialis & merè animalis, implicat eam posse esse ipsius animæ. Deinde alioquin anima separata sentire posset, cum omnes suas potentias ipsi substantiales, intrinsecas, essentiales, propriasque in statu separationis retineat, ita, ut liberè velit & intelligat. Denique ad sensationem requiritur, ut subjectum sentiens speciem impressam,quæ sita est in quadam titillatione, affrictione, figura, tensione, pressione, recipiat ; quam nequit recipere spiritus, cum tangi non possit. Anima tamen unita

influit in sensationem? Concedo, sed non ideò, sensationem ipsa in se elicit, de quo paulò post plura. Atque hæc etiam angelo, vel DEO applica. Certè si anima immediatè eliceret & intellectionem & sensationem, ipsa simul esset spiritus & corpus, quod sequitur ex dictis, & est hæreticum.

DIES XVII.

Sed ut hæc omnia distinctiùs adhuc & evidentiùs appareant, ipsam actionem sensûs quid rei sit, penitiùs excutiamus. Quid igitur rei est actio bruti animalis & corporea sive sensûs, sive appetitûs, quia spirituale quidpiam esse non potest. Quod si omnem nostram experientiam consulamus, in omni illa actione nihil deprehendimus aliud, quàm *organorum & partium* quandam *figuram, motum, situationem, dispositionemque localem.* Nempe in hæc resolvitur, quidquid est mirabile in brutis, sive actiones eorum naturales, sive artificiales attendas: in his consistit avium cantillatio, nidificatio, pullorum educatio, equorum saltus, canum lusus, & quidquid hujusmodi est. Quamvis fatendum sit, eadem omnia proficisci à quadam facultate interna vel naturaliter insita, vel consuetudine & inculcatione hominum eis impressa, ut sit eis vera quædam memoria, sive hæc in ipsa constructione cerebri, sive in anima absoluta, eam hærere & remanere dicamus.

DIES

DIES XVIII.

Memoria quidem & artes absque dubio externorum sensuum subsidio acquiruntur; discit enim canis saltare, postquam frequenter audivit vocem heri eum instruentis, vidit ejusdem actiones ei ostensas, gustavit bolos, si rectè expresserat, excepit fustes si malè. Igitur memoria hæc aliud non potest esse, nisi quod per sensus externos ad internum deductum fuit. Sensibus porro nihil aliud imprimitur, nisi quædam *modificatio figuræ*, motûs, situationis, & hujusmodi habitudinis, fibrarum & partium organi, ut supra ostendimus: nihil enim aliud lumen in oculo, nihil aliud sonus in aure, nihil sapor in gustu, nihil in olfactu odor, nihil in tactu res tangibiles facere & imprimere possunt. Quia autem per nervos hujusmodi modificatio organi externi ad cerebrum usque propagatur, possumus facilè existimare, in eodem cerebro imprimi quosdam fissurarum characteres & notæ ac signa iis quodammodo similia, quæ transibant per organa externa, quas species appellamus, & res sensibus externis objectas repræsentant.

DIES

DIES XIX.

Hujusmodi notarum analogiam habes in *figura ceræ* per sigillum *impressa*, vel potiùs in characteribus literarum in charta scriptarum, quæ variâ compositione variam & miram rerum omnium significationem continent, æquè ut notæ memoriales: quas & valdè exiguas esse oportet, quod aliquis non magnus cerebri tractus, vel nervorum apparatus sat capax, in homine præsertim esse possit. Circa quem indirectè observo, easdem figuras pro diversa tum sensuum externorum tum internorum & cerebri structura aliter & aliter figurari, imprimi, combinari. Nam qui semper cœcus fuit, alias planè species habet animalium, plantarum, fructuum, ciborum, & aliarum rerum expressivas, utique multò imperfectiores, quàm oculatus. Sed de brutis modò agere pergamus.

DIES XX.

Præter hujusmodi signa memorativa & arte vel usu acquisita, insunt etiam brutis quædam hujuscemodi *ideæ congenitæ*, & substantiæ ipsorum seminali, ut videtur, ab auctore naturæ primitùs inditæ ac implantatæ; vi quarum diriguntur ad certas singulæ actiones, artes, propensiones, appetentias. Sic norunt aviculæ construere sibi nidos, vulpeculæ dolositates exercent, feles infectantur mures, lupi oves, &c. Nimirum

rum quælibet res exiſtens inclinat ad retinendam exiſtentiam ſuam; & quia aliud alteri bonum, aliud alteri malum eſt ad exiſtentiam conſervandam, ideò aliud cum aliquo ſimilitudinem expetit, & ſympathiam exercet, aut diſſimilitudinem affectat, ac antipathiam agitat. Atque hujuſcemodi antipathicæ ſympathicæque affectiones interdum remiſſiores, interdum intenſiores ſunt, interdum planè otioſæ quieſcunt. Sic gallina dum pullos nutrit, aliam planè naturam oſtendit, non niſi verno tempore cantillant & nidificant aves &c. prout megacoſmi alia conſtitutio & alia agentia, aliam diſpoſitionem alterativamque corporibus imprimunt. Nec hujuſcemodi characteres ideales hominibus deſunt, prout fœminas prægnantes mutari, & diverſis gentibus diverſas proprietates, alias quoque pueris quàm ſenibus ineſſe conſpicimus.

DIES XXI.

Hujusmodi mutationes fiunt etiam circa ſpecies memorativas. Nam eædem aliquando ſunt excitatæ, & vim ſuam actu exerunt, aliquando velut conſopitæ otioſæque manent: aliquando turbantur, irritantur, inſoleſcunt, uti in furioſis & in rabiem actis; aliquando langueſcunt, ut in famelicis vel ægrotantibus. Atque *excitationes* hujusmodi *ſpecierum* fieri ſolent, vel per ſumptionem alimenti melioris, ut in equis & canibus patet, quia tunc humores

&

& ſpiritus agitantur ; aliquando per novum exercitium ſenſuum externorum, uti dum canis leporem videt, & equus heri popiſmos audit; tunc enim nova ſpecies impreſſa antiquam relictam excitat, intendit, confortat, reficit: aliquando caſu & fortuito, dum humores corporis ampliùs agitati, aut ſpiritus vitales vel animales propulſi alliduntur ad fibras figurarum illarum atque idearum bajulas ; ſicut etiam dormientes canes ſomniant fuſtes aut panes. Unde patet, hujusmodi excitationem eſſe motionem localem, & fieri per impulſum advenientis vel vicini corporis irruentis, urgentis, trahentis, &c.

DIES XXII.

Eadem ſpecies impreſſa, tam memorialis & acquiſita, quàm ingenita, *potentias motrices & executivas determinat ad motum*, quo bruta & averſantur malum, & bonum proſequuntur. Quod ita fiat, experimur quotidie: quia juxta dictamen talis ſpeciei bruta omnia agunt, currunt, volant, cantant, clamant, bibunt, edunt, &c. Potentiæ autem motrices conſiſtunt in muſculis, tendinibus, fibris ; quorum principium eſt in cerebro. Et licet motio illa in principio ſit inſenſibilis præ parvitate, ſicut poteſt fieri minor & minor in finitum, juxta dicta & demonſtrata 23. Martij ; in progreſſu tamen per organa mechanica in corporibus diſpoſita creſcit, & fit admodùm vehemens, prout animalia

malia majora majoribus organis instructa sunt. Porrò eædem potentiæ motrices simul sumptæ, prout ordinatæ sunt ad bonum animalis prosequendum, & ad malum aversandum, sunt eædem quæ potentiæ appetitivæ, vel appetitus. Cum enim appetentia boni, & fuga mali, in bruto nequeat esse actio spiritualis, sed materialis & corporea, quid appetentia hæc aliud esse potest, quàm & promotio ad bonum, & remotio à malo?

DIES XXIII.

Patet ex dictis, quid sit *sensatio externa*, quid *interna*, quid *appetitus*, & quid horum *vitalitas*. Nam sensatio externa est affectio illa sive species aut modificatio grata vel ingrata ab objecto extraneo organo impressa, *prout* eadem *ad cerebrum propagatur*: ut sensatio non sit illa species oculo bovis e. g. à capite bovis revulso impressa, qui adhibetur pro lente vitrea ad cameram obscuram, quia oculus speciem illam sustinens non continuatur cum cerebro: nec sentiunt apoplectici contactum in brachio, inter quod & cerebrum via nervorum obstructa est. Sensatio interna est similis species organo interno inhærens, *prout movet fibras & nervos sive potentiam appetitivam* circa bonum & malum animalis. Potentia verò appetitiva est *organum sic mobilium & motivorum consociatio* vel coordinatio, per corpus animalis disposita,

posita. Vitale dicitur, *quod cum vita conjunctum est*: vita est *potentia immanenter agendi ad perficiendum agens*: vivens, *quod actionem perfectivam exercet in se, & patitur à se.*

DIES XXIV.

Vitâ spirituali vivunt DEUS, angelus, anima; quia intelligendo verum & amando bonum se se ad intra perficiunt: est enim vita spiritualis *potentia spiritualis perfectiva sui subjecti.* Vivit animal sensu externo, non quatenus merè ab objecto recipit speciem objecti; sed quatenus eandem speciem acceptam in se promovet & ad cerebrum transmittit; sic enim agit & patitur. Vivit sensu interno, quatenus vi ejusdem speciei commovet in se appetitum & potentias motrices. Vivit appetitu, quia per eum actu se ipsum promovet ad bonum, & removet à malo. Vivit planta, quatenus per varia organa se promovet ad incrementum. Non vivit ignis dum crescit, neque aqua, dum se ad frigus reducit: partim quia non sunt corpora organica, partim quia ignis non agit in se, neq; enim se calefacit, neq; illuminat, & materiam solam juxta positam inflammando augetur: aqua autem non agendo, sed potius ab actione cessando infrigidatur, cum frigus in quiete consistat.

DIES

DIES XXV.

Corpus Christi *eucharisticum*, cum non habeat partes organicè extensas & continuatas, non potest ab objecto sensibili ullam figuram aut speciem recipere, nec talem propagare, nec motum appetitivum exercere, & ideo nullam actionem organicam vel animalem exercere; atque ideo existit modo mortuo. Non ergo, inquis, gloriosè existit? Respondeo, haud dubiè ad existentiam glorioſam connaturalem & perfectam, requiritur quoque potentia expedita ad actiones corporeas animales & vitales; existit ergo Christus planè & perfectè gloriosè in cœlo, ubi habet omnes potentias expeditas; sed in Eucharistia tantum gloriosè secundùm quid, quatenus scilicet etiam ibi est immortalis & impassibilis, cum carne simul & sanguine, anima & divinitate, simulque in potestate habet, se in statum connaturalem restituendi. Ergone Christus non habet corpus ibi organicum & humanum? Habet sanè non in actu perfecto, sed tamen potestate: habetque ibi corpus humanum, & corpus suum, sed modo mortuo existens, sed impotens ad animaliter operandum, sed tanquam agnum mactatum, occisum, & tamen vivum eatenus, quatenus animæ unitum.

DIES XXVI.

Quia ex dictis constat, omnem actionem animalem, sensûs & appetitûs, contingere per motum localem, oportet bene apprehendere, quæ 2. *Februarij* dicta sunt, motum scil. localem coalescere ex duabus actionibus partialibus in unam totalem: alterâ creaturæ determinantis, alterâ creatoris creantis. Certè nec plus requiritur ad motum naturalem, nec minus sufficit. Necessariam esse creationem quovis instanti omnis Christianitas fatetur: quia ejus est identidem conservare creando, cujus erat primùm creare: & quia indifferens est DEUS ad conservandum vel in eodem puncto rem quiescentem, vel per diversa loci puncta fluentem, ideò determinari ad hoc debet. Potest quidem DEUS rem suamet determinatione de loco in locum reproducere, vel etiam absque locali mutatione per medium in alio termino ponere: Sed posterior actio non erit localis at replicativa productio, prior erit localis promotio, sed non naturalis. Ut ergo naturalis sit, utrumque requiritur: nec ergo plus requiritur, nec minus sufficit, ideoque utrumque requiritur. Determinatus est DEus ad creationem [in quiete per hoc ipsum, si nihil ad motum determinet.

DIES

DIES XXVII.

Ad motivam creationem determinat quicunque *contactus* vel impulsus, tractivus aut pressivus, vel trusivus corporis moti, *quod saltem sit æquè grave, ac corpus movendum.* Etenim etsi lapides in eodem muro se se contingant, non tamen determinant ad motum; quia tangens non movetur, & ideo non fit impulsus. Neque pluma cadens in lapidem cum movet, quia nimis est levis. Nimirum ita Creator constituit, ut neque simile in simile, nec minùs forte in fortius agat. Necesse est ergo, ut agens passo prævaleat, & vel pluribus constet partibus in majorem gravitatem consolidatis, vel saltem totidem, ut æquè grave sit; tunc enim saltem ex eo prævalet, quod ipsum moveatur, & sic irruat in quiescens. P. Honoratus Fabry impetum ponit pro accidente absoluto: sed nihilominus hic impetus determinativè solùm concurrit ad motum: ut idem accidens planè superfluum sit, cum determinatio eo modo, quo diximus, omnino fieri debeat ac possit, à re corporea.

DIES XXVIII.

Etiam spiritus movere potest vel spiritum alium, vel corpus: Neque tamen & hic actionem aliam præstare potest, quàm determinativam, ut patet. Determinativam verò actionem exercere non potest per contactum impulsivum, cum hujus planè sit impotens, utpote penetrabi-

lis. Unde eam exercere debet per aliam potentiam ſibi naturalem, quæ certè eſt *volitiva*, qua ſe ipſam quodammodo ſecundum analogiam impellit & movet ad alteram. Sic ergo angelus volendo movet tum ſe, tum aliud vel corpus vel ſpiritum, quatenus DEUM determinat ad ſimilem reproductionem localem: quatenus ſcil. angelus ad hoc volendum jus habet ab auctore naturæ acceptum ſive permiſſum. Non enim angelus damnatus jus habet ac potentiam aſcendendi ad cœlum Beatorum, aut exeundi ex inferno, ſi ad illum relegatus fuit, aut ex eremo, ſi ad aliquam per exorciſmos damnatus eſt: habent autem jus aliquod tumultuandi in terra, quibus permiſſum eſt. Sic etiam Beatis angelis non licet omnia loca pervadere: ſed qui habet claves inferni, ei ſpeciatim illa loca inviſere datur, ita qui præſidet mari, ſtellis, ſoli, lunæ, &c. ei ſpeciatim ibi reſidere permiſſum eſt. Prout ergo quisque habet jus volendi, ita habet potentiam movendi.

DIES XXIX.

Anima humana cum ſit ſpiritus ſimili cum ſpiritibus modo, ſuum corpus movet, *volendo* ſcilicet: Dum enim homo vult, movet manus, pedes, oculos, linguam, pulmones. Quamvis id non fiat volitione ſolâ & merâ, ſicut de angelis dictum, ſed concurrentibus organis corporeis. Nimirum dum anima vult, etiam intelligit quod vult: dum intelligit, etiam ſentit, & ſimul moventur

ventur fibræ cerebrales ſpecierum bajulæ, *juxta dicta die 12. hujus*: ergo & potentiæ motrices & executivæ cientur, nervique motorij ac muſculi. Præter hos tamen motus, quos *voluntarios* medici vocant, ſunt alij *involuntarij*, quos naturales appellant, eò quod pendeant non à voluntate hominis, ſed ab organis & partibus, vel etiam extraneis corporibus ad motum determinantibus. Hujusmodi ſunt motus cordis, diaphragmatis, inteſtinorum periſtalticus, conſtrictio ſtomachi, actiones nutritivæ, expulſivæ, &c. Non enim volendo poſſumus hujusmodi motus promovere, vel ſiſtere, vel corrigere: quia etſi velimus & intelligamus, excitenturque ſpecies eorundem, fibræ tamen illarum ſpecierum bajulæ non ſunt connexæ cum hujusmodi motuum principiis, organis, ac fibris, ut eas ad motum contingendo vel trahendo determinent.

DIES XXX.

Atque ex his evidens eſt, animam noſtram ad nullum motum poſſe determinare, niſi ad eos, qui voluntarij dicuntur; nec id aliter poſſe, quàm volendo. Videlicet omnis motus à corpore cauſatur tantùm per contactum, & à ſpiritu, qui tangere non poteſt, per voluntatem, ut nudius tertius & quartus dictum eſt. Certè ſi anima noſtra poſſet contingere & movere corpus ſuum per impetum, poſſet ſibi vel corpori ſuo mederi, ordinare ac diſponere inteſtina, conſtringere viſcera ac laxare, purgare, ſanare: poſſet ſuum

corpus attollere in altum, & homo volare, &c. Quorum cum nihil possit, remanet, eam non posse ullo modo suum corpus & se quoque movere per contactum, ut corporibus competit; neque volendo aliter, præterquam quomodo & de quibus dictum est. Valdè itaque hallucinantur, qui dicunt, animam, ordinatione DEI, ut loquuntur, concurrere ad motus etiam involuntarios, & ad actiones vegetativas: cum *nulla creatura ad motum aliter concurrat, quàm determinativè*; DEUS autem aliter nihil ordinavit, quàm ut concursus ille determinativus fiat à corpore quidem per contactum impulsivum, à spiritu autem per volitionem cum jure: neque enim est alia actio spiritûs, quàm intellectiva & volitiva; locomotiva, quæ à voluntativa distincta foret, fingitur absque causa, & contra experientiam in homine.

OCTOBER.

DIES I.

COncludamus, quæ præcedente mense dicta sunt. Sicut *actiones* in homine *sensitivæ & animales causant intellectiones & volitiones mentales, actione solùm determinativa, non elicitivâ*; ita vicissim actiones animæ *mentales causant in corpore actiones animales & sensuales solùm determinativè, non elicitivè.* Sunt proinde utræque actiones vitales homini, quia ab homi-

homine immanenter procedunt: non tamen, si distinctè loquendum sit, mentales sunt vitales corpori, sed tantùm animæ; quia ab hoc immanenter prodeunt: nec animales sunt vitales animæ, sed tantùm corpori organico, in quo solo immanenter fiunt. Neque enim anima in suâ substantia continet potentiam sensualem ac animalem, neque corpus in sua potentiam mentalem. Quod immediatè per se & formaliter intelligit, anima est, quod immediatè, per se, & formaliter sentit ac appetit, corpus organicum est; utrumque homini tanquam uni ex corpore & anima subsistendi tribuitur; juxta illud, *sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.*

DIES II.

Vides nunc, *quomodo anima rationalis sit sensitiva:* quatenus scilicet per actus animales ipsa ad intellectiones determinatur; quatenus eosdem actus animales ipsa experitur intelligendo, & experiendo intelligit; quatenus eosdem actus determinando causat, ordinat, dirigit volendo; quatenus denique ipsa totum hominem facit sentiendo & appetendo vivere, tanquam corporis forma ac præses. Non autem eo sensu ipsa est sensitiva, quasi actum materialem ipsa de sua substantia immediatè producat sive eliciat: cum ipsa ceu spiritus neque figuram intra se admittere, neque adeò speciem ab objecto impressam re-

cipere possit; neque ullam potentiam agendi vitalem ac materialem in se habere possit. Sicut denique corpus causat quodammodo actiones mentales animæ, tamen ipsum non intelligit: ita anima causat quidem, sed ampliore & perfectiore modo, actiones animales, ideò tamen ipsa propriè non sentit, sensitiva tamen rectè dicitur, licet corpus ideò intellectivum dici non soleat, nec debeat.

DIES III.

Anima bruti siqua absoluta substantia materialis esset, *non posset esse causa sensationum & appetentiarum, & quarumvis actionum brutalium.* Nam hujusmodi actiones non sunt nisi motiones locales, & per tales inchoantur, perficiuntur, continuantur, consummantur: substantia verò talis corporea motus locales exercere non potest. Deberet enim id facere per actionem solùm determinativam, nimirum per contactum organi, vel volitione. Posteriore modo non potest; quia substantia merè materialis non habet potentiam volendi & intelligendi, ut anima nostra: priore quoq; modo non potest; quia, cum sit naturaliter penetrabilis, non potest sua organa contingere, æquè uti non potest anima spiritualis. Frustra autem dicitur id eam posse per ordinationem divinam: quia non potest ostendi, quam aut qualem actionem talis formæ DEUS ordinaverit ad hoc, ut DEUM determinet; cum nulla alia actio ad hoc ordinata sit, præter contactum

&

& volitionem, atque ideo illa ſubſtantia nihil omnino præſtat ad motiones tales: fingere, cujus nulla eſt experientia, non eſt Philoſophi.

DIES IV.

Ex dictis facile eſt exiſtimare, *undenam profluxerint errores hæreticorum circa animas.* Quia enim videbant hominem & brutum eodem modo ſentire, & eisdem appetitûs motibus agitari, eorumque actuum principium immediatum in homine ſupponebant eſſe animam rationalem, ideò concludebant, in bruto eſſe animam vel ſpecie eandem, vel certè ſimillimam animæ humanæ: hinc ergo ex eo, quod bruti anima aliquibus videbatur eſſe corporea, etiam humanam talem eſſe ex ſubtili quadam materia arbitrabantur; vel contra, quia aliis anima rationalis videbatur eſſe ſpiritus, etiam brutalem ſpiritualem inferebant: Sed error erat in ſuppoſito, quo ponebant, eaſdem actiones in homine immediatè & elicitivè procedere ex ipſa ſubſtantia animæ, ſicut & in bruto tale principium ſupponebant. Non enim in homine proveniunt illæ actiones immediatè & elicitivè, etſi determinativè vel directivè, ab anima: immediatè verò veniunt ab organis, quæ tamen ſunt potentiæ animæ, organicæ, & materiales, realiter ab anima diſtinctæ, ut D. Thomas fatetur; unde nec in bruto alio principio immediato opus eſt. Quæ adeò vera ſunt,

ut nec possit quidem etiam per miraculum aliter fieri.

DIES V.

Quomodo autem illæ potentiæ ad hoc sufficiant (quæ potentiæ dicuntur in homine animæ rationali subordinatæ, in bruto ipsæ sunt anima, quia ipsæ sunt ultimus talis corporis subsstantialis actus, nulli alteri subjacentes) quomodo inquam sufficiant, facilè colliget, qui quid rei sit sensus & appetitus, plenè & genuinè conceperit. Admirando enim infinitæ sapientiæ argumento creator mundi à principio complexuit rerum seminales quasdam ideas, similitudines, habitudines, figurasque & formas primordiales, quas rerum & corporum materijs indidit, eâ ratione, ut actionibus corporeis mediantibus se se aliæ exercerent atque perficerent, aliæ alias abolerent & in sylvestrem quandam ruditatem degenerare facerent; aliæ alijs se sociarent, aliæ alijs inimicæ essent & earum consortia fugerent. Sic *quidam sensus & appetitus rebus etiam inanimatis ineſſe* notatur, & quædam prosecutio boni, ac adversatio mali. Ita argentum vivum metallis sociatur, non lignis & lapidibus: ab oleo cucumis avertitur & intorquetur, ne ei appropinquet: ficus ex arbore cadunt, si eam lapis ætites tangat; lilia agri crescunt cum farre, non cum hordeo & avena, & similia profectò multa.

DIES

DIES VI.

Viſæ ſunt ambulare feſtucæ ſtraminis, pedibus eisdem adnatis: minutiæ pulveris & caſei in plantulas primùm, deinde in beſtiolas tranſeunt: videbis in pratis vim infinitam animalculorum ex graminum & foliorum cuſpidibus factorum, quorum adhuc color viridis cum alia corticis ſimilitudine originem repræſentant: videbis erucarum & vermium genera ita ex plantis genita, ut ſecundùm partem adhuc plantis plantæ ipſæ adhæreſcant, utpote ramuli & ſurculi, ſecundùm partem autem jam moveantur & ſentiant: crines humani, ſi quando ſole ſplendente & ſimul pluviâ cadente madefiant, nullis alijs organis acquiſitis, animam ſenſitivam acquirunt, prout ipſe unum vidi Herbipoli multis præſentibus, ad longitudinem ſemipedis, jucundiſſimè viſu ſeſe vermis aut longiſſimi ſerpentis inſtar, volutantem & glomerantem. Quid igitur in his rerum metamorphoſibus fieri putandum eſt? Nihil aliud ſanè, quàm quod corpus imperfectius adhuc, quadam ratione tamen ad perfectioris complexionem accedens, percolatione cœleſti, & ruditatem paulatim dimittat, & ſubtilitatem auctâ cœleſti ſubſtantia acquirat, ſic ut ideam impreſſionemque ab extra ſuſcipiat, in ſeque motum appetitivum exerceat.

DIES

DIES VII.

Analogiam quandam habe in cera & luto: nam illud ubi induruit, non eſt capax figuræ à ſigillo recipiendæ, fit autem capax, ubi incaluerit; iſtud verò ubi humore ſubactum fuerit, jam à figulo cujusvis vaſis formam ſuſcipit. Sic capillus e. g. habet quidem in ſe nonnullam ramoſitatem, ac vibroſitatem, partesque utcunque ſimiles ijs, quæ ad ſentiendum ſunt requiſitæ: ſed omnia hæc ita craſſiore materiâ ſunt involuta, implexa, intercepta, ut vegetationem quidem exercere, ſed non ſenſationem poſſit, ubi verò cœleſtis ignis ſuam operationem applicuerit, ut rudiores partes vel dividantur vel educantur, infundatur autem ſucculentia & fluiditas competens, paulatim aſſimilabitur corpori ſentienti, ſic ut ſaltem ſenſum tactûs concipiat, & à tactivis ſpeciem tactilem recipiat, eaque receptâ determinetur ad motum, quo ad ſuum bonum ſe vertat, & avertat à malo, quod diximus quodammodo etiam non viventibus, vel non ſentientibus competere.

DIES VIII.

Corrigenda itaque nobis eſt phantaſia noſtra, qua perſuaſũ habemus, *bruta quodammodo cognoſcere ea, quæ agunt.* Non eſt ita: hoc quidem in homine fit, cujus anima intelligit omnia, quæ

per

per ſenſus & appetentias animales in ſuo corpore fiant, quibus & præeſt tanquam omnium moderatrix & domina. At bruta non ita: non intelligunt, neque cogitant quidquam: agunt, & neſciunt, quid agant: comedunt, & non cognoſcunt ſe comedere; currunt, canunt, vociferantur; non ſciunt tamen, ſe horum aliquid agere: ſaltant & artes exercent quales quales; non tamen omninò cogitant quidquam quid aut quare agant. Merus & mirus tamen eſt impetus, quo per ſpeciem aut figuram ab extra acceptam determinantur ad ſimiles motiones illis planè incognitas, nobis admiratione digniſſimas.

DIES IX.

Quid igitur cauſæ fuit, cur auctor naturæ tam admirandas actiones à brutis animantibus nobis exhibere voluerit? Tu diſce exinde ejus ſapientiam, potentiam, bonitatem. Non ſine cauſa S. Antonius & alij Patres *mundũ corporeum librum appellavit*, quem nobis identidem vivis vocibus prælegit æternus Magiſter: ex quo gradatim per imperfectiora ad perfectiora cognoſcenda deducimur. Mirabilis liber eſſet, cujus literæ, ſyllabæ, voces, propoſitiones eſſent totidem vivæ voces, nobis ſapientiam perpetuò reſonantes. hujuſmodi propoſitiones nobis ſunt potiſſimæ vivæ animantes, quibus diſcimus primò & potiſſimùm ſubſtantiam & eſſentiam actionum animalium, quæ exercentur in nobis quotidie, & quomodo eas actiones tanquam beſtiales cicurare

rare quodammodo, & ad normam rationis dirigere debeamus. Per beſtias inculcatur nobis tota ethica; per columbas ſimplicitas, per ſerpentes prudentia, per formicas ſolertia, per apes politica, & ſic de cæteris; ut nulla ſit virtus moralis, cujus regulam non habeamus in beſtiis; nullum etiam vitium, quod non per eaſdem dedoceamur: ex nobis ipſis demum Deum auctorem noſtrum apprehendere & cognoſcere diſcimus.

DIES X.

Sana proinde prorſus & *laudabilis eſt philoſophia noſtra*, contra quàm adverſarij noſtri ſibi parùm peritè imaginantur. Evertit enim hæreſes, & moralia docet, methodoque ſcientiali directè procedit. Abſolutiſtæ verò quomodo ab hæreticis diſcerni poſſint, non video equidem. Dicunt enim communiter, animam bruti objecta ſenſuum cognoſcere, & immediatè ac elicitivè in motus appetitivos influere. Quid autem quæſo aliud eſt cognoſcere quàm cogitare; ſubſtantia autem cognoſcitiva (ſive materialiter addas, ſive non, quia hic terminus nihil ſignificat) ſive cogitativa non niſi mens eſt. Deinde ſubſtantia ſpiritualis eſt ſpiritus, materialis eſt corpus: ergo anima brutalis vel erit corpus vel ſpiritus, primum philoſophiæ, alterum fidei repugnat. Demum ſubſtantia naturaliter penetrans corpus ſaltem ex metaphyſica proprietate eſt ſpiritus. Ergo vel erit ſpiritus, vel corpus,

vel

vel partim ſpiritus, partim corpus; & poſt hæc omnia non eſt idonea ad actus animales, vel in bruto, vel in homine, explicandas: adeoque omni ex parte offendit.

DIES XI.

Hactenus de anima ſenſitiva: deinceps *vegetativam* paucis, quantum hîc opus eſt, contemplabimur. Anima eſt forma ſubſtantialis, qua corpus vivit; ſenſitiva, qua ſentit, vegetativa, qua vegetat: vita vegetativa, facultas qua corpus vegetat, ſive aſſumptum alimentum in ſuam ſubſtantiam convertit, quod in homine fit ſequentibus actionibus. Stomachus à ſale quodam volatili per ſiccitatem exaltato patitur quandam intemperiem ac moleſtiam, quæ fames & appetentia alimenti dicitur. Quod alimentum dentibus commolitum, & ſalivâ ſubactum, perque linguam devolutum, ab æſophago fibrarum ope undatim protruditur in ſtomachum. Hic illud per ſuas fibras arctè conſtrictum, ſucco fermentitio reſolvit in ſua minima, atque in ſuccum albeſcentem, qui chylus dicitur, vertit: quem chylum, hujus mordicatione quadam determinatus idem ſtomachus ampliùs ſe conſtringens per pylorum exprimit in inteſtina chyli quod ſubtilius eſt.

eſt, per innumera venarum oſcula, intra membranam ſpongioſam inteſtinorum hiantia, per varios flexus & ductus in cor propellitur; quod verò craſſius & ineptius eſt, motu periſtaltico acrimoniâ bilis incitato per eadem inteſtina promovetur ad anum atque egeritur. Cor autem velut antlia vitæ duabus venis inſtructum eſt, per quas ſanguis intra ipſum ingreditur; & duabus arteriis, per quas rurſum egreditur. Nam valvulæ venis obductæ ſunt intus, ita ut corde ſe motu diaſtoles dilatante, influat ſanguis, ſed rurſum ibi effluere nequeat: Arterijs verò valvulæ exterius adnatæ ſunt, ut corde per ſyſtolen ſe conſtringente, aperiantur & exprimatur ſanguis.

DIES XII.

Cauſa autem, quæ movet cor ad *reciprocos motus nunc ſyſtoles nunc diaſtoles*, reſidet in corporibus, quæ ipſum diverſimodè alterant. Dum enim evacuatum eſt, experitur halitum quendam calidum ſalis ſpirituoſi, ſibi moleſtum, cui diſcutiendo ſe aperit, ut ſucco ſe novo infrigidet: quo tamen nimiâ quantitate mox ingeſto, oppoſitam ſenſationem velut ſuffocativam ſuſtinens, determinatur ad ſe comprimendum, & importuno hoſpite ſe liberandum. Cauſa finalis eſt per-

cola-

colatio ſanguinis : cum ex omnibus ramis venarum etiam capillarium ſanguis identidem ſic revocetur ad cor , & ex corde rurſum ejiciatur per arterias , quarum ramuli capillares ibi deſinunt , ubi venæ capillares incipiunt ; ut ita per interpoſitorum interſtitiorum anguſtias (quod etiam per jecur , ſplenem , renes , pulmones , cerebrum &c. fit) traductus ſanguis ſubtilizetur , ſaburram relinquat & expiret , aptioremque concretioni reddat. Fit autem concretio per adhæſionem ſimilis ad ſimile filamentoſitate mediante ; ſicut ferè ex lana ducuntur fila , ex filis texitur tela : ſolida adduntur ſolidis , puta oſſibus , fluida fluidis , flexibilia flexibilibus , ut partibus ſingulis creſcentibus creſcat totum.

DIES XIII.

Hinc quædam *experimenta* ſolvuntur. Homo non ſemper creſcit ; quia oſſatura partibus humidioribus ſemper exhalatis fit ſolidior & durior , ut ab alimento poris inſerto non poſſit ampliùs extendi. Unde & fit homo fortior vir quàm puer , manet tamen idem homo , quia ſolidiores partes remanent ſemper , etſi fluidæ exhalent , & aliter actibus nutritivis abſumantur. Homo diu vivere non poteſt abſque cibo :

quia ſanguis calens perpetuò exhalat, & fibroſitate ceſſante fit ineptus ad accreſcendum: frigida autem animalia diutius cibo carere poſſunt. Quibus ſanguis nimis ſubtilis eſt, non nutriuntur, ſed per ſudorem & halitum expirat, fibroſitatis defectu: quales ſunt hectici. Quibus fibroſior ſanguis eſt, ij pingueſcunt; quibus ſiccior & bilioſior, macri ſunt. Cereviſia nutrit, quia pinguibus filamentis ſanguinem locupletat: ſalubrius tamen eſt vinum, quia ſubtilius & calidius, partes craſſas & aquoſas dividit & exhalat. Somno maximè nutritur animal; quia quieſcentibus membris felicius peragitur accretio, quæ motibus interturbatur facilè & ceſſat. Non nutrit febricitantium ſanguis, quia propter intemperiem non eſt aſſimilabilis. Qui ſobriè vivunt, ſaniores ſunt; quia humores meliùs percolantur, dum ſpatia & mora ſuppetit, cum in ebrioſis ſtagnent. Quia ex chylo percolatione fit Sanguis, ſicut colatoria in diverſis diverſi ſunt plexûs & poroſitatis, ita fit melior vel ineptior ſanguis in diverſis corporibus. Hæc & ſimilia multa apud medicos.

DIES

DIES XIV.

Anima rationalis actiones nutritivas absque dubio *mediatè*, *remotè*, *& directivè exercet*; dum eligit sumptionem cibi, medicinæ, dirigit motum & quietem corporis, imperat diætam, & curam potissimam ad hoc adhibet, ut corpori benè sit, in quo ipsa aliàs habitare non posset: Unde eatenus vegetativa dicitur; maximè quia nutritio concurrit ad actus sensitivos, & hi ad rationales. Planè tamen non est existimandum, cum vulgo nimis in hac parte erratico, ipsam immediatè & elicitivè, ac per potentiam sibi propriam atque specificam tales actiones efficere. Quasi verò anima ipsa per se esuriat in stomacho ciboque expetat, effundat chylum in intestina, eumque ibi calore perficiat, moveat intestina, & fæces expellat, moveat cor & arterias, percolet & subtilizet sanguinem, faciat corpus pingue aut macrum. Quis non videt hujusmodi actiones esse corporeas, eum mens nullas habeat, nisi mentales: ipsa nec frigida nec calida, nec humida, nec sicca, nec tactiva nec impulsiva.

DIES XV.

Dicunt, animam hoc non posse se solam, sed *cum organis ordinatione Dei.* Sed non potest Deus ordinare, ut anima fiat corporea; ergo nec ut fiat corporaliter operativa per se, nisi faciat illam chymæram. Manet etiam organis unita simplex & mera mens, penetrabilis & nullum motum corporeum, sine quo nulla actio nutritiva perficitur, tactu vel impulsu exercere potest: sed nec volendo quidem, ut de quibusdam motibus ei voluntariis diximus aliàs. Nam ab ejus voluntate non pendet motio stomachi, intestinorum, cordis & arteriarum, sanguinis & humorum: aliàs quàm facilè sibi homo mederi posset? Sunt ergo hujusmodi organa nutritiva, prout subordinantur inter se ad sufficientem certo animali nutritrionem præstandam, & simul fiunt unum totale nutritionis principium, in brutis quidem ipsa anima vegetativa, consistens in una forma modali totali substantiali, ex pluribus partialibus resultante: in homine verò sunt una totalis potentia animæ vegetativa, organica, ab ea realiter distincta, per quam mediantem ipsa tantùm, & non aliter, quàm dictum est, vegetatur.

DIES

DIES XVI.

Sicut anima hominis ad vegetationem nihil omninò immediatè facit, ut dictum est; sic in brutis *anima*, quæ sit *absoluta* substantia, *frustra prorsus statuitur*, cum ipsa minùs ad actiones vegetativas, quàm anima humana, quæ saltem indirectè, remotè, & imperativè eas exercet, præstare possit. Nimirum omnes illæ actiones per motus locales fiunt: anima verò materialis illa, cum æquè ac anima rationalis, sit naturaliter penetrata & penetrans, nihil ad motum facit, cum nullum organum tangat. Deinde fingamus saltem mente, aut ponamus Deo volente, illam animam in corpore desinere, profectò dummodo maneat eadem organorum structura, harmonia, & compositio, peragentur omnia, quæ die 11. 12. 13. 14. proposita sunt. Posse autem absente animâ remanere organa, patet in bruto occiso: tametsi non maneat spirituositas & succulentia, quæ sicut fateor requiri ad vitam, imò etiam ad animam nostram modalem, tamen adversarii fatentur, succos illos & spiritus nunquam vixisse, & animata fuisse. Quod si ergo organizatio tota unà cum succulentia & spirituositate salva sit, jam eo ipso anima adest modalis, quæ ad omnes illas actiones, ut fiant in corpore, sufficit, ut consideranti patebit.

DIES XVII.

Quamvis ferè est lis de modo loquendi, *num in bruto sit duplex anima, vegetativa & sensitiva;* dicendum tamen est potiùs, esse unam; cum potentiæ vegetativæ subordinentur sensitivæ, ut divelli non possint, & ideo rectè dicatur, ex omnibus simul resultare formam unam totalem, per quam utræque actiones eveniant. In planta verò una est forma totalis, vegetativa tantùm: de qua nunc aliqua seorsum excutienda sumamus.

Dicunt communiter, plantam trahere succum per radicem ex terra: sed vulgi est, ex apparentiis veritates decernere. Nulla hic tractio admitti potest, ubi enim sunt funes, catenæ, vel unci, ut trahatur succus? quis apprehendit succum, quis labori insudat? Enim verò frustranea est tractio cum per pressionem non possit non fieri ascensio succi, per fistulosam plantæ substantiam, premente scilicet aëre, & succum intra radicem cogente, uti ostendimus 6. *Februarii & aliàs.*

DIES

DIES XVIII.

Hinc natura facit radicem porosam & mollem, ut succum adhuc crassum & indigestum faciliùs recipere possit, Eidem succo sic intra plantam inducto retinendo, promovendo, digerendo, circulando, percolando & assimilando quàm miris organis corpus vegetans instructum sit, nemo crederet, si non microscopia detexissent: quò plurimùm facit alternus calor diei, & noctis frigus, & videmus noctibus plurimùm crescere plantam, minùs diebus; quia per diem succus plurimus evaporat, quod olfactu sentis, florente vite; per noctem verò densatur & ita extruditur meatibus magis constrictis, ut lentitudine adhæreſcat, incrementumque sic addat: & quia versus extremitates tum ramorum tum radicis nova pars semper extenditur, quid mirum est, si media pars plantæ crassior sit, cum diutiùs nutriatur. Etiam hyeme crescit planta, sed vix sensibiliter, languente calore interno, qui æstate per externum excitatur. Rami divaricantur, quod dum fibræ protruduntur, in via occurrat aliquis nodus, quo extrorsum intorquentur,

DIES XIX.

Medulla interior & cortex exterior in primordium ſeminis tanquam in compendioſum totius plantæ rudimentum à creatore primitus præparatum, terræque inditum, referendum eſt; prout fibræ originales aliæ aliis ſunt molliores aut duriores, &c. folium ex cortice propagatur, tanquam nova planta, fibram principalem pro trunco habens; quod etiam de flore & fructu exiſtima: ſic tamen, ut fructûs cortex ex cortice pariter ligni, & ſeminis caro ex ligno, fructus ipſe ex medulla progerminet. Si fructûs fibra primaria ſit brevior, cæteræ in omnem partem turgeſcunt, ut fructus fiat ſphæricus; oblongus fit, ſi illa ſit longior. Quia fibræ in fructibus in ſe ſe invicem recurrunt, tanquam venæ & arteriæ in animalibus, hinc ſuccus alimentitius agitur in circulum, atque ita poſitâ duritie fructus matureſcit; cum in ſurculo ſemper protendantur in longum, ut ſucco ſemper in lineam foras promoto, ſolidiores partes indureſcant.

DIES XX.

Quædam plantæ vehementer creſcunt, ut vites, quia fibris laxioribus, & plurimo igne conſtant. Quarundam exterior pars areſcit, reliquo corpore vegeto; quod ſuccus non ſuffi-

sufficiat extremis partibus ; vel avolet antequam assimiletur & condensetur ; vel propter obstructionem eò propelli non possit. Pars etiam non vivens cum vivente continuari solet, ut ossa cum cartilagine , & cortex exterior cum vegeto ligno : quia fibræ jam consistentes non sunt laxabiles. Quædam plantæ degenerant, ut triticum in lolium ; quia deficiente succo cessat operatio ad perfectionem specificam seminis, sufficit tamen adhuc ad aliud imperfectius. Est autem semen plantæ ovo non absimile : est enim ipsum *insensibile quoddam compendium plantæ à creatore formatum* , involutum suâ membranula ceu secundina , carne tanquam albumine & nutrimento , & testa tanquam putamine ; quæ sunt involucra seminis & fomenta.

DIES XXI.

Scribit Antonius de Lœbeneck insignis microscopta, se in *oculo uno muscæ* vel pulicis *ad viginti milliones animalculorum viventium* deprehendisse , declaratque modum, quo ea numeraverit juxta regulam sphærometricam Euclidis ; quæ fuerunt ipsa seminalia rudimenta muscarum : nec est, cur de seminibus plantæ aliter opinemur. Atque horum formatio cum creatori ipsi tribuatur, fatendum est tamen ex Genes. 1. 12. plantam ipsam aliquid conferre. Hujus ergo erit eidem semini, quo medulla turget , dicta ova tanquam matrices effingere.

Nam dum fibræ primariæ ad finem protensionis suæ, juxta proportionem seminis, pervenerunt, suppetunt tamen adhuc aliquæ secundariæ & quasi adscititiæ, cum succo similiter adhuc aliquo secundario; quibus nova plantula priori analoga adnascitur, quæ ova seminalia recipit, eaque involvit, fovet, nutrit; quia tamen disparis est plexûs, non continuatur constanter cum reliquo corpore, sed ubi maturuit, solvitur. Tametsi verò tam sint multa rudimenta in ovo, una tamen solùm planta (vel animal) nascitur; quia uno germinante & crescente, cæteris alimentum deficit: manent tamen etiam illa adhuc in fructu, inque ipsis partibus medullaribus crescentis plantæ, ad novam pro futuro generationem. Pro planta generanda non requiritur diversitas sexûs, uti pro animali; quia pro hoc transfunditur semen in matricem, qua fœmina sola instructa est, pro illa ipsum seminans in se sibi matricem instruit.

DIES XXII.

Cum ergo semen matureſcat in medulla fructûs, & ista medulla continuetur cum medulla plantæ, ideò ipsum medullæ corpus videtur coalescere ex meris minimis vel ovulis seminalibus, eo ferè modo, quo ventres quorundam piscium fœminarum meris ovis replentur: quamvis deinde dicto modo solùm perficiantur in fructu, ubi percolatio agitur in circulum, cum

cum ſuccus ulteriùs produci non poſſit, claudente cortice ac teſtâ. Videlicet minimum medullæ eſt ſpumula quædam, cujus exterior tunica ſymbolizat cum ligno plantæ, & intus continetur humor, medullam ipſam repræſentans: quæ ſpumulæ vel ovula dum ſeſe ipſæ perficiunt, quod fit in fructu, fiunt ipſa *compendiola plantæ, vel armantur potiùs*, aptantur, inſtruuntur, ut influxum ad germinandum convenienter excipere poſſint.

DIES XXIII.

Quarundam plantarum *ſpeciales* narrantur *proprietates*. Frumenti caudices ſunt cavi, quia fibræ non poſſunt aſſurgere per nodum in radice occurrentem, ſed ſecundùm annulum ambientem. Genicula & internodia culmorum referenda ſunt in fibras rudimentales ſeminis; quæ decuſſatæ cum ſint, dum ſurſum porriguntur, in punctis decuſſationũ retinent multum materiæ. Dictamnum ferrum educit è vulneribus; quia effluvio corpuſculorum proportionalium vulneris poros laxat. Alni non corrumpuntur in aquis, quia plurimâ terrâ & aquâ conſtant, tandemque lapideſcunt, ut fiant quaſi plumbum quoddam lapideum, in quod ſimile non agit: hinc ligna iſta combuſta non faciunt carbones, ſed in plurimos pulveres deſinunt; eò quod materiam inflammabilem vel agitabilem non contineant.

DIES

DIES XXIV.

Calamintha feles recreat, quia halitu eis proportionato earum olfactui grata eſt : diſſimilem propter effectum ruta, *hyſſopus*, *fraxinus*, *radix lilij* ſerpentes fugant. Planta pudica tactus hominum non patitur ; quia fibræ ejus ac nervi admodum delicati facilè læduntur ac tabem contrahunt. *Vitex* aut agnus caſtus venerem arcet ; quia vaſa ſeminalia, quo minus ſucci aſſumant, conſtringunt : oppoſitum aliæ quædam plantæ operantur. Morſus capræ arboribus eſt funeſtus, quod fermentum eis venenoſum relinquant. *Bugloſſa* vino diluta hilaritatem conciliat ; quia eam temperiem affert nervis, & meatibus humorum, ex qua talis affectio ſequatur. Allia ex arbore pendentia fugant aves ; propter odorem eis gravem. Malvæ flores ſole oriente ſe explicant, occidente contrahunt ; quia rarefactione fibræ extenduntur, condenſatione coëunt. Olea virgineâ manu plantata fertilior fieri dicitur ; quia virginea corpora halitum ſpargant gratum quibusdam plantis, imò fortè & hominibus ; cum ideò dicant Interpretes Davidi adoleſcentulam jacenti adjunctam fuiſſe. Sed hæc & ſimilia apud medicos.

DIES

DIES XXV.

Sunt quædam plantæ aliis innascentes, ut *folia*, *flores*, *pennæ*, *pili*, *viscum*. Viscum est planta excrementitia, nata ex proprio arboris semine, sed in vulnere quodam ejus corrupto & putrefacto. Idem ferè de musco & spongia. Galla est fructus arboris proprius, sed secundarius, corpusculis striatis constans, ideò atramento serviens. Fungi nascuntur, dum fibræ lingni aut plantæ vitio quodam corruptæ, in suis desinentiis formant semen monstrosum. Pluma est planta analoga foliis arborum. Pili sunt plantæ, generatæ ex desinentiis fibrarum per poros protrusis. Unde præ nimia pororum angustia, cum succus ibi extrudi non possit, in volis manuum & plantis pedum nulli crescunt. quamvis & nimia pororum laxitas ac teneritudo impediat: nempe pilus est quædam continuatio & clausura pori, si ergo porus sit laxior, & exhalatio minor, quàm ut circa porum continuari possit, non fiet pilus: hinc fœminis non crescit barba; qui autem sunt valde porosi, & simul pilosi, plurimùm exhalent neesse est.

DIES XXVI.

Defluunt pili vel defectu succi, vel copia humoris mordacis, ut videmus in foliis. Ex metu assurgunt pili, uti & pennæ gallinarum; quia sanguine defluente eum situm assumunt pori & fibræ,

fibræ, dum coëunt. Pili ficcitate caneſcunt, ob cauſam dictam de colore albo: qui effectus interdum deprehenſus fuit in ſubita conſternatione & diuturna, propter defluxum omnis humoris. Idem ſenſim præſtat multa meditatio & ſtudium diuturnum. Citri naſcuntur, dum fibræ vivæ per poros cum capillitio protenduntur & implicantur: unde abſcindi non debent. Sagittæ hiſtricis & ſpinæ echini, ſicut & cruſtæ teſtæque cancrorum &c. ſunt ſimiles plantæ, non ex poris, ſed fiſſuris quibusdam cutis prodeuntes, in quæ ſiccior ſubſtantia excernitur: unde iſtorum animalium mollior eſt ſubſtantia, & modica oſſatura. Quò referas cornua, oſſa, dentes. Vinum, mel, oleum, non ſunt plantæ. Saccharum eſt ſuccus, ex quodam cannarum genere, velut earum medulla expreſſus.

DIES XXVII.

Has & plures vitæ vegetativæ actiones, proprietates, & effectus vides facilè in noſtra doctrina demonſtrari & ad ſuas cauſas reduci, absque ulla animæ abſolutæ cooperatione: quæ ſive adſit, ſive abſit, nihil omninò ad rem facit: unde nec mentionem quidem faciunt abſolutiſtæ hujusmodi rerum, ſed per hoc ipſum ſilentium ſuæ philoſophiæ inanitatem oſtendunt. Quid enim agit anima illa in corpore

pore plantæ ? ſuccum attrahit , inquiunt , ex terra. Sed ſi trahit ſuccum , movet illum motu corporeo utique : ſed quod movet alterum , etiam ipſum movetur , & quidem naturâ priùs : & quia potentiam movendi non accipit à materia plantæ , quæ ipſam nec eminenter nec formaliter habet ; & quia motus ille eſt vitalis , vivet anima illa per ſe ipſam , & independenter à corpore plantæ : ergo etiam ſeparata à corpore ſic vivere poteſt : ergo operari quoque : ergo per ſe ipſam , & per naturam ſuam , poteſt ſeorſim exiſtere ; ſicut anima humana ideò id poteſt , quia etiam ſeparata poteſt intelligere & velle , vel vivere. Deinde movebitur anima in partes oppoſitas , ſurſum deorſumque quà planta creſcit : ergo vel tenditur violentè in medio , vel diſcontinuatur.

DIES XXVIII.

Deinde anima trahit ſuccum ex terra. Quomodo hoc ? cum ipſa non ſit in terra , nec in ſucco : quomodo agit , ubi non eſt ? Dices , contingere ſuccum in ſuperficie , & eum trahere metu vacui. Sed cum ſit penetrabilis , nec poteſt tangere , nec eſſe contingua etiam organi ſui. & ubi eſt metus vacui ? quare planta fieret vacua , ſi non aſcenderet ſuccus , cum omni ex parte affluat aër ? Et quod alterum ſic trahit , ipſum quoque moveri debet : moveturne ergo

anima

anima versus succum, vel à succo intra plantam? vel ergo intra plantam duplicatur, vel extra plantam egreditur, vel movetur cum ipsis partibus plantæ, ut moveat priùs se ipsam, deinde plantam, postea succum: sed nec sibi, nec plantæ, nec succo potest imprimere impetum, cum penetrata & penetrans sit, nec se ipsam quidem potens contingere, multo minus aliud: partes quoque plantæ penetrarent se se, vel si tota simul movetur sursum, perpetuis exsilitionibus tandem evelleretur è terra sursum, cum contrarium accidat. Vel erit tractio inorganica, si anima sola trahat; vel non vitalis, si materia sola trahat: nec explicari potest, quomodo simul; cum simultas tantùm addat prædicatum totius & totalitatis, neutra verò pars alteri potentiam vitalem, vel ullam substantialem conferre possit aut debeat. DEUS sic ordinavit inquis, ut anima id possit cum corpore solùm organico. Sed quia DEUS ordinare non potest, ut anima fiat substantialiter alia, intra corpus quàm extra, sive ut aliam potentiam in corpore vel à corpore accipiat, non nisi verba sunt ista: nec tamen explicas in quo genere causæ materia id conferat animæ; patetque in anima rationali, quæ nec accipit à corpore, nec corpori confert ullam vitalem potentiam.

DIES

DIES XXIX.

Non ſolùm trahi debet ſuccus, ſed etiam digeri, diſtribui, colari, rarefieri, denſari, filari, aſſimilari, lenteſcere, calefieri, infrigidari, aliter pro ligno, aliter pro cortice, aliter pro medulla, pro floribus & fructibus aliter præparari & accreſcere. Quæ non ſunt propria materiæ, ut patet: nec animæ ſoli, quia deberet ſimul & ſemel eſſe calida & frigida, propellere & adducere, connectere & disjungere &c. Nec ambo ſimul oſtenditur, quomodo iſta præſtent. Deinde easdem actiones non patitur materia ſucci, quæ eſt ingenerabilis & incorruptibilis; ergo ſola forma ſucci patitur, rarefit, frigefit, trahitur, humeſcit, ſiccatur &c. Sed ſi harum mutationum eſt patiens forma ſucci, cum ſit penetrabilis, quare non ſimiliter anima hominis earum eſt patiens? da rationem.

Dicitur, nec ſolam formam nec ſolam materiam, ſed ſimul hæc duo in ſucco pati, in planta agere. Sed unio duorum non dat eis aliud, quàm hoc ipſum, quod fiant unum compoſitum; ſicut ſeparatio facit eſſe duo ſeorſim: alia prædicata non habet totum, niſi quæ inſint & partibus.

DIES XXX.

Insuper forma plantæ crescit, fit enim major: ergo alimentum in suam substantiam vertit; ergo ipsum sic conversum facit naturaliter penetrabile, sicut ipsa est. Fortè sola forma transit in substantiam formæ. Nam si materia transit, hæc cum sit incorruptibilis, faciet & animam incorruptibilem. Si forma sola transit, sola forma alimentum erit: quomodo ergo solam formam alimenti suam facit, trahit, digerit, &c. Imò sola alimenti forma est convertibilis, non materia, quæ incorruptibilis semper est: ergo quidquid de alimento transit & convertitur, forma alimenti tantum est: ergo sola forma patitur actiones tractionis, rarefactionis, condensationis, calefactionis, coctionis, percolationis, digestionis, &c. ergo & anima hominis similiter trahi, digeri, percolari poterit, cum utraque sit substantia absoluta, penetrabilis, & forma substantialis. Dicetur, totum converti: sed non potest dici totum converti, si materia non convertitur, nisi solùm denominativè, ratione formæ, quæ propriè & per se convertetur. Ergo si forma aquæ à materia separata jungatur formæ plantæ pariter separatæ, hæc illam in se convertere, & sic crescere poterit, & erit transubstantiatio, cum tota transeat, ut nihil transeuntis remaneat.

DIES

DIES XXXI.

Quia ſola forma ſucci convertitur in ſolam formam plantæ, de forma ſucci remanetne aliquid in forma plantæ poſt converſionem ? ſi nihil: de nihilo augmentata eſt, & augmentatio fuit mera creatio, converſio quoque mera annihilatio: ſi aliquid; cujus nominis eſt? quomodo diſcernibile ab eo, quod forma plantæ habebat priùs, cum eſſet minor? Forma quercûs annoſæ ſeparatim exiſtat, eritne annoſa, rugoſa, infirma, debilis? certè per formam ſuam quercus eſt annoſa, infirma, debilis &c. Dicis, hæc eſſe per accidentia. Maneant ergo accidentia cum forma: ergo tunc forma ſeparata erit ſterilis, macilenta, rugoſa, infirma. Mutent inter ſe ſua corpora organica forma vetus & juvenis, & ſenior vel major tranſeat in minus & tenerius corpus, minor autem & junior in ſenile & majus corpus; quod quare fieri non poſſit? Quomodo autem utrique congruet novum hoſpitium? arctabitur magna in parvo, aut ſecundùm partem extabit extra, vel debebit abſcindi; minor verò majus non adæquabit. Fortè non conſtant partibus? quomodo ergo crevit una & facta eſt major? ſi autem conſtat, quomodo in partibus, ſi iſtæ penetrent, extenditur & continuatur? Vides aliam ex alia argumentorum ſylvam. Mirum eſt, abſolutiſtas nihil horum cogitare, nihil exponere, & tamen in tot deliriis à nobis aſſenſum exigere, quaſi capita nobis ficulnea eſſent.

Ego ceſſo de anima plantæ tam ſtupida; tu verò hæc & ſimilia plura etiam de anima bruti, quæ vegetativa ſimiliter eſt, applica.

NOVEMBER.

DIES I.

SIquis non planè cœcus eſt natus, credo ei inanitatem formæ abſolutæ, ſufficienter ante conſpectum expoſitam à nobis, genuinæ autem philoſophiæ tum veritatem tum excellentiam, etſi ſtricti ubique & breves fuimus, tamen efficaciter inſinuatam & ſaltem oſtenſam eſſe; quare ſiquis æthiops eſſe pergere velit, nos eum porrò lavare non cupimus: maneat ſanè. Quia autem ſunt, qui ſomniant, noſtram doctrinam rei theologicæ non congruere, alicui diſcurſui etiam theologico reliquum anni tempus concedere volumus. Sciant omnes abditiſſima myſteria Deitatis & Trinitatis ſine nobis fundamentaliter explicari non poſſe: dogmata verbi incarnati, vitam Beatorum in gloria, angelorum naturam & actiones connaturaliſſimè exponere poſſumus: hæreſes ex toto evertimus. De peccatis & gratia, tractatuque rerum moralium erunt qui arbitrantur nos hæſitare omnino: quod quam falſum ſit, per conſequentia diſcent: à peccato incipimus.

DIES

DIES II.

Sequor viam regiam, in omnibus procedendo juxta primam institutionem à Porphyrio traditam, & à Philosophis antiquitus, ducente lumine naturali, usurpatam : quod si æquè ab aliis fieret, non in tot diverticula aberraretur. Peccatum ergo est *actus moraliter malus*. Actus sive actio : ergo entitas contingens, accidentalis, & quinti prædicabilis. Non est proinde peccatum aliquod prædicatum substantiale vel essentiale ; neque ut genus cujuscunque entis, neque ut species, neque ut differentia, neque ut proprium ; sed est merum accidens, potens adesse vel abesse suo subjecto. Est namque actio aliud nihil, quàm *potentia determinata*, dicens duo, potentiam & ejus determinationem sive actuationem vel exercitationem, ut sæpe dixi, præsertim in *sec.* 1. *Soliloq.* ita, ut τὸ *potentia* innuat genus actûs, τὸ *determinata* ejusdem differentiam. Licet ergo potentia ut sic peccandi sit essentialis creaturæ, quæ per se & essentialiter est defectibilis in operando ; tamen quod eadem sit actuata est accidentalis, sicut posse existere est substantiale creaturæ, actu autem existere est accidentale. Peccatum ergo non est substantia aliqua, nec ullî substantialis.

DIES III.

Errarunt ergo *Hermiani & Adelphiani*, dicentes, peccatum originale esse dæmonem. Errarunt *Manichæi*, asserentes in homine esse duas mentes sive animas, alteram substantialiter bonam, à qua sint virtutes, alteram malam, à qua peccata, sive actiones malæ. Nam solius DEI est esse indefectibilem in existendo & operando: creatura cum contingenter existat, ita ut possit non existere, etiam contingenter operatur, potestque non operari. Nec dicas ex suppositione quod existat, & sub conditione si existat, vel sub conditione quod operetur, alteram mentem benè tantùm, alteram malè tantùm operari: quia *conditio* est principium *contingens* & accidentale; ergo quod in ea fundatur, non potest non esse quoque contingens & accidentale. Præterea substantia essentialiter sive bona sive mala non esset capax legis, nec ullius actionis moralis: & quia agimus hîc de bonitate & malitia morali, quæ tantum esset bona, esset moraliter bona, ex supposito; & non esset moraliter bona, quia incapax esset hujus bonitatis. Similiter quæ esset substantialiter mala, esset & non esset mala.

DIES

DIES IV.

Nam bonitas moralis est actionis honestas, malitia moralis inhonestas. *honestas* autem *est conformitas vel cum consilio, vel cum præcepto, vel cum permissione:* prima maxima, altera minor, tertia minima. Inhonestas est difformitas cum præcepto aut lege, & cum permissu. Difformitas cum consilio non est inhonestas; quia qui consilium non sequitur, agit quod ei permissum est. Quia autem ordinationes suasivæ, præceptivæ, ac permissivæ non ponuntur nisi iis, qui indifferentes sunt ad benè maléve agendum, patet, si ens quodpiam esset tantùm bonum, aut tantùm malum ex substantia sua, tale ens non esse capax legis ullius, quia non esset dirigibile, & ideo nec esset capax ad honestè vel turpiter operandum, & ideo nec ad operandum moraliter, quod heri dicebamus. Qui agit contra legem humanam sub culpa obligantem, agit & contra divinam humanæ inclusam lege naturali & positivâ. Similiter qui peccat contra lumen rectæ rationis, peccat contra legem DEI naturalem & æternam, à Legislatore æterno ipsi menti per dictamina universalia promulgatam. Unde peccatum merè philosophicum, quod non sit contra DEUM meritò damnatur ab Alex. VIII. 24. *Augusti* 1690. licet habeat respectum ad

rationem naturalem, & eatenus dicatur philosophicum; quia nihilominus habet quoque respectum ad DEUM, ejusque legem, quam recta ratio monstrat, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 71. a. 6. *ad* 5. ideò theologicum quoque est.

DIES V.

Cum ergò peccatum sit actio moraliter mala sive inhonesta, & illa inhonestas sit difformitas actionis ad legem; patet, malitiam moralem esse formam moralem relativam, & negativam, quæ actio libera non est legi conformis, non commensa, non consentanea; cui proprium est esse punibile & vituperabile, sicut actioni moraliter bonæ proprium est, esse præmiabilem atque laudabilem. Patet quoque peccatum esse *secundum quid positivum, simpliciter negativum:* quatenus enim est actio quæpiam positiva, quam dicit pro genere, est quid positivum; quatenus autem includit difformitatem ad legem, sive relationem negativam, quam habet pro differentia constitutiva, quæ præcipuè attenditur, est quid negativum: qui bene distinguit, mentem SS. Patrum, dicentium, peccatum esse quid nihilum, benè attingit, & omnia dubia facili negotio solvit. Patet quoque peccatum per accidens & ut contingens reperiri in creatura, quia poterat hæc agere conformiter legi. Patet & eam per essentiam esse peccabilem, quia si contra honestatem agere non posset,

non

non esset ei lex ponibilis. Patet, Deum non esse peccabilem, quia lex ei poni non potest. Patet, Deum quidem, quod non peccet, esse *laudabilem nimis*, non tamen ita, & eo genere moralitatis, quo creatura, qnia hæc ideo potissimùm commendatur, quod *potuit peccare & non fecit, &c.*

DIES VI.

Ad peccatum ergo & ad omnem actum moralem requiritur, ut liberè & potestativè sit factus, ita scilicet, ut potuerit facere vel non facere, vel facere oppositum. Nemo præmiatur, quia dives sit, nemo vituperatur, quia ægro sit corpore: fortuna ista confert, non virtus aut peccatum adducit; sunt bona malave naturæ, non moralitatis; quod geritur potestativè, ex libitu, & liberè, illud unicè reputatur ad laudem vel vituperium, diciturque moraliter bonum aut malum. In quo autem libertas agendi consistat, mirum est disputari tam acriter; cum recta ratio abundè doceat illud omne, solum, semper libere fieri, ad quod se ipsa voluntas determinat, ut breviter & sufficienter ostendimus *in Soliloq. num.* 186. 187. 188. Nam quænam alia ratio, forma, vel formalitas esse potest, quæ actui libero omni & soli sive convertibiliter competat; sicut admirativitas omni & soli homini congruit, ut omnis homo sit admirativus, & omne admirativum sit homo, quamvis hæc est tantùm proprietas hominis: omnis creatura existit ab

alio, & omne existens ab alio est creatura. Si hujusmodi forma actûs liberi constitutiva esset alia, quam à nobis modò allata, illa esset vel contingentia ac indifferentia objecti voliti: vel contingentia ac indifferentia actûs volitivi: vel ipsa volitivitas actûs, & quod à voluntate procedat: vel concursus Dei: vel cognitio indifferens præcedens: vel prædeterminatio physica, quam vocant: vel aliud quid. Sed horum nihil.

DIES VII.

Primum non potest dici, quod scilicet actus volitionis sit ideo liber, quia objectum ejus est indifferens ad existendum vel non existendum, & contingenter existit: quemadmodum multi dicunt actum Dei volentis creare mundum, ideò esse liberum, quia mundus poterat non existere, & *complexum ex mundo & Dei volitione est contingens.* Sed verum quidem est, quod omnis actus liber habeat objectum contingenter existens; non tamen omne objectum contingenter existens est volitum per actum liberum: cum homo exerceat multos actus animales, intellectuales, imò volitionales indeliberatos, qui non sunt liberi, & tamen contingenter existunt, ac poterant non existere. Tametsi ergo in Deo semper conjuncta sit contingentia rei volitæ cum libertate volitionis; eò quod res illa nullo prorsus modo possit existere nisi concurrente & coëxistente actu Dei libero: tamen contingentia illa rei non est formalis ratio libertatis: alioquin

quin esset etiam respectu voluntatis creatæ. Deinde volitio Dei libera est causa contingentiæ mundi, sive ejus existentiæ contingentis, ergo eâdem est prior; cum tamen ratio & forma concreti sit prior concreto, ut albedo prior est albo, tanquam causa formalis.

DIES VIII.

Ulteriùs prius est actio passione, & agens patiente, prioritate quâdam naturæ: cum ergo liberè volens sit agens, liberè volitum sit passum, posterius erit imago liberè picta, quam libera volitio pingendi; & ideò volitio non est libera propter imaginem tanquam terminum, qui sit principium libertatis, & à quo ceu termino relatio, qualis dicitur forma liberi, pendeat: sed contrà imago picta est liberè propter volitionem pingendi priùs liberam, cujus illa effectus & quid posterius est. Præterea libertas, seu forma liberi, significat aliquod dominium seu potestatem dominativam, quæ haberi non potest ab imagine, vel ejus pictura; quæ non sunt subjecta dominativa, & quibus insit potestas dominativa, sed tantùm patiantur illam potestatem dominativam; quomodo ergo possunt illam denominationem tanquam forma conferre? Denique non solùm volitio, sed etiam libera volitio, ipsa libertas est naturalis & vitalis agenti libero: ergo ipsa libertas provenit ab ejus natura intrinseca, & est ei immanens, sive potentia libera est natura ejus, eique substantialis: ergo

go actus liber sive actio est ipsa potentia substantialis actuata, & non est effectus à re extranea veniens.

DIES IX.

Non etiam ratio formalis liberi, sive ipsa libertas est *indifferentia & contingentia actûs* liberi: sic enim omnis actus de se indifferens ad existendum vel non existendum, sive qui contingenter existit, esset liber; & omnes cognitiones creatæ, motusque voluntatis indeliberati essent liberi. Debent quidem actus liberi esse indifferentes in suo principio, sive debent procedere à principio non determinato, sed indifferente, & quod à *nullo alio* præterquam à se determinatur, ut postea dicemus: attamen actus ipsi poterant non existere, & contingenter existunt, propter determinationem, qua determinantur à causa sua, quamque non habent in se & tanquam suam. verbo, non habent indifferentiam in se potestativam, sed hanc habet eorum causa; unde libertatem quoque non habent in se, etsi contingentiam passivam & indifferentiam passivam habeant, quam habent etiam actûs intellectûs necessarij.

DIES X.

Nec libertas formaliter sive forma & ratio, qua quidpiam est liberum, est ipsa *voluntativitas*, sive processio à potentia volitiva. Nam inde actus dicitur quidem voluntarius, sed non ideo

ideo liber. Nam actus liber involvit quidem voluntarium, sed voluntarium non semper est liberum, nisi abusivè loqui velimus. Non igitur rectè definitur liberum est, *quod fit, dum volumus*; eò quod etiam volendo exerceantur multi actus indeliberati & necessarij, qui non sunt liberi, etsi voluntativi, uti contra Jansenium sufficienter constat. A *concursu Dei* ampliùs multo patet, non posse rationem libertatis desumi, cum Deus ad actus etiam necessarios utique concurrat. Neque à *cognitione indifferente* præcisè, qua scil. objectum proponitur partim ut bonum, partim ut malum, sic ut voluntas maneat indeterminata ad illud vel amandum, vel aversandum. Nam hujusmodi cognitio indifferens prærequiritur quidem ad actum liberum; inde tamen forma liberi præcisè non sumitur. Sicut enim dum motiva planè æquiponderant, intellectus non format perfectum judicium, sed suspiciones tantùm pro & contra exercet; ita potest tunc voluntas non determinari ad actum perfectum liberum, sed tantùm ad complacentias simplices pro & contra, easque necessarias, ac displicentias similiter: qui affectus simplices liberi non sunt, etsi à cognitione indifferente pendeant. An autem præter hos affectus tum alius actus vel quasi actus liber fiat, postea videbimus.

DIES

DIES XI.

A *prædeterminatione physica*, prout communiter intelligitur, forma & ratio libertatis peti minimè omnium potest. Quia hoc non est in potestate hominis liberè volentis: ergo ab illa non potest volitio esse & dici potestativa, ratione cujus voluntas pro libitu possit agere & non agere: nam si in potestate non est principium aut causa, etiam non est in potestate principiatum & causatum, si principiati aut causari sine tali causa vel principio non possit. Etenim prædeterminatio, sive sit ipsa formalis libertas, sive causa vel formalis vel efficiens libertatis, debet esse in potestate illius principij, quod est libere volens, alioquin libertas non est ipsius liberè volentis, sed alterius, cujus est determinatio. Præterea determinatio est activè à solo Deo, & passivè tantùm in voluntate creata; hæc enim tantùm excipit, recipit, patitur, non enim determinat, sed determinatur tantùm: ergo determinatio non est actio immanens voluntati creatæ: ergo ei non est vitalis, ergo prædeterminatio non est actio ipsa libera, vel ipsa libertas, quia per actionem liberam creatura vivit.

DIES

DIES XII.

Libertas ergo est effectus vel principiatum prædeterminationis, sive prædeterminatio causat ac principiat actionem liberam in creatura: ergo actionem liberam saltem ut liberam, creatura solùm patitur, & ad eam non activè, sed solùm passivè se habet: nam licet actio libera sit actio voluntatis, ut volitio est, non erit tamen actio voluntatis ut libera est; quia ut libera est, pendet à Deo determinante solummodo, non ab ipsa voluntate. Denique strictius: Actus liber ut liber naturalis & vitalis creaturæ; ergo est actus, qui etiam ut liber, ab ipsa creatura procedit, & cujus natura (quæ est principium aut causa motus vel quietis ejus in quo est per se) est in ipsa creatura; sive cujus potentia sit immanenter activa, & substantialis agenti: Et qui actus non tantùm passivè sit creaturæ volentis liberè, sed etiam activè; damnante Tridentino dicentem, *voluntatem liberam tantùm se passivè habere*: ergo determinatio ad agendum non potest esse alicujus principij extranei, sed immediatè debet esse etiam creaturæ agentis, non solùm passivè, sed etiam activè.

DIES

DIES XIII.

Concedimus itaque, *determinationem requiri ad volitionem liberam*; sed talem, quæ sit ipsius voluntatis creatæ, non solùm passivè, sed etiam activè; sive quæ non imprimatur voluntati à Deo, sed quam ipsa voluntas exercet in se, in suaque substantia ei naturali & vitali. Potest quidem voluntas ad volitionem determinari à Deo, uti ad actus complacentiæ in gratiis prævenientibus; similiter potest determinari ab angelis vel alijs principijs extraneis, ut in tentationibus & actibus passionum indeliberatis; sed volitio hujusmodi eo ipso non est libera, verùm necessaria, quod ad eam non se ipsa determinat, sed determinatur ab extra. Similiter determinatur voluntas ad prosequendum per cognitionem repræsentantem objectum solùm ut bonum; ad aversandum, dum repræsentatur tantùm ut malum: dum autem repræsentatur per cognitionem indifferentem, qua scil. objectum repræsentatur partim ut bonum, partim ad malum, per illam cognitionem manet indeterminata voluntas, & ideo tunc ipsa se determinat, & sic liberè aut prosequitur aut adversatur.

DIES XIV.

Imò mediante cognitione & sensatione quoque fit determinatio omnis ab extra proveniens; ab angelis enim & alijs extraneis principijs determinari aliter non potest, nisi modo connaturali,

ali, qui est, ut ad interiora penetralia animæ ingressus non pateat, nisi per januas priores & exteriores: à Deo verò idipsum aliter fieri non solet facilè, qui modos connaturales ordinariè adhibet; quamvis etiam cognitionibus inorganicis & à sensu non pendentibus possit voluntatem movere. Porrò non est facile, probè intelligere, quid demum rei sit ista determinatio sui ipsius; *non est* enim *ipsa volitio*, *sed ad volitionem*, nam voluntas determinat volitionem; determinatio ergo est prævium quid ad volitionem: non ergo determinatio ad actionem quamcunque & cujuscunque potentiæ est illa actio, sed ad actionem illam necessariò requiritur antecedenter, sive procedat ab ipsa voluntate, prout diximus, fieri in actibus liberis, sive aliundè, ut in necessarijs.

DIES XV.

Nimirum actio est ipsa *potentia determinata*, ut in *Soliloq. sect.* 1. ostendimus, ubi ergo determinatio non est, actio esse non potest; & hoc concedimus Thomistis. Et licet hæc ita sint, determinatio tamen, respectu potentiæ, cujus est determinatio, licet, inquam non sit actio: attamen ipsa in se & per se ipsam est quædam actio quoque, talis scilicet, quæ nihil immediatè fiat, sed quæ tamen sit exercitatio & actuatio quædam alicujus potentiæ, prout exposuimus eadem *sect.* 1. *Soliloq.* § 5. *à num.* 82. *& maximè n.* 93. etenim potentia determinandi est aliqua potentia, & quidem vitalis ac naturalis;

ralis ; ergo determinatio actualis est eadem *potentia determinata*, actuata, exercitata : non ab alia rursum potentia determinata ; sed potentia fit ipsa sui & sibi determinatio, per resultantiam ad cognitionem indifferentem positam, tanquam terminum relationis. Nam determinatio universim non est propriè actio, nec physica exercitatio semper potentiæ alicujus; cum etiam quid negativum possit alicui esse determinativum ad quidpiam agendum ; ut patet in motu locali, & actione Dei conservativâ, in quâ per ipsum non contactum rei motæ determinatur Deus ad conservandam rem in puncto quietis, *ut dictum est. 26. Septemb.*

DIES XVI.

Confiteor hanc rem esse valdè subtilem, & difficilem captu ijs, quibus materia distinctionum & modalitatum non est perspicua ; attamen necessariò explicanda etiam alijs, quia omnes utuntur hac phrasi, *voluntatem determinare se ipsam.* Igitur certum est apud omnes, esse in agente libero potentiam determinandi se ipsum ad volendum : quæ potentia interdum est mera potentia ; cum ens liberum non semper exerceat illam potentiam; neque enim homo dormiens se determinat ad liberè volendum, nec liberè vult. Ergo aliquando eadem potentia fit actuata, & determinatio actualis non sui ipsius, sed volitionis, cujus est potentia deter-

terminativa : quæ actualis determinatio est quidam modus, & quædam modalitas respectiva, resultans ex certis circumstantijs, uti diximus, per existentiam cognitionis pro & contra non determinantis. Quando ergo cognitio non determinat, resultat determinatio ad volendum, vel nolendum, vel ad suspendendum utrumque actum, in qua determinatione propriè libertatem constituimus. Per cognitionem ergo dictam potentia determinandi fit actus determinativus, determinativus autem potentiæ volitivæ, ut per exercitium determinativum etiam potentia volitiva fiat volitio, & hæc sit libera per illam.

DIES XVII.

Sicut ergo intellectus coalescit ex diversis agendi virtutibus, apprehendendi, judicandi, concludendi; ita voluntas continet in se plures potentias modosque & virtutes se exercendi: continet enim potentiam prosequendi bonum; aversandi malum, desiderandi bonum absens, metuendi malum imminens, &c. Dico ergo inter reliquas voluntatis perfectiones esse, & eam, quæ possit determinare & eligere volitionem præ nolitione, vel contra, sive possit movere vim volendi ad actum, & non vim nolendi; sic ut re vera voluntas moveat se ipsam, prout voluntas est quoddam totum ex omnibus

ejus potentijs coaleſcens, attamen prout una ejus potentia diſtinguitur ab alia, una movetur per aliam, & non eadem ſe ipſam; ſicut in ipſo intellectu potentia diſcurrendi determinatur per potentiam judicandi, & potentia judicandi per potentiam apprehendendi, potentia apprehenſivè intelligendi per ſenſum internum, ſenſus internus per externum, externus per objectum propoſitum: cum eo diſcrimine, quod hujusmodi motiones ſint neceſſariæ, illa autem, qua poteſt voluntas ſe ipſam movere; vel una ejus potentia aliam movere, ſit poteſtativa, & ſuæmet potentiæ, & primum formale principium poteſtativum, ratione cujus actus reliquarum potentiarum dicantur & ſint liberi, poteſtativi, & ad libitum facti; neceſſarij autem, qui prodierunt ex quovis alio principio determinativo, quàm illo voluntativo.

DIES XVIII.

Conſtat ex dictis, quare libertas ſit agenti *naturalis*, quia potentia illa voluntativa motiva eſt natura, h. e. *principium formale motûs volitionalis*, ſive quare velit aut nolit agens. Patet, quare ſit eidem agenti *vitalis*; quia ſcilicet exercetur & exercet intra ipſum agens ad perficiendum ipſum: ſive eſt principium, quo *agens agit in ſe ad perfectionem ſui* Patet quare ſit *poteſtativa*; quia ipſa eſt formalis ratio & virtus, qua poſſit volens exercere habitum & libitum ſibi; cujus autem denominationis eſt quævis potentia, ejus-

dem

dem est & actio, ut dictum est *in Soliloq. num.* 93. Quod siquis non possit capere, non miretur: nam in hoc potissimùm creatura rationalis cum Deo similitudinem habet, qui & ipse similem determinandi se potentiam naturalem ac vitalem habere necessariò debet, qua liberè & ad libitum velit ac nolit: quod per terminum creatum contingentem nequaquam defendi potest, per quem non potest vivere, nec naturam suam habere vel exercere.

DIES XIX.

Neque illud obstat, quod unicè opponitur, *Deum hoc modo mutari*, & recipere in se accidens. Nam si accidens quodpiam absolutum, quod esset ens, vel modum crassum, quem multi somniant, poneremus in Deo, valeret oppositio; sed hujusmodi entium figmenta neque in neque adeo extra Deum, nos admittimus; & propterea tam operosè *in Soliloquio* explicuimus accidentia illa nostra modalia, quæ profectò entia non sunt, nec creaturæ sunt, nec creari possunt, nec fieri possunt immediatè per actionem; sed resultant tantùm ceu formalitas quæpiam relativa. Hujusmodi accidentia sunt absque dubio in Deo diversi status & habitudines gratiæ, amicitiæ, odij, obligationis, debiti, gratuiti, &c. quæ reperiuntur in Deo respectu beatorum, damnatorum, viatorum, angelorum, hominum. Odit Deus impium & impietatem

tatem ejus, quam tamen, dum se converterit, amat, & iniquitatum ejus non meminit amplius. Non Pater æternus, nec Spiritus S. sed tamen Filius assumpsit humanitatem assumptione quadam reali & physica, & accidentali seu contingente, quæ est in filio solo, non reliquis personis. Ad eandem suam humanitatem exercet verbum & habet alium affectum atque statum, quàm ad alterius hominis. Aliter tota trinitas se habet in tempore ad mundum creatum, quàm in æternitate, dum potentiam creativam exercet, non exercuit ab æterno, &c.

DIES XX.

Negari igitur nullo modo potest, competere Deo prædicata contingentia, quæ verè & realiter Deo insint; non sunt autẽ talia entia, qualia vulgares malè concipiunt, ex eo certè, quod doctrinam de distinctionibus entium exactè non calleant. Sicut ergo potentia Dei creativa quoad indifferentiam suam æterna & incommutabilis est in Deo; & tamen ei accidit indifferentiam tolli, vel non manere indifferentem, non esse potentiam meram, sed esse applicatam ad opus, determinatam, exercitatam: ita potentia Dei volitiva, ut potentia æterna, & immutabilis est; accidit tamen ei posse vel potuisse applicari, actuari, exerceri, extra statum indifferentiæ poni, idque per ipsam vim volitionalem, quæ est ipsa libertatis, qua vivit, formalissima radix. Ridiculum

lum verò est, dicere hujusmodi modos non esse in Deo, sed in re volita & creata. Quasi verò non æquè *actio sit solius agentis, uti passio est solius patientis*: sicut enim mundus merè creatur, non creat; ita Deus merè creat, non creatur. Deindè Deus non tantùm res creatas, sed etiam se amat, ut tam actio quàm passio sit Dei & in Deo.

DIES XXI.

Est igitur actio libera sive Dei, sive creaturæ, actio voluntatis, *ad quam se ipse volens immediatè & potestativè determinat* ac movet: Ita docet expresè S. Thom. 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. *Homo*, inquiens, *per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud.* Et in 2. d. 28. q. 1. a. 1. c. *Non esset homo libori arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc vel illud.* Quod etiam de voluntate Dei asserit p. 1. q. 19. a. 3. ad 5. videlicet, *quod moveat se ipsam*, dum agit liberè. Ad hanc ipsam actionem liberam ut liberam, sive ad ipsam formam libertatis non datur concursus Dei positivus & creativus immediatè: tum quia hæc est forma resultans per terminum, qui est causa resultantiæ non semper activa: tum quia eadem forma resultat in Deo, ad quem implicat actio: tum quia ad actionem generatim non datur actio creativa immediatè, quia non est ens creabile, sed entitas modalis per resultan-

tiam tantùm existens : tum quia determinatio libera speciatim est sui solius subjecti, ut dictum est *in Soliloquio num.* 186. 187. 188. 189.

DIES XXII.

Deduces inde, quomodocunque Prædeterminatores *principium* suum *determinativum* explicent vel appellent; sive velint esse complementum actûs primi, ut antiquiores; sive mediare inter actum primum & secundum, quamvis ex parte hujus se teneat, ut Joannes à S. Thoma; sive ratione solâ dicernant ab actu secundo, ut Ledesma; sive dicant esse in potestate causæ liberæ, illud principium habere vel non habere, ut Bannez; sive dicant, non esse in potestate talis causæ, ut Avila cum communi; denique quidquid esse affirmant, sive creatum, sive increatum, sive substantiale, sive accidentale, sive absolutum sive modale, sive quibuscunque phrasibus describendum: quæro semper, an in sensu composito illius principij stantis adhuc voluntas determinet se ipsam, virtute sibi propriâ, naturali, vitali. Si ita, liberè aget voluntas, sed principium illud extraneum frustraneum erit; quia sic non ipsum, sed voluntas se determinat ipsa: si minùs, non aget liberè; quia in eo est sita libertas, ut se voluntas ipsa immediatè determinet.

DIES

DIES XXIII.

Recentior aliquis adſtruit duplicem determinationem, *alteram cauſalem ex parte DEI, alteram formalem ex parte creaturæ:* Cauſalem aſſerit eſſe actionem DEI, mediante gratiâ efficace voluntatem creatam phyſicè moventem, & ad actum applicantem; ita ut reſpectu illius applicationis voluntas habeat ſe tantùm ut mota, non ut movens, adeóque ſolus DEUS ſit movens. Formalem dicit eſſe actionem à voluntate ut mota effectivè procedentem, ita, ut voluntas reſpectu hujus actionis non tantùm ſe habeat, ut mota, ſed & ut movens ſe & activè eliciens. Sunt ergo determinationes illæ duæ actiones realiter diſtinctæ, terminantur tamen ad eundem effectum ultimatum. Eandem prædeterminationem cauſalem diſtingui aſſerit à gratia invitante, & efficaciam ejus haberi ex decreto DEI ſic operandi conſenſum liberum. Hæc ille.

DIES XXIV.

Verùm hujusmodi duplex determinatio quomodo ſubſiſtere poſſit, non intelligo. Nam per cauſalem applicantem voluntas jam eſt applicata; cum impoſſibile ſit, eſſe actionem & nullam ſimul paſſionem, ſive DEUM applicare, & voluntatem non applicari: ſi ergo

ergo per causalem est applicata ad opus, ad quid ipsa voluntas rursum se debet applicare ad opus? Nonne actum agit, cum nihil aliud habeat objecti vel operis formalis applicatio, quàm quod habuit causalis. Si enim aliud habet, ergo per causalem non fuit mota in solidum, sed quatenus se movet per formalem, aliud quid agit, quàm quod agebatur per causalem. Item per formalem voluntas se movet: ergo per formalem non habet se tantùm ut mota, sed etiam ut movens; non tantùm ut patiens, sed etiam ut agens, cum impossibile sit, eam pati à se, & non agere in se, non determinare se, & tamen determinari à se. Cum ergo realiter distinguantur illæ determinationes, poterunt etiam separari realiter. Exerceatur ergo determinatio causalis, cessante omnino voluntate à sua formali: in hoc casu voluntas est determinata ad actum volendi, ergo & volet; quia implicat, eam esse determinatam & non amplius indifferentem, & tamen non agere, cum actio sit ipsa *potentia determinata*. Tunc ergo & aget, & non aget liberè, quia non aget ex sua ipsius determinatione, sed ex determinatione extranea: ergo determinatio causalis (saltem mente separata & seorsim considerata) non operatur libertatem voluntatis, sed potiùs necessitatem.

DIES

DIES XXV.

E contrario voluntas ut formaliter se movens, quia & agit in se, & patitur à se, cum actio sive *determinatio sui sit immanens*, potest seorsim à causali considerari saltem, imò & fieri re ipsa seorsim, cum supponatur ei non deesse concursus DEI; à supernaturalitate autem hîc abstrahimus, dum quæritur de libertate præcisè: quatenus ergo sic consideratur ut se ipsam movens ad actum, eatenus certè solùm agit liberè; quia eatenus ipsa se determinat: ergo in eo, quod se determinet, sive per determinationem solùm formalem agit libere, & causalis ad libertatem nihil omninò confert. Etenim per hanc formalem fit agens, quia ponitur extra statum indifferentiæ, & non agitur ab ullo extraneo ex suppositio, sed ex propria virtute sua immediatè, adeoque potestativè; quid amplius ad libertatem requiras? Dices, determinationem formalem pendere necessariò à causali. Sed si ita, per causalem voluntas jam est determinata ad se formaliter determinandum: ergo non manet indifferens, & adhuc potens ad se determinandum; adeoque impos est, ad potestativè agendum, quia potestativè agere est agere pro libitu, vel non agere: & quid est se determinare formaliter, quàm sibi indifferentiam tollere, quæ indifferentia non stat, si est sublata per determinationem causalem; uti sublata est, si necessariò inferat determinationem formalem.

DIES

DIES XXVI.

Videt DEUS futuritionem actûs in decreto inquis ſuo, utique cauſaliter determinandi: ſed quæro, quomodo videat futuritionem ut libera eſt; ſive quare videat illam eſſe potiùs liberam, quàm neceſſariam? ubi eſt ipſiſſima forma libertatis, quam videt? ſine dubio in eo, quod videat voluntatem determinaturam ſe ſe ipſam, ad quid enim aliud illa determinatio ſui formalis videri debet? ſed hanc non poteſt videre in decreto cauſaliter determinandi, quia in hoc nihil videt, niſi neceſſariam dependentiam determinationis formalis à cauſali; cum formalis absque cauſali ex ſuppoſito ſit impoſſibilis, & poſitâ cauſali formalis non poſſit à voluntate omitti: ſive cauſalem videt DEUS non poſſe vel impediri à voluntate, vel cauſari aut procurari ab illa; adeóque non eſſe in poteſtate voluntatis determinate ſe, vel non determinare, cum non videat in ejus poteſtate principium ſe determinandi, quod eſt determinatio cauſalis: videt ergo in voluntate meram determinationem jam factam ab extra, & nullam potentiam determinandi ſe ipſam, neque adeò determinationem ſui activam, ſed *merè paſſivam*, qualis non eſt determinatio ſui ipſius.

DIES

DIES XXVII.

Habet ergo voluntas potentiam determinandi se, activam & passivam, sive *immanentem*, *naturalem*, *vitalem*, utique ad DEO solo acceptam per creationem, qua ratione ejus libertas pendet à causa prima solummodò. Hanc tamen ipsa exercet se sola, cum sic eam acceperit, & ita se actuat, ut actus secundus sit perfectior primo; quia primus est tantùm potentia, secundus verò est *potentia determinata* & exercitata, quod plus est. Absque dubio tamen DEUS influit antecedenter in actum liberum, disponendo eam per gratias actuales, cum quibus prævidet fore, ut ipsa se determinet; præmittendo quoque ea omnia, quæ pro suo concursu necessaria videt ad hoc, ut possit voluntas determinare se ad volendum: sed his suppositis ac dispositis, ad ipsam determinationem voluntatis nihil ampliùs operatur, verùm ipsius voluntatis solius est hoc negotium; eò quod ipsa determinatio & sublatio indifferentiæ *non sit ens*, vel aliquid creabile, ad quod immediatè actio creativa terminari possit. Sed tempus est, aliquid amplius de peccato dicendi.

DIES

DIES XXVIII.

Peccatum actuale (de hoc enim hactenus actum est) est *actio personalis*, sive *quiscunque usus libertatis legi difformis*, ut dictum est. Cum sit actio, erit *potentia determinata*, vel determinatio potentiæ naturalis quidem & vitalis ac immanens; quam implicat posse creativè existere: non est igitur *forma absoluta*, sed modalis. DEUS non potest peccare: tum quia ad peccatum ut formaliter & præcisè liberum est, immediatè nec concurrit quidem; sed determinatio ad volendum liberè est solius voluntatis peccantis, ut dictum est: tum quia, etsi alioquin ad peccatum sive ad actum peccaminosum concurrit, facit tamen hoc ex officio, & determinatus, & cum dissuasione peccati: tum quia ei lex poni non potest, contra quam ageret: tum quia ageret contra se, & offenderet se, quod non solùm ejus omnimodæ sanctitati, sed etiam rectæ rationi repugnat.

DIES XXIX.

Peccatum enim essentialiter offendit DEUM, cujus legi repugnat, & *reatum indignationis divinæ* involvit: sicut & *reatum pœnæ* tanquam proprietatem adducit. Qui duplex reatus aliud non est, quàm forma modalis, sive *status & conditio hominis*, *qua obligatus manet* ad sustinendam tum indignationem legislatoris,

latoris, tum pœnam ab eo infligendam : forma inquam est passiva in peccatore, qua cogitur subjacere utrique malo, tum culpæ, tum pœnæ. Reatum utrumque gratiosè abolere & remittere potest Legislator divinus, ad quod præstat dispositionem peccator retractando : sed non tenetur remittere, cum jus suum prosequi possit : quamdiu ergo non remittit reatum culpæ, tam diu manet habitualiter : est ergo *peccatum habituale* conditio & status peccatoris manentis in obligatione reatûs ; forma scilicet moralis ac relativa partim activa, partim passiva, resultans ex actu præterito, & ex non facta condonatione. Peccatum *originale* est similis formæ respectivæ, quo filius Adæ peccavit in patre, quatenus hic voluntates filiorum in sua voluntate habebat inclusas, ex lege DEI ; sicut à patre adnasci solent filiis servitus, nobilitas, & alia sive jura, sive debita. Et hæc forma cessat, DEO jus indignandi dimittente in baptismo.

DIES XXX.

Circa peccatum errarunt *Adelphius & Hermiani* dicentes, peccatum originale esse dæmonem ; cum non sit substantia, sed modalitas relativa. Errarunt *Armeni*, *Pelagiani*, *Albanenses*, dicentes, peccatum originale esse nihil : etsi enim non sit actus nobis personalis, nec ulla res absoluta ; est tamen vera forma

ma modalis, cuivis propria & inhærens, donec remittatur. Erravit *Zvvinglius* esse morbum tantùm; nam est forma modalis, vera, ac realis inimicitiam fundans inter DEUM & hominem. Errarunt *Armeni*, *Bardesanes*, *Manichæi*, *Pelagiani*, *Albanenses*, *Trinitarij*, multique ex *Luthericis* & *Calvinistis*, negantes peccatum pendere à voluntate hominis, cum ista non sit libera; sed esse à solo dæmone, & ideò peccatum non futurum fuisse, si dæmon non fuisset: ostendimus enim, peccatum fieri ex propria determinatione voluntatis humanæ sola ac potestativa. Errarunt *Pharisæi* negantes peccatum cogitationis; quia & hæ ex libera voluntatis determinatione fieri possunt. Errant *Libertini*, *Georgius David*, *Molinos*, *&c.* dicentes, carnem solam peccare, non animam: quia caro non habet potentiam determinativam sui. Errarunt *Manichæi*, *Trinitarij*, *Melanchthon* & alij, dicentes, voluntatem merè passivè se habere in peccando; quia potentia determinandi se & volendi est activa & immanens. Errarunt rursum *Manichæi*, docentes, esse in eodem homine mentem bonam, quæ benè, & mentem aliam malam, quæ malè operetur: Nam una eademque mens operando ex electione boni fit bona, & ex electione mali fit mala, &c.

DIES

DECEMBER.

DIES I.

A Peccatis ad ſtatum ſupernaturalem convertimur, cui hunc menſem & finem anni impendimus, ab amicitia DEI exordium ſumentes. Eſt porrò *ſupernaturalitas modus, quo totius creaturæ jus & potentia ſuperatur.* Quare eſt prædicatum cuicunque creaturæ contingens, in quinta claſſe ponendum: quia ſi in aliam quamcunque ex quatuor claſſibus referretur, faceret creaturam ſubſtantialiter ſupernaturalem; quod in terminis ipſis repugnat, eò quod iſta ſe ipſam ſuperaret. Quocirca *ſupernaturalitas ſubſtantialis* aliqua *ſoli DEO competit* reſpectu entium creabilium; quæ tamen eo ipſo, quod ei ſubſtantialis eſt, etiam ei naturalis eſt prorſus. Unde patet amicitiam DEUM inter & creaturam eſſe naturalem quidem, prout eſt DEI ad hominem, ſed ſupernaturalem, prout eſt hominis vel creaturæ ad DEUM: quia ſuperat hujus omne jus & potentiam.

DIES II.

Eſt namque amicitia *duarum mentium inter ſe benevolentia mutua atque reciproca permanens de ſe & efficax.* Mentium eſt utique non lapidum, nec brutorum. Benevolentia, qua ſcil. amicus non ſuum ſibi, ſed amati bonum atten-

dit. Mutua est ac reciproca ; quia amicus amicum amat ex eo potissimùm , quod ametur & ipse ab amico. Permanens est , quia verus amicus optat & conatur affectum amoris in alterum nunquam dimittere. Efficax demum ; quia amicus amico de suis bonis sincerè communicat. Hujusmodi benevolentia est DEI erga hominem , quantum in illo est ; quia ei non tantùm omnia ejus corporalia & spiritualia bona , vitam , sanitatem , gratias tribuit ; sed etiam sua ipsiusmet bona , sibi intrinseca , lumen gloriæ , visionem sui & fruitionem , & supernaturalem beatitudinem præparat , suorumque secretorum participem facere desiderat , juxta illud : *Non dicam vos servos ; quia servus nescit , quid faciat Dominus ejus : sed vos dico amicos ; quia omnia , quæ audivi à patre meo , nota feci vobis.* Patet autem creaturam per se naturaliter quidem esse Creatoris servam , sed non amicam , quia ad statum tam felicem aspirandi aut pertingendi nec jus ullum habet , nec vires.

DIES III.

Benevolentia illa amantis debet amato esse cognita ; alioquin mutua & reciproca esse non posset. Constat autem creaturæ affectus ille DEI erga se , tum ex fide , tum ex

cor-

conſcientia propria, qua moralem certitudinem habet, ſe feciſſe & facere, quæ DEO placent, juxta illud Joan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis.* Debet autem creatura DEO obedientiam & benevolam ſubjectionem tum ipſa per ſe præſtare, tum procurare, ut præſtetur ab aliis: quia per hoc potiſſimum & unicè quærit bonum DEI, cujus gloria ſic propagatur, dum ejus beneplacitum impletur; prout CHRISTUS de ſe, *Quæ ei placita ſunt facio ſemper.* Ex quibus patet, qua ratione homo DEI amicitiam colere atque augere; ſed & quomodo perversè eam amittere & violare poſſit, peccando utique, & benevolentiam illam erga DEUM nequiter abrumpendo; cum eam DEUS ex parte ſua deſideret eſſe æternam, & nunquam priùs dimittat, quàm homo. Proprium verò amicorum eſt, frequens inter ſe converſatio, collocutio, communicatio, quod facit DEUS multiplicibus illuminationibus, inſpirationibus, impulſibus ad æterna quærenda: homo verò frequentibus ad hæc auſcultationibus, precibus, aſpirationibus, & mentalibus alloquiis: quæ quo magis induſtriè & aſſiduè fiunt, eò magis amicitia creſcit, colitur atque perficitur: deficit paulatim, dum ab homine negliguntur.

DIES IV.

Porrò hujuſcemodi hominis erga DEUM actus & exercitia mentis, multiplici titulo & motivo fieri poſſunt. Primo titulo & affectu felicitatis propriæ, qui eſt amor concupiſcentiæ, quo homo ſuam beatitudinem à DEO quærit; qui malus non eſt; quia DEI voluntati & legi conformis, eſtque affectio ſpei, quâ vera bona ſibi homo lucrari cupit. Iterum titulo & affectu ſubjectionis; qui eſt ſervitutis & obedientiæ etiam ipſe utique bonus & à DEO præceptus, eique omnino debitus; & vocatur ſervitium DEI. Tertio ex affectu erga DEUM ipſum, & bona ipſiusmet DEI, quâ creatura amat DEUM, eique bene vult, ac bona ejus deſideret ex eo, quod ipſum ſummè æſtimat, ejusque dignitatem, excellentiam, ſanctitatem & omnimodam bonitatem ſuper omnia æſtimet, omnibus præferat, & ideo procurare & quærere ſatagat; & hic affectus eſt charitatis. Quarto denique amicitiæ, quo DEO creatura benè ideo vult, quia ſcit, eum etiam ſibi benè velle; quod prædicat S. Paulus, *Qui prior dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

DIES V.

Similiter varij ſunt DEI erga creaturam affectus. Dum enim amat hanc, quia ſcit & ſe amare ab illa, hæc eſt *affectio amicitiæ* DEI in creaturam. Dum eam amat, quia vel hæc ipſi ſervit, vel ſervitura eſt, vel ut ſerviat, vel gratuito, cum intentione eam perducendi ad gloriam, dicitur *gratia*. Quod ſi decernat DEUS homini hujusmodi gratioſum affectum permanenter & ad modum habitûs, dicitur *gratia habitualis*, vel ſtatus gratiæ: idque vel ſimpliciter, quatenus decernit DEUS homini gloriam dare titulo meriti & mercedis: Vel adoptio in filium aut ſtatus filiationis, quatenus decretum nititur jure filiationis per merita CHRISTI applicata; & gloria ſic diſpoſita habet rationem hæreditatis. Status hic gratiæ ut obtineatur, *inchoari is debet à remiſſione peccati*, ſiquod mortale habuit homo. Nam ideo gratioſus hujusmodi ſtatus concedi non poteſt inimico, qualis eſt omnis peccator: & quomodo inimicus DEI ſit filius & ſervus fidelis; & poſſideat jus non tantum meritoriè agendi, ſed etiam exigendi vel ſupernaturalem mercedem, vel hæreditatem Chriſto debitam?

DIES VI.

Per hujusmodi ſtatum ut congruè procedendo, tandem ad actualem ſupernaturalis vel mercedis vel hæreditatis poſſeſſionem perveniatur, *fides divina* neceſſaria eſt. Nimirum ſupernaturale præmium & bonum ſupernaturali operatione comparari oportet. Neſcit autem homo, quæ qualesque ſint illæ divinæ operationes, vel meritoriæ actiones, quæ viæ, qui modi vivendi, niſi DEO revelante id diſcat. Audiendo ergo Divini magiſtri locutiones credere dicitur: quod aliud non eſt; quàm *conſentire DEO revelanti propter auctoritatem revelantis.* Quare ſicut magiſter humanus ſcholas aperit iis, qui diſcere volunt; ita Spiritus S. magiſter cœleſtis, Eccleſiam ordinavit, in qua veritates cœleſtes perpetuò docet. Sicut porrò diſcipulatus humanus ex parte diſcipuli requirit, ut hic poſt petitionem ſuſcipiatur in ſcholam, & ſuſceptus ſedulum ad lectiones & morigerum ſe præſtet, ne tanquam inutilis rejiciatur, & ſchola denuò excludatur: Ita neceſſe eſt, hominem à Spiritu S. impetrare admiſſionem in numerum diſcipulorum, auſcultare deide & locutiones didacticas reverenti aure excipere; ne ſi audire detrectet, aut ſe docenti opponat, diſcipuli jus & nomen, hoc eſt fidem, amittat.

DIES

DIES VII.

Ex parte magistri verò evenire solet, ut hic discipuli curam suscipiat, ejusque profectui cooperetur; discipulis convenienter sui copiam faciat, benignum se eis & facilem exhibeat; sed & jura specialia privilegiaque conferat, quibus in discipulatu foveantur, æstimentur, serventur, & crescant: quo fit, ut licet etiam non discipulus interdum velut indirectè & per accidens aliquid à magistro docente audiat; multò tamen plura, feliciùs, faciliùs, cumulatiùs discat, qui est discipulus. Ita Spiritus S. eos, quos intra suam scholam recipit, omni amore & cura temporibus opportunis instruit, erudit, dirigit, excolit, animat, & ad omnem sapientiam magis magisque aptat, præparatque ad gloriam æternam, post vitam meritoriè actam, denique consequendam. Dignatur quidem idem divinus Spiritus etiam infideles aliquando, sed quasi obiter, alloqui; cum tamen fidelibus sui copiam quotidie faciat; eis jus conferat à se speciatim cœlestia lumina exigendi; eos cum speciali affectu ac inclinatione, & quodammodo ex obligatione officij instruat, & in omnem veritatem deducat.

DIES VIII.

Atque ista *facultas discendi* & veritates coelestes acquirendi, *nixa duplici quasi contractu*, partim DEI se ad docendum obligantis, partim hominis ad auscultandum se adstringentis, prout homini permanenter & habitualiter conceditur, dicitur habitus fidei. Qui certè supernaturalis est, & dicitur, quatenus acquiri & exigi à creatura non potuit, sed gratiosè à DEO ad finem supernaturalem conceditur. Unde & *infundi* dicitur, quatenus DEI liberali decreto & dono datur, quod in baptismo fit, titulo meritorum CHRISTI; in adultis requiritur dispositio, quia æquum est discipulum admissionem petere, si ipse possit. Dicitur *inhærere* animæ, quia jus illud & facultas est forma relativa, quod non nisi in mente, tanquam subjecto necessario inexistere debet. *Influit* in actus fidei, quia nisi loquatur DEUS, ei credi non potest, ut autem facilè & promptè loquatur, ille habitus DEUM inclinat. *Augetur* & crescit frequentibus fidei actibus; quia per hos homo DEUM sibi ampliùs demeretur, & magis inclinat. *Perditur* peccato infidelitatis; quia sic contractus dissolvitur. Habet se *per modum potentiæ*, quia sine locutione divina, ad quam inclinat DEUM, & sine cooperante DEO actus fidei dici non potest, maximè uti ad salutem oportet.

DIES

DIES IX.

Fruſtra infunderetur homini fides, ſi non adderetur & *Spes*. Per fidem inſtruitur homo, ut intelligat, ſibi eſſe præparata bona æterna; & quod actionibus difficilibus promereri, & à Deo titulo mercedis ac præmij expectare & conſequi debeat. Quomodo autem aggrediatur labores tam arduos pro eis bonis, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit*, niſi ea re ipſa ſperet ſe conſequi poſſe? & ſicut fides difficultatem magnam continet, quæ jubetur aſſerere veritates adeò ab omni intellectu naturali remotas: Ita reſtat magna arduitas ac difficultas in laborando pro aſſequendis bonis, quæ videt in viribus ſuis planè non eſſe poſita. Unde ſicut difficultas fidei tollitur, quod nitatur *divina auctoritate* loquentis, qui nec falli nec fallere poteſt: ita difficultas altera tollitur, dum ſpes nititur ac ſuſtinetur *divina omnipotentiâ, ſapientiâ, bonitate*, quibus ſibi certo præparatis confidit, ſe actiones convenientes omninò exercere poſſe, quibus vitam æternam re ipſa meriturum ſe eſſe exiſtimet. Atque ita hic juvatur voluntatis ad audendum infirmitas, ſicut ibi intellectûs obſcuritas.

DIES X.

Tametsi verò omni homini viatori remotè promissa sint auxilia divina, quibus posset salutem obtinere: attamen titulo meritorum Christi specialiter applicatorum & applicandorum fidelibus, istis Deus specialem concedit titulum, jus, copiam & quasi potestatem utendi divina sua sapientia, potentia, bonitate, quibus ad finem prædictum adjuvetur: & eis ad hoc singulariter Deus se obligat: Unde & frequentibus instinctibus & motionibus eos ad heroicos actus impellit; animat, ut parvi pendant pericula obstantia, & difficiles actiones ausint magnanimiter suscipere; timores naturaliter occurrentes imminuit; firmat in tentationibus; ingerit proposita constantis animi, & gaudium infundit, ut alacriter viam mandatorum Dei decurrant. Et hujusmodi tam *specialis assistentia Dei permanenter promissa, & homini obligata, prout parit eidem homini jus constans*, eandem assistentiam sic exigendi, vocatur rectè *habitus spei*: qui perseveret, donec per peccatum oppositum amittatur, & à peccante veluti impatiente tam felicis contractûs improbè rescindatur. Quomodo hic habitus per actus crescat, in eos influat, & similia colliges ex dictis die 7.

DIES

DIES XI.

Sicut fides nos ordinat ad Deum, tanquam magiſtrum ſupernaturalium veritatum: Spes uti ad æquiſſimum judicem, gubernatorem, ac remuneratorem liberaliſſimum bonorum operum: charitas autem, quæ tertia eſt, eum nobis amicum, fratrem, ſponſumque efficit. Actu charitatis jam diximus *die* 3. *hujus*, nos ferri in Deum *motivo & affectu benevolentiæ ſolùm*: quatenus Deo amamus & quærimus bona ipſiusmet Dei, ex eo, quod ejus dignitatem & excellentiam præ omnibus aliis bonis æſtimemus, præ quo proinde omnia etiam noſtra bona deſpicimus & poſthabemus. Amamus ergo actu charitatis bona Deo intrinſeca, ejus eſſentiam & attributa, ſapientiam, bonitatem, potentiam, ſanctitatem, beatitudinem, & exultamus in eis tanquam Deum ſolùm & ſummè decentibus. Amamus Deo nos ipſos & creaturas rationales, quatenus aptas ad Deum cognoſcendum, amandum, laudendũ. Amamus Deo bona naturæ, elementa, mixta, cœlos, ſtellas, plantas, pecudes, quatenus Dei ſapientiam, potentiam &c. manifeſtant, & ſerviunt homini, ut iis adjutus Deum cognoſcat eique ſerviat. Amamus eidem humana ſtudia, ſcientias, artes, phyſicam, metaphyſicam, mathematicam, theologiam, &c. prout ad Deum deducunt. Amamus Deo converſiones hominum, profectus in literis

teris & virtutibus, valetudinem, negotiorum ſucceſſus, propter ſimiles cauſas. Amamus demum quidquid amat ipſe Deus, & odimus, quod odit, quia amicus amici affectus imitari eique aſſimilari ſtudet.

DIES XII.

Habitus charitatis eſt *facultas permanenter homini conceſſa*, ad Deum ſic amandum, ſita ſimiliter *in quodam jure*, quo humo ad hoc frequentia à Deo auxilia, lumina, impulſus expectare ac petere poteſt. Cujuſmodi jus debetur fideli peccato carenti titulo meritorum Chriſti. Quod etiam jus, quatenus opportunis temporibus hujusmodi auxilia conſtanter cauſat, habet ſe inſtar naturæ, homini cœlitus inſitæ. Quia verò Deus diligentes ſe infallibiliter diligit, habitum hunc charitatis ſubſequitur amor in Deo, & ideò reſultat affectus amoris mutuus atque reciprocus, in quo amicitiam conſiſtere diximus. Unde patet amicitiam à charitate abeſſe & ſeparari non poſſe, licet diſtinguantur inter ſe; cum amicitia plus dicat quàm charitas, quæ de ſe mutua non eſt, licet mutuam cauſet.

DIES

DIES XIII.

Differuntne autem habitus gratiæ & habitus charitatis ? Habitus gratiæ eſt *facultas permanens & ſtatus, quo homo habet jus ad hæreditatem à Deo exigendam*, ſi eum ſtatum ad finem uſque retineat : habetque dignitatem, quæ æſtimetur à Deo, ut filius atque amicus ; quocum & ipſe amicabiliter & filialiter agendi potentiam habet. Habitus autem charitatis eſt *facultas Deum ſuper omnia amandi*, quidni filialiter & amicabiliter ? & quomodo non homo tali facultate inſtructus viciſſim mereatur amari & æſtimari à Deo ? Non ergo video inter hæc duo diſcrimen ? Idem prorſus ſignificare videntur aut certè vix diverſa voces iſtæ, Gratia, charitas, amicitia. Nam qui gratiam amiſit, charitatem & amicitiam non retinet : & qui deſiit eſſe amicus Dei, ſtatum gratiæ quoque & charitatis perdidit. Omnia iſta ſignificant qualitatem ſupernaturalem, utique modalem, ſitam in certa creaturæ cum Deo, & Dei cum creatura cohæſione, correlatione, coobligatione, agendi jure & modo : in quibus reperitur quidem reſpectiva diverſitas, ita tamen, ut ſimul in unum coëant ſtatum.

DIES

DIES XIV.

Non tamen eadem sic coëunt cum habitu spei & fidei, à quibus disjungi possunt. Fieri enim potest, ut per peccatum mortale gratiæ, charitati & amicitiæ contrarium, omnis istorum habituum apparatus cesset; maneat tamen habitus spei & fidei. Etenim cum peccator etsi non sit amplius amicus & filius Dei, totumque statum gratiæ cum Deo amiserit: quia tamen nondum per sententiam ultimam est planè rejectus & condemnatus; consequenter habet adhuc jus & potentiam, sive facultatem, rursum ad beatos illos titulos & honores perveniendi, si pœnitentiam agat; unde miserente Deo, manet prior illa consociatio & colligatio Dei & creaturæ, qua possit ista adhuc à divino magisterio pendere, & Dei potentiâ bonitateque niti. Duabus nempe istis qualitatibus fidei & spei repugnant tantum illa peccata, quæ istis directè opposita sunt; sicut charitati repugnat omne peccatum mortale; quod proinde omnem gratiam & amicitiam solvit.

DIES

DIES XV.

Sed an non per miraculum fieri poſſit, ut ſtatus gratiæ cum mortali, & habitus fidei cum peccato infidelitatis, ſpesque cum deſperatione conſiſtat? Hujuſmodi quæſtiones naſcuntur ex eo, quod ſupponantur iſtæ qualitates eſſe entia abſoluta: ſed in noſtra via manifeſta ſunt iſta. Quid enim iſta ſunt rei? Cogita glorioſum ſtatum Joſephi in Ægypto: qui quid aliud erat, quàm *jus ei per gratioſum regis decretum permanenter conceſſum* adminiſtrandi bona regia, gubernandi Ægyptum vice regis, ordinandi ac diſponendi negotia regni, cum ea honoris prærogativa, quæ hujuſmodi commiſſionem congruè ſequi debet. Simile quid planè ſunt ſtatus gratiæ Dei, amicitiæ, charitatis, ſed & fidei ac ſpei ex parte: præterquam quod dignitas & felicitas ſancti & juſti ex relativa colligatione cum Deo & juribus ab eo acceptis, exſuperent felicitatem illam & quamvis ſimilem humanam, tanto exceſſu, quanto DEus ſuperat creaturam, ſcilicet infinitè in genere honoris & æſtimabilitatis: cum prorſus ſit bonum omnem naturam, opes, beatitudinemque naturaliter poſſibilem ſine fine excedens.

DIES XVI.

Sed in quo demùm ſita eſt ipſa *ſupernaturalitas* hujuſmodi bonorum ? reſpondeo, contineri in eo divinæ veritatis effato, *Convertimini ad me, & convertar ad vos*; ſcilicet in perfecta voluntatis divinæ cum humana copulatione, qua Deus ſe creaturæ beatè poſſidendum communicat. Eſt ergo vel ipſa beata Dei & perfecta poſſeſſio, vel diſpoſitio & ordinatio ad eandem. Requiritur converſio quæpiam creaturæ ad Deum; quia non convenit, divinam voluntatem converti ad hominem, ſi humana non prius deſideret Deum: quamvis converſio illa humana ad Deum de ſe ſupernaturalis minimè ſit; ſed talis modò fiat per gratioſam converſionem voluntatis divinæ ad hominem. Actus fidei, ſpei, & charitatis quoque naturales eſſe poſſunt; ſunt autem ſupernaturales, dum fiunt cum amicabili affectu Dei cooperantis & per eos homini beatitudinem intendentis. Habitus fidei, ſpei, gratiæ & charitatis ſupernaturales ſunt, quia infunduntur à Deo, ut cooperentur ad beatitudinem homini procurandam ex gratioſo Dei affectu eandem beatitudinem intendentis. Gratiæ prævenientes & cooperantes ſupernaturales ſunt: quia ex ſimili Dei affectu dantur, & voluntatem humanam ad Deum convertunt. Actiones ſacramentorum ſunt ſupernaturales, quia gratiam Dei cauſant, idque agente principaliter ipſo Chriſto cum gratioſo utique affectu & intentione ſalutis humanæ.

DIES

DIES XVII.

Homo dum exercere conatur actum sive fidei, sive spei, sive charitatis, sive virtutis cujuslibet moralis, potest quidem experimentaliter scire, se elicere actum talis virtutis; quis enim dum dolet, gaudet, sperat, desiderat, non experitur, se dolere, gaudere, sperare, desiderare: Attamen scire non potest, an suus actus sit supernaturalis. Licet enim sciat, se converti sic ad Deum, non potest tamen scire, an cum eodem actu, Deus se quoque convertat ad se; sive an Deus eum actum benevolè suscipiat, eumque gratiosè approbet, & dirigat ad perfectam conjunctionem hominis cum ipso Deo. Sicut enim per gratias prævenientes sæpè Deus hominem ad se invitat, & vocat, homo tamen frequenter vocanti non obtemperat: ita interdum homo se convertit ad Deum, etsi tunc Deo non sit integrum benevolo & paterno animo cooperari, sed potiùs affectum illum suum gratiosum non statim adjungat. Ita clamabunt interdum tepidi ad Deum, sed non exaudiet eos. Orabat Deum Antiochus, à quo misericordiam non impetravit: quia orabat, Deo non cooperante, & gratiosum affectum non applicante. Unde nemo scire potest, an sit gratia Dei, quia intimos Dei affectus erga se & actus suos ignorat.

DIES XVIII.

Ex his varia colliguntur & resolvuntur. Nam quia habitus isti non sunt aliud, quàm permanens possessio jurium & prærogativarum, quibus ho-

mo certo modo se habeat ad Deum ejusq; bona, sitque dignus à Deo certo modo juvari, amari, æstimari, præmiari: quo frequentioribus actibus istorum habituum homo Deo obsequitur; eò magis crescit ea dignitas, & sic intenditur habitus: qui & magis influit; nimirum quia dignior fit homo, ideò magis benevolè eum Deus prosequitur, sæpius illuminat, impellit ad salutaria, adjuvat, solatur, roborat; & hoc est habitum influere: his enim Dei favoribus & gratiis homo cooperando supernaturaliter agit, quia simul ipse ad Deum convertitur libertate suâ, simul Deus inclinatur gratioso affectu ad eum perficiendum, atque ad intimam demum secum ac beatam conjunctionem perducendum. Quod si contra homo ijs Dei gratijs morem non gerat, peccat utique veniali negligentia; quia jus & dignitas primo collata manet quidem, decedit tamen de incremento ejus, quod acquisierat; unde minus capax & dignus est excitationibus divinis, & consequenter pauciores actus salutares exercet; quod est minui fervorem & nitorem. Cessantibus autem frequentibus Dei auxilijs, dum ingruit tentatio, tepidè aut planè non resistit, & labitur in peccatum grave. Ecce *quomodo veniale disponat ad mortale: & qui sanctus est, sanctificetur adhuc, qui autem sordidus est, sordescat adhuc.*

DIES

DIES XIX.

Patet quoque ſolutio ejus, quod ante quatriduum propoſitum fuit, *miraculoſè non poſſe habitus ſupernaturales cum peccato mortali conſiſtere, cuivis directè contrario.* Quomodo enim dignitatem magiſterij & ſcholæ retineat, qui illam protervè ipſus excuſſit ac repudiavit? Qui ſponte decernit non uti Dei bonitate, ſapientiâque ad ſuam ſalutem, quorſum retineat prærogativam eis utendi? Quem in finem aut quomodo retineat ſubſidium ad Deum omnibus bonis præferendi, dum ipſum viliſſimæ voluptati aut ſcoriæ aut fumo re ipſa poſtponit? Quomodo hæc per miraculum fieri poſſent? Quare pupillus & clericus jus etiam nolens retineat, video; quia videlicet iſte jus idem commune habet cum Chriſto & Eccleſia; prior autem deficit uſu rationis, quo de ſuo jure diſponere poſſit: quam autem cauſam habeat Deus, relinquendi jus in tali peccante, dum illud ſponte volenſque excutit, ipſumque ſolum concernit, non video; abſque cauſa autem Deum vel miraculum vel quidvis facere non poſſe ſcio. Qui merè negativè non vult ſalvari, ut infans, poteſt eum Deus ſalvare; ſed qui poſitivè non vult, eum Deus ſalvare non poteſt; quia non poteſt arctiſſima & perfectiſſima amicitia iniri cum eo, qui poſitivè amicitiam excutit, quæ eſſentialiter eſt *duarum voluntatum mutuus amor & conjunctio.*

DIES XX.

Liquet etiam, qualiter poſt mortem maneant habitus, in damnatis nulli manent, quia actus ſupernaturalis nullus eſt eis poſſibilis; cum talis actus ſit converſivus tum creaturæ ad Deum, tum Dei ad creaturam cum intentione amicitiæ perfectæ; illi autem in æternum à Deo averſi projectique ſint. Fides non manet in Beatis; quia fruſtra haberent jus magiſterij, & ut inſtruantur in ijs, quæ clariſſimè vident. Quare conſpiciliis utatur, qui ſine illis meliùs videt? Habitus ſpei ſimiliter deſinit, quia non poſſunt requirere jus ad utendũ Dei bonitate ac ſapientiâ ad promerendam ſalutem, quam jam poſſident; & omnium Dei attributorum copiam beatificam habent. Charitatis autem uti & gratiæ amicitiæque habitus neceſſariò manent, vel potiùs in perfectiores tranſeunt. Quomodo enim non habeat jus concurſûs divini ad eum ſuper omnia amandum, quem non poſſunt non ſummè amare, amore ſupernaturali perfectiſſimo, utique ſummâ firmitate alterius ad alterum converſivo? hujuſmodi jus vel potius jam connaturalem potentiam & facultatem confert eis ipſe beatitudinis ſtatus. Unde facilè concedi poteſt, eſſe habitum alterius planè ſpeciei, ſicut actus diverſi ſunt; licet ejuſdem ſit adhuc generis cum viali, & eo ſenſu rectè dicat S. Paulus charitatem manere.

DIES

DIES XXI.

Videamus nunc, quinam sint errores circa actus vel habitus supernaturales ab Ecclesia damnati, & quomodo eosdem nos efficaciter excludamus. Igitur propositiones Bajanæ à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatæ sunt: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur, i. e. destitutum naturæ integritate & justitia originali. Immortalitas primi hominis non est gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Humanæ naturæ sublimatio in consortium divinæ naturæ fuit debita integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

DIES XXII.

Idem Bajus docuit, has propositiones à Pio V. & Gregorio XIII. damnatas: *Liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio non nisi ad peccandum valet. Fures sunt & latrones, quicumque aliunde quàm, per Christum in viam justitiæ, i. e. ad aliquam justitiam conscendi posse dicunt; aut tentationi ulli sine adjutorio gratiæ resistere hominem posse, ita ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, h. e. quod ex solis naturæ viribus ortum*

ducit, agnoscit. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet. Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes philosophorum sunt vitia. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. Eadem damnat Constantiense *sess.* 15. & Trident. *sess.* 6. *can.* 6. scilicet omnia naturæ lapsæ opera esse peccata.

DIES XXIII.

Jansenij propositiones ab Innocent. X. & Alexandro VII. damnatæ sunt: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. Semipelagiani est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

DIES

DIES XXIV.

Pelagius damnatus à Concilio Palæſtino, Africano, Millevitano, & ab Innocentio, Zoſimo, Cœleſtino, Bonifacio, docuit, *Adamum creatum eſſe mortalem, & moriturum fuiſſe, ſive peccaret, ſive non. Adæ peccatum ipſi ſoli, non propagini nocuiſſe. Nullum eſſe peccatum originale in poſteros transfuſum. Nihil eſſe infantibus culpæ, quod lavacro generationis indigeat; nec parvulos baptizari in remiſſionem peccatorum, & ſi ante moriantur, ſalvari. Hominem ſolis naturæ viribus ſine gratia vera poſſe ſervare omnia mandata, ſine peccato vivere, remiſſionem peccatorum mereri, ab infidelitate ad fidem converti, fidei augmentum acquirere ac perſeverantiam, nec ad hæc orationibus indigere; etſi hæc omnia poſſit quoque per gratiam & facilius.* Semipelagiani *initium ſaltem ſalutis* tribuebant libero arbitrio naturali, poteſtatem credendi, voluntatem legis implendæ, deſiderium juſtificationis, vim diſcernendi ſe à reprobis: ſic etiam *actibus naturaliter elicitis* tribuebant veram vim impetrandi & meritum, per eos obtineri remiſſionem peccatorum & miſericordiam: quia non poterant combinare gratiam cum libertate.

DIES XXV.

Hujuſmodi ſcopulos facilè declinamus nos. Nam I. dicimus habitus ſupernaturales & quidquid ſupernaturale eſt, eſſe jus, vel ſtatum, vel conditionem, quæ univerſam creaturam excedat, & gratiosè à Deo conceſſa ſint. Unde potuiſſet utique Deus creare hominem ſine juſtitia originali, ſine dote immortalitatis, ſine gratia, contra, quàm Bajus erravit. Quo tamen in caſu, quæ Deus dediſſet homini, adhuc eſſent naturaliter bona juxta gen. 1. *Vidit Deus, quod eſſent bona*, quæ fecerat ſcilicet. Unde liberum arbitrium datum ei fuit naturaliter bonum, quod valuit ad actus moraliter bonos & laudabiles bonitate & laude naturali, quali gaudent virtutes philoſophorum: ut minimè ſequatur, actum propterea eſſe malum, quod non ſit bonus bonitate ſupernaturali & ſalutari; & ſic reliquos quoque Baij errores facilè elidimus.

DIES XXVI.

Dicimus præterea parvulis in baptiſmo dari qualitates & habitus ſupernaturales, quibuſcum nec nati ſunt; nec naſci potuerunt. Adultis autem accreſcere meritum per actus liberos & ſupernaturales, ad quos eliciendos antecedenter per gratias prævenientes invitati & excitati fuerant; & qui proinde à viribus ſolius naturæ vel liberi arbitrij initium non duxerunt, ſed à prævenientе

Deo

DEO antequam fierent, & cooperante ut fierent. Quibus tamen gratiis poterant vi naturali ejusdem liberi arbitrij resistere, & non cooperari: sicut habeant à gratia DEI sola, quod sint salutares, & à libero arbitrio, quod sint liberi; ut autem liberè fierent potius, quàm non fierent, rursum habent à gratia efficace. Sic ergo Pelagianorum & Semipelagianorum non illaqueamur erroribus.

DIES XXVII.

Summatim. DEUS decrevit hominem non solùm creare, sed etiam destinare ad supernaturalem beatitudinem: ad quod singulis auxilia sufficientia præparat, cum sincero affectu & desiderio, ut illa sint omnibus efficacia, sicut novit posse esse, si homo vellet: quamvis videat plurimis non fore efficacia solo ipsorum defectu, quia nolunt uti: decernit tamen alia media non ordinare ex æquissimis causis. Quomodo autem DEUS hæc prævidet? respondeo, sicut prævidet ac videt in præsentia æternitatis suæ omnia possibilia & impossibilia, eò quod omnis creata & creabilis veritas, & inspecta sua essentia, tanquam ex quodam antecedente, in ejus intellectu tanquam consequens deductum parturiatur & scaturiat; ita similiter in eodem ejus intellectu resplendet omnis possibilis rerum existentia, sive simpliciter, sive sub conditione futura. Dat ergo gratiam, quæ non est efficax futura, cum desiderio ut sit efficax; eam tamen, quæ est efficax cum

gaudio & ſpeciali favore, quia eſt efficax. Et efficacia quidem præcisè reſultat ex libero hominis arbitrio, in quantum tamen gratia eſt, DEI liberalitati ſoli eſt concedendum.

DIES XXVIII.

Antequam ergo homo quidpiam ad ſalutem agere cogitat, DEUS adultum ad ſe vocat, intellectum ejus & voluntatem determinando ad cogitationes affectusque rerum æternarum, repræſentat ei tum veritates futurorum bonorum, tum vanitates præſentium, ſuadet iſta deſpicere, & illa quærere. quæ ſunt actiones utique vitales, & fiunt per naturalem ejus intelligendi & volendi potentiam, ſed tamen gratiosè à Deo ad hoc determinatam & prævenientem; unde ſunt gratiæ, quæ *fiunt in homine ſine homine*, h. e. fiunt in eo ut vitaliter agente, ſed non ut liberè agente; quia neceſſitatur ad eas à DEO determinante & impellente. Sunt tamen ſupernaturales, quia non ſolum ipſæ ſunt converſivæ ad DEUM, ſed etiam immittuntur à DEO gratiosè converſo ad hominem, & intimam cum eo amicitiam conjunctionemque intendente. Et hæ ſunt gratiæ actuales ac prævenientes libertatem hominis. Quod ſi eis deinde homo conſentiat, ſive ipſe quoque ſe determinet ad eas cogitationes proſequendas, continuandas, intendentes, promovendas, & ad ulteriora extendendas, & ad eorum objecta ut bona, amplectenda, ut malè averſanda; continuat etiam DEUS eosdem gratioſos

tiosos ad eum affectus, & ulteriora auxilia; quæ sunt gratiæ adjuvantes; actiones autem hominis tunc elicitiæ sunt & liberæ & supernaturales. Contra si homo renuit consentire prævenientibus gratiis, DEUS ulteriores, quæ essent adjuvantes, & gratiosum affectum dimittit, & hominem suæ naturali egestati relinquit.

DIES XXIX.

Potest DEUS immittere hujusmodi gratiosas cogitationes immediatè movendo intellectum ac voluntatem, ut fiant cogitationes inorganicæ, & careant concursu sensûs & phantasmatum: ordinariè tamen connaturaliter agit, & à motu phantasiæ vel organi naturalis incipit. Unde *exequi illas actiones etiam potest per angelos:* attamen etiam tunc gratiosum affectum DEUS ipse adjungere debet, alioquin supernaturales non essent. Determinatur autem DEUS ad illas gratias vel propria bonitate solùm, si habitus desit; vel per habitum, si adsit; scilicet titulus, jus, & conditio vel status ille, in quo diximus habitum consistere, movet DEUM, ut sic agat in tempore opportuno; eo ferè modo, quo alibi diximus, DEUM concurrere ad motus locales per contactum corporum, vel voluntatem spirituum; item ad dirigendos conceptus locutorios. sic enim omnia eluceſcunt, & quomodo habitus influant, & quomodo non semper influant, & quomodo supernaturalitatem præstent, & quomodo eis in anima existentibus non ideo semper appli-

applicentur ad actum, nec semper agat homo salutariter, & alia hujusmodi.

DIES XXX.

Plura non capit angustia hujus mensis ad finem currentis. Satis coligis gratias tam actuales, quàm habituales esse *entitates modales*, nequaquam *entia absoluta*. Profectò si in doctorum scriptis legeremus, crederemus insanire hominem, gratiam esse tale quid, quod possit extra subjectum existere: visionem DEI posse esse in lapide, &c. Ubi scriptura sacra, aut aliquis sanctorum Patrum, aut aliquod Concilium, aut antiquorum doctorum talem propositionem fecit? quasi verò gratia actualis non sit actus vitalis & immanens; quasi lapis possit DEUM videre? Non inquiunt, potest fieri videns, sed tamen visionem habens. O lepidum! si paries est albedinem habens, potestne esse eo ipso non albus? si ergo lapis non potest esse videns, quomodo erit habens visionem? quomodo potest esse actus, ubi non est potentia? quomodo erit actio, ubi nihil est, quod agat? Amicitia quomodo potest creativè existere, & in nullo subjecto? quomodo gratia habitualis & charitas, si hæc ab amicitia non sunt distincta? Quomodo magisterium aut discipulatus existere potest, si nemo sit vel docens vel discens? Sunt tamen accidentia inquis, infunduntur, inhærent, mutant hominem & transferunt ad alium statum. Ita sanè: sunt accidentia, & quinti prædicabilis, sed ideo

mini-

minimè entia absoluta. Quia absoluta non sunt, ideo necessariò inhærent: si quis de rustico fiat princeps, nonne statum mutat, estne ideo principatus accidens absolutum? Vel inde, quod gratia tantoperè dignificat hominem, ut omni mundo corporeo antecellat, imò & angelico, si hunc ponas gratiâ carere, collige gratiam accidens absolutum esse non posse, cum tale entitate suâ nec pretium silicis adæquet; & quomodo quæso tantopere hominem attollat, Deoque ipsi amabilem, amicum, filium faciat? Considera si oculos habes, me dies destituit.

DIES XXXI.

Quæres quid rei sit *character sacramentalis?* Respondeo, nec hic est ens absolutum: quia non apparet, quomodo imprimatur, quomodo inhæreat, quomodo significet, an ad intellectum vel ad voluntatem pertineat? &c. Est ergo *titulus spiritualis honoris, officij, vel potestatis, quo homo à Christo in sua Ecclesia insignitur.* Per baptismalem secernitur ab infidelibus: per chrismaticum adscribitur specialiter militiæ contra dæmonem: per sacerdotalem deputatur ad gratias dispensandas. Dicitur indelebilis, quia non repugnat peccato, nec eo amittitur sicut gratia: & quia sacramenta illa speciatim ad eos titulos & classes designandas instituta sunt, ideo reiterari non debent, nec possunt sine abusu. Nam titulus de novo nullus confertur, & gratia amissa aliis sacramentis reparatur. Quomodo autem significat

cat si sit modalis tantummodò ? Utique non significat ipsi suo subjecto, nec mortalibus, nec DEO, sed Ecclesiæ triumphanti vel angelis. An autem Josephi prærogativa & titulus non poterat innotescere centenis quotidie modis, etsi ens absolutum non esset ? Quomodo singulorum peccata & conscientiæ singulis in judicio innotescent ? quomodo manebunt cognita in æternum damnatis, & beatis ? quomodo conceptus locutorij, quomodo alia ? Dico ergo, DEum specialiter determinaturum intellectum angelorum & hominum, ut talem hominem videndo videant, & titulum eum talem ac potestatem vel habere, vel habuisse. Cogita secundùm analogiam, quid sit & quomodo maneat character legati &c. *Lumen gloriæ* denique ipsum quoque non est aliud quid, quàm *plena possessio juris* ac plenissimæ potestatis *fruendi summo bono, juxta mensuram gratiæ & meriti* : quo determinatur Deus ad actus beatificos homini concedendos. Multa hic dicenda forent, & dici facilè possent, sed finis anni finem dicendi mandat.

(o)

Indi-

Indiculus quarundam rerum particularium.

Adeò multa tamque ſtrictim & breviter complexus ſum, ut ſi ſingula particularia vellem hîc colligere, neceſſe foret, indicem excreſcere in molem libro majorem: volui tamen, plerisque prætermiſſis, aliqua ſeorſim hîc & ſpeciatim notare.

A.

AEris proprietates, *May* 7. 8. 9.
Aethiops cur niger ſit, *Mart.* 9.
Actus abſque potentia nequit eſſe, potentia poteſt eſſe ſine actu, *Januar.* 21.
Amicitia DEI an homini naturalis? *Decemb.* 1.
Anima vegetativa quid ſit? *Octob.* 15. 16.
Anima bruti, ſi eſſet ſubſtantia abſoluta, non eſſet ſenſitiva; cum tamen ſenſitiva ſit anima humana, *Octob.* 3.
Aqua cur affunditur ad pulverem pyreum? *May* 6.

C. Cani-

C.

CAnities in senibus unde? *Mart.* 7.
Cœlum cur sit cæruleum? *Mart.* 11.
Colorum permutatio quomodo fiat in chylo, sanguine, lacte? *Mart.* 7.
Concursus Dei non datur ad determinationem formaliter & immediatè, *Nov.* 21.
Corporis definitio, & quid sit corpus physicum? *Januar.* 11. 27.
Potest actu penetrari; non potest non actu extendi. *Januar.* 21. 25. 26. 27.

D.

DEmocriti dogma quo sensu sit malum; *Januar.* 12.

E.

ELementa primigenia & vulgaria, *Februar.* 15. 16. 17. 25.
Ens absolutum & entitas respectiva quid? 1. *Januar.*
An modalitates de facto existant? 2. *Januar.*
Existentia non evertit essentiam. *Janu.* 10. *Febr.* 11.
Extensio est corpori locus suus intrinsecus & essentialis, *Janu.* 27. Unde ei necessariò resultat magnitudo, moles, figura, *Januar.* 26.

F.

FIgura quid sit. *Januar.* 26.
Forma materialis absoluta inanibus motivis asseritur à suis patronis. *Jan.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Augusti* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.
Eadem impugnatur à nobis, *Janu.* 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20 28. 29. *Febr.* 10. 11. 12. 13. 14. *Mart.* 13. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. *April.* 12. 13. 14. 15. 16. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. *May* 1. 2. *Jun.* 14. 15. *Julij* 14. 15. 16. 17. 18. 20. 21. 22. 30. 31. *August.* 7. *Octobr.* 3. 16. 27. 28. 29. 30. 31. *Nov.* 1. 28.
Respectiva & modalis probatur, *Jan.* 15. 16. 17. 18. 20. 23. 24. *Febr.* 12. 21. 22. 24. *Mart.* 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 15. 17. 18. 19. 20. 27. *April.* 2. 3. 4. 5. 8. 9. 11. 25. *May* 1. 2. *Junij* 14. 15. *Julij* 5. 6. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. *Augusti* 16. *Novemb.* 28. 29. *Decemb.* 13.
Dogma de forma absoluta unde exortum sit, *Januar.* 15. 16.
Iniquè obtruditur. *Janu.* 20. *Febr.* 12.
Forma substantialis an debeat esse substantia? *Janu.* 9. 10. 14.
Debet esse naturalis. *Sept.* 1.
Quomodo separabilis sit juxta Aristotelem? *Janu.* 14.
Forma quælibet quid & quomodo causet: *Janu.* 31.

Formæ partiales, vel magis minúsve communes ac universales. *Jun.* 19. *Jul.* 1.
Fornicatio, febricitantium, & colicæ passiones. *Augus.* 27.
Fulgurat etiam de die. *Junij* 3.

G.

GEneratio quot modis fiat. *Janu.* 12. 14.
An generetur forma? *Janu.* 14.
Tria ejus principia. *Aug.* 8.
Gravitas quid sit. *Febr.* 9. 12.

I.

INdividuationem mutarent accidentia absoluta, & duplicem haberent in eadem specie. *Mart.* 27. 31.
Ignis proprietates. *April.* 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23.
Ingenioſi rhevmatici. *Aug.* 22.

L.

LEvitas quid & quale. *Febr.* 10. 12.
Lumen quid & quale. *Febr.* 17. 19. 20. 24.
Quale videatur, quale non. *Febr.* 20. 23.
Cur non videatur in aëre? *Febr.* 22.
Nimium cur lædat oculos. *Febr.* 22.
Cur evadat in flammam? *Febr.* 23.
Lumen & lux quomodo differant? *Febr.* 28.

M. Ma-

M.

MAteria an possit carere formâ? *Janu.* 14.
Prima, secunda, tertia, &c. *Febr.* 15. 16. 17.
Principium individuationis. *Mart.* 27.
Maxima vel minima extensio, duratio, velocitas, implicant: *Mart.* 23.
Moralitas an sit in Deo. *Nov.* 5.
Quotuplex sit. *Nov.* 4.
Motus physici quot. *Janu.* 11.
Omnium physicorum principium & finis est motus localis. *Febr.* 1.
Motus localis quibus causis fiat? *Febr.* 2.
Quid sit simplex & mixtus? *Febr.* 3.
Perturbatus in materia subtili unde existat. *Febr.* 5.
Libratorius, & an aliquis metu vacui? *Febr.* 6.
Violenti sursum quæ causa continuans? *Febr.* 7. *April.* 27.

N.

NOvitas an obsit dogmati & veritati? *Januar.* 13.

P.

PEccatum philosophicum merè non datur. *Nov.* 4.
An aliquod possit esse substantia? *Nov.* 3.
Cur in Deum non cadat? *Nov.* 5.

Planta cur non requirat sexûs diversitatem ? *Octob.* 21.
Prædeterminatio physica, ut prædeterminatio, non est vitalis: *Nov.* 11.
Variè asserta nunquam subsistit. *Nov.* 22.

Q.

QUalitas quomodo sit in mixtis ? *Jul.* 2.
Quomodo substantialis ? *Jul.* 5.
Quomodo accidentalis : *Jul.* 6.
Quomodo alterativa ? *Jul.* 7.
Quomodo contrariæ inter se ? *Jul.* 10.
Ejus intensio & remissio. *Jul.* 12. 13.
Reflexio. *Jul.* 13.
Quantitas extra subjectum variis modis chymærica. *Jan.* 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30.

S.

SAccharum cur sapiat fœminis, potiùs caseus viris ? *Aug.* 18.
Simile non agit in simile. *Jul.* 11.
Spiritus essentialiter penetrabilis & inextensus : *Janu.* 28.
Species visualis : *Mart.* 2. *August.* 27.
Soni & aliorum sensibilium : *Aug.* 16.
Supernaturalitas quid sit ? *Decemb.* 1.
An aliqua sit substantialis ? *Decemb.* 1.

T. Tactio

T.

TActio quædam in omni ſenſu agnoſcitur. *Aug.* 24.

V.

VAcuum eſt chymæra: *Janu.* 24.
Veritas odium parit. *Januar.* 17.
Et calumniam patitur. *Janu.* 18.
Viridis color cur gratior oculis? *Mart.* 12.
Vita quid, *Septemb.* 23. *Octob.* 11.

Clauſula.

Vides certè mi Lector, quàm pauci ſint iſti ramuli de ingenti ſylva, quæ per annum excreverat, obiter & promiſcuè decerpti. Ad quid enim de indice laborem, cum annus ipſe ſit index, verboſitate modicus quidem & parcus; ſed ubertate rerum & ſoliditate plenus ac locuples; quo titulo fortaſſe cum majoribus codicibus certare de palma poſſet. Tametſi enim illud potiſſimùm habui in propoſito, ut formarum materialium abſolutarum vanitatem deſtruerem, & modalium utilitatem, neceſſitatemque docerem: feci tamen id eâ methodo, qua ſimul phyſicam quoque operui & protuli univerſam, ea, nî fallor, evidentia veritatis, ut ampliorem fortè alibi non facilè deprehenderis. Explicatum namque hîc habes corpus phyſicum ſecundùm omnes ejus ſpecies: elementale & mixtum, vivens & non vivens, cœleſte & terreum:

reum: ejus principia, motus, actiones, passiones, qualitates, & omnia prorsus prædicata ac prædicabilia, licet strictim, solidè tamen & fundamentaliter explicata. Scilicet natura hæc veritatis est, ut dum rem ipsam possidet, verborum ambagibus se non involvat, cum vanitas phaleris se & cum fuco commendet. His tu associa, vel potiùs præmitte soliloquia nostra, ubi habes revera metaphysicam omnem, h. e. omnium rerum universalem scientiam, intra cujus pomœria necesse est contineri, quidquid circa summa rerum genera, & scibilium qualiumcunque congeriem in quæstionem venire potest. Quos proinde duos tractatulos, ubi frequenter perlegeris, mentique ritè combinatæ impresseris, non video, quid tibi ad perfectæ philosophiæ notitiam deesse possit.



ANI.

ANIMA MUNDI
PROVIDENTIA DEI,

Sive

TRACTATULUS,

Quo oſtenditur,

Deum omnia in omnibus operari,

ita, ut

Sine ejus perpetua præſentia, aſſiſtentia, nutu, concurſu, nulla omnino res ſit ad agendum ſufficiens,

Ex

Vera ac genuina philoſophia collectus

ab eodem

R. D. ALOYSIO TEMMIK
Theologo.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [627] - -
PUBLIC DOMAIN

§. I.

De variarum causarum variis actionibus generatim.

1. *DEUS in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina:* Cum enim illud specialiter ostendere intendam, absque divino auxilio nihil à re qualibet confici posse; quanto minùs ego, O magne DEUS, absque tua specialiter mihi assistentis ope, istud ipsum in effectum deducere potero: tum quia semper experior, quàm insurgant adversum me *maligni, dum scrutor mandata DEI mei;* tum quia itinere pergo, minimè trito & vepribus obsito. Providentiam DEI ab hæreticorum atheorumque morsibus vindicarunt non solùm, multis locis, ipsi libri sacri atque prophetici; sed etiam scripturarum interpretes, SS. Patres, Philosophi atque Theologi, S. Clemens Romanus, Eusebius Pamphilus, Lessius, Segneri, & qui non? sed usi sunt argumentis sensui patentibus, & quæ apta sunt, quemvis hominem etiam rudem convincere: sed ego nunc illud ipsum ostendere aggredior ex arcanioribus operatricis naturæ principiis, abditisq; receſſib⁹; quod quàm utile futurum spero rei Ecclesiasticæ, atque Scholasticæ, tam fore difficile, laboriosumque & criminantiũ injuriis expositum, planè non dubito.

Sed

Sed primum me absterrere non debet, cum *difficilia sint semper quæ pulchra*; alterum supra coax ranarum non æstimo, quibus vixisse est, veterem in limo ceciniſſe querelam.

2. Quis verò non obstupescat, dum diversas, easque admirandas, in mundo corporeo, operandi formas, in elementis, mixtis, terrestribus, cœlestibus, vegetantibus, sentientibus, vel leviſſimo mentis obtutu considerat; maximè si eas aliquo usque secundùm ipsa penetralia, viasque abditas introspicere daretur, prout Salomoni concessum fuit: de quo sacra pagina refert: *Locutus est tria millia parabolas, fueruntque odæ ipsius quinque millia, locutusque est de lignis à cedro, quæ est in libano, usque ad Isopum, quæ à muris progreditur; & locutus est de pecoribus & volatilibus cœli, & serpentibus & piscibus, & confluebant universi audire Sapientiam Salomonis. Ipse enim mihi dedit*, inquit, *horum, quæ sunt, scientiam, dispositionem orbis terrarum, virtutem elementorum, initium, finem & medietatem temporum, ipsorum temporum permutationes atque vicissitudines, stellarum cursus, anni volutiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum & cogitationes hominum, differentias plantarum, virtutes radicum, & quæcunque sunt abscondita & invisibilia, cognovi.*

3 Porrò hujusmodi operationum tanta varietas & excellentia non pullulat ex minimorum corpusculorum multiplici concursu, ut quidam

illuſoriè nobis opponunt; ſed ex corporibus ipſis, quibus utique minores particulæ inſunt, per formam ſubſtantialem ſubſiſtentibus, prout dudum ac ſæpe jam diximus. Tametſi enim eædem formæ non ſint ſubſtantiæ abſolutæ, & per ſe ſubſiſtentes, per eas tamen ſubſtantiæ ipſæ ita actuantur, ut tales ad operandum vires acquirant. Quod ſanè patet ex ipſis artefactis. Filamenta lanea ſive linea non calefaciunt; ex eis tamen texitur pannus & veſtis calefactiva: ſtrues lignorum & lapidum adverſus tempeſtates non tuetur, tuetur tamen domus ex eis conſtructa: farina & aqua parùm valent ad nutriendum; valet tamen panis ex eis confectus; quàm mira præſtent opera culinaria & pharmaceutica, ex fructibus, herbis, lignis, ac lapidibus coagulata, notum omnibus atque perſpectum eſt: quantò magis quæ per naturam, quæ ars Dei eſt, combinata ſubſiſtunt, mirabiles vires nanciſci poſſunt; quæ combinatio cum alia atque alia propè in infinitum fieri poſſit, quid mirum, ſi per alias atque alias formas, etiam aliæ virtutes rerum, ſine fine, creſcere poſſunt?

4. Præter formas quoque ſubſtantiales, etiam archæus in viventibus à medicis conſideratur, tanquam ſpeciale vitalium actionum principium. Quid autem nominetenus ſit archæus, & dicatur eſſe, faciliùs intelligitur, quàm quid reipſâ ſit, capi poſſit. Dicitur eſſe ſpiritus vitæ, ignis innatus, lux ſubſtantialis & vita-

vitalis, humor ſiccus, flamma vitæ, humidum ſiccum, radix & fundamentum, ex quo vigor, motus & ſenſus progreditur. Nec meliùs videtur concipi poſſe, quàm per analogiam ad ſpiritum influum, animalem atque vitalem, qui ex alimento, naturali nutritione, ex nobiliore ſanguine in nobis generatur. Archæus enim eſt congrua portio cœleſtis materiæ ſemini conjuncta, quæ ipſum tanquam ſcintilla vitalis excitat, explicat, evolvit, de potentia maturat ad actum; ipſum deinde vivens regit, ad exercitia vitæ animat, cum creſcente augeſcit, cum deficiente deficit; & tanquam ſpiritus inſitus atque innatus, ubi rectè eſt conſtitutus, facit vivens rectè valere, ubi ipſe languet, facit ægrotare; dum extinguitur, mori ſinit. Quod quomodo fiat, ut ex parte ſaltem aſſequi poſſis, oportet ante omnia actionem regiminis perſpectam habere.

§. II.

Quid ſit actio regiminis?

5. Cauſa regiminis à nobis dicitur, quæ non cauſat effectum per ſe ipſam immediatè, ſed per aliam cauſam, â ſe excitatam, determinatam, & applicatam; quæ applicatio, determinatio, excitatio, actio regiminis appellatur. Quia verò principium ſic excitans varium eſſe poteſt, & ad aliud genus cauſæ vel principij ſpectare poteſt;

teſt ; nos hîc iſtud non attendimus; ſed ſimpliciter cauſam regiminis vocamus, quod movet aliam cauſam , ſive ipſum movens ſit re ipſa etiam cauſa efficiens, ſive formalis , ſive aliud quid in ſe ipſa contineat. Porrò quomodo ſe habeat actio regiminis , evidentiſſimè patet in voluntate libera, quæ movetur ab alio, ſuadente, jubente, præcipiente, terrente, invitante; cujuſmodi præcepta, leges, juſſiones, conſilia, irritamenta ſunt cauſæ vel actiones regiminis; quatenus effectum cauſant, qui jubenti, ſuadenti excitanti, tribuitur.

6. Ab actibus liberis ad alios actus vitales, in animali, facile eſt, gradum facere. Sic enim objecta ſenſuum excitant potentias ſenſitivas ad actus, quorum potentiæ ſunt : colores ad actum videndi, ſoni ad audiendum, odores ad olfaciendum, &c. Senſationes externæ ad internas, & ad appetitum; in homine verò etiam ad cognitiones intellectuales, ſicut & cognitiones ad affectus volitionales, complacentiæ aut diſplicentiæ ; ſed & iſtæ actiones ſpirituales viciſſim movent ad ſenſationes; eò quod potentiæ ejuſdem ſubjecti, ſpirituales & corporales, perpetuo vinculo concomitantiæ copulatæ ſint, ex ordinario creatoris decreto, qui quidem extra ordinem contrariam facere poteſt, & unam potentiam ſine motu alterius movere.

7. Exi-

7. Existimandum est quoque præter quinque sensus externos, esse & alios occultiores sentiendi modos, sicut & vegetandi, toto corpore animalis diffusos, singulis partibus & membris speciales, quamvis, in quo consistant, difficulter exprimi possit. Sic enim, qui corpore valet, etiam dum dormit, sentit se placitè dormire, se corde, stomacho, capite valere, sibi esse benè in corpore; contra verò etsi ei stomachus nec videat, nec audiat, nec olfaciat, & similiter alia membra nullo vulgarium sensuum exercitio polleat, si tamen æger sit, advertit languorem in stomacho, gravedinem in capite, defectum in corde, &c. ex quo patet, sentiendi facultatem nequaquam in quinque tantùm notis organis considere, sed in toto corpore musculoso ac arterioso, aliter tamen & aliter, prout aliæ sunt partes, suam sedem habere.

8. Hinc alia pars corporis in aliam agit, sensationem vel gratam, vel ingratam excitando. Ita Helmontius Spleni attribuit vices primorum motuum, & stomacho primi sensûs, utrique principale regimen vitæ, quod duumviratum appellat; & eundem splenem inspirare stomacho fermentum ad peragendam primam digestionem; à qua inspiratione dum quiescit, splenem sibi vacare, & in hoc somnum consistere. Alteram digestionem fieri in gracilibus intestinis, quibus fermentum inspirari à bile: ubi fiat separatio partis aqueæ, & mutari acidum volatile in salsum volatile. Tertiam incipi

cipi in vasis mesenterij, & terminari in jecore, inspirante mesenterio fermentum; ubi & latex salsus separatur ad renes atque vesicam, parte sicciore cremoris per intestina delabente. Quartam compleri in corde, & ejus arteria, ubi rubeus & crassior venæ cavæ cruor elaboratur, sitque flavior & volatilis. Quinta mutat sanguinem arterialem in Spiritum vitalem archæi: Ita ut quarta & quinta non secernat excrementum. Sextam & ultimam fieri in singulis membrorum culinis, quæ sunt tot, quot membra altilia; in quibus innatus cuilibet suus archæus vel spiritus sibi suum parat alimentum. Atque ita patet, viscera inter se, mira concordia sociari, ad animal nutriendum.

9. Sed hujusmodi concordationem perfici inquies, per transmissionem corpusculorum, quibus alterum alteri succurrit. Respondeo, sicut hujusmodi transmissionem particularum per tubulos in microcosmo, nec non in megacosmo agnosco: attamen insuper alia quoque actio, quæ absque contactu corporeo mediato vel immediato fiat, sed solum regimine, & qualicunque imperio aut nutu determinativo peragatur, est agnoscenda. Sic enim sola auditio rei tristis causat dolorem in orificio stomachi, & appetitum aufert, cum nulla talis transmissio innotescat: sic ut caput dolore sublevemus, lavantur pedes; sic uno membro languen-

guente languent & cœtera : sic anima nostra nutu voluntatis suæ movet corpus suum, & organa motoria ad motus voluntarios : sic multis experimentis constat, quænam sidera quibuscum membris corporis, aut quibus morbis, vel etiam herbis atque plantis consentiant aut dissentiant. Utinam eæ experientiæ probiùs exploratæ essent, possent interdum medici indirectè morbos curare, & mathematici futuros eventus naturales, certiore methodo prænoscere.

10. Animadverte hîc etiam, facilè sic explicari posse, quomodo corporeus ignis spiritus cruciet. Nimirum ignis naturaliter agendo afficit corpus organicum, & ad sensationem determinat : corpus sentiens determinat animam, sibi unitam, ad actus tum intellectûs, tum voluntatis, spirituales utique, sed tamen materialibus in carne consummatis analogos ; putà tum cognitiones veritatem sensationum expressivas ; tum affectus dolorosos voluntatis afflictivos : est enim utraque potentia, intellectiva & volitiva, sicut Dei ipsius, infinitè veri & boni, ita quarumvis aliarum rerum percipiendarum, vel fruendarum, ferè infinitè capax. Quomodo verò angeli corporibus non copulati cruciantur ? Respondeo, etsi hi non ad similiter analogos actus, tamen ad alios, æquè aut magis dolorosos immediatè ab igne applicantur, per actionem regiminis, resul-

resultante in eo, ipso nutu Dei, sic imperantis, cujus solius nutu omnia vel fiunt, vel fieri possunt; qui nutus est causa vel universalis & mediata, vel particularis & immediata, quorumvis affectuum, qui fiunt in toto mundo.

§. III.

Explicatur negotium vitæ.

11. Vita corporea isto ferè modo peragitur. 1. Semen animalis aut plantæ, per archæum, qui est ignis vitalis, accenditur. 2. Potest autem exigua hujus ignis portio etiam decem myriadas seminum, inquit Helmontius, accendere: unde facilè patet, quo perfectior vel intensior ignis hic fuerit communicatus semini, eò nobilius generatum iri vivens. 3. Ignis hic vitalis agit in semen eo ferè modo in genere, sicut ignis non vitalis in suum pabulum, actione tamen in specie planè diversâ. Nimirum uterque ignis conatur se propagare per corpus, circa quod agit: & quia corpus non seminale non est ita distributum in varias particulas, formâ substantiali consociatas, sed promiscuè dispositas, ideò ignis non vitalis in eas agit etiam promiscuè, sine ordinato discrimine, nihilque intendit, nisi omnes à se se divellere atque disjungere: ignis autem vitalis

vitalis agit in ſemen, cum quodam velut diſcrimine electivo, alias partes avellendo & ſeparando, alias adnectendo ac ſociando, alias addenſendo, ac ſtipando, alias ſubtilizando, omnia certo ordine ac modo, ad quem determinatur ipſâ variâ conſtitutione partium ſeminis, ejuſque formâ ſubſtantiali, qua ipſum jam vivit potentiâ. 4. Ad eum agendi modum aptatus quoque eſt ac præparatus ipſe archæus in ſe ipſo, per nutum ipſius creatoris, juxta ſuas æternas ideas, eundem archæum ſic inſtruentis. 5. Sic agendo inducit in ſemen paulatim formam ſubſtantialem vitæ actualis, ſive animæ, diverſis in partibus diverſæ ac heterogeneæ: ſimul etiam ſe ipſum archæus propagat per corpus vivens, in ſingulis membris diverſum ac varium. 6. Sicut apicula non tantùm conficit mel, ſed etiam confectum per cellulas favi diſponit, ne diffluat; ita archæus ſibi per eadem membra ſua fermenta parat, quibus cuſtodiatur ipſe, conſervetur, & creſcat; atque ita vis & operatio plaſtica peragitur.

12. Quæ operatio ſi fiat juxta ordinem in idæis præconceptum, proba eſt & perfecta; ſi verò caſu aliquo deflectatur ab illo ordine, hæc plaſmatio erit defectuoſa, & generabitur monſtrum. Patet ergo, nutum Dei tanquam primam cauſam regiminis in eo negotio potiſſimas habere partes: maximè cum in diſpoſitione locali particularum ferè omnia ſi-

ta sint, qui motus localis sine operatione creativa Dei nulla ratione peragi potest, ut diximus in anno Febr. die 1. & 2. Unde 2. Machab. 7. sancta mater dicebat filiis: *Nescio, qualiter in utero meo apparuistis; nam singulorum membra non ego ipsa compegi, sed mundi creator, qui formávit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem.*

13. Operatione plasticâ sic peractâ archæus corpori organico deinceps placidè præsidet, diffusus per totum, & in singulis partibus operationes vitæ, irradiantis in modum, dirigens, cum quodam sui ipsius gaudio & incremento. Nam post operationes viventi congruas sollicitus est idem archæus (affectu utique metaphorico) de propagatione specie ulteriori, pro qua viventi parat novum semen, juxta ideam sibimet impressam, cooperante rursum specialiter Deo. Nam alia est constitutio archæi equini, alia asinini, alia humani, sed & alia partialis in capite, alia in pede, in corde, in stomacho: quas diversas constitutiones sive modalitates substantiales, veluti ideas aut imagines concipimus; non quæ possint visu aut sensu attingi; sed quod sint modi substantiales ipsum ignem vitalem integrantes, distinguentes, constituentes, juxta quos ipse viventi irradiat, secundùm ordinem viventi bonum, & ab auctore naturæ præscriptum: quæ irradiatio sic placida, ordinata, quie-

quieta, jucunda, est ipsa recta valetudo viventis.

14. Contingit verò vel vitiato fermento, vel aliâ perturbatione se ingerente, ut eadem radiatio defectum contrahat, vel quasdam velut caligines ac nebulas sibi assumat, modosque archæus induat planè præposteros, divinis idæis oppositos, turbativos, viventi difficiles ac molestos, ac veluti convulsivos. In qua habitudine ac dispositione inepta arbitrare morbum consistere; qui nisi sistatur, sed duret & augeatur, præsidium archæi fiet magis quotidie nocivum, qui se ipse paulatim, unà cum vivente. consumet, & in nihilum redigget, quod est mori. Itaque in eodem subjecto stabulantur vita, morbus, & mors, in eoque labor medici versetur oportet, quomodo malam illam habitudinem archæi discutiat, sive correcto fermento, sive aliâ ratione meliorem archæo imaginem reducendo. Cujus rei similitudinem dant in spasmo, cujus malum in eo est situm, quod musculus non moveatur in directum, sed in oppositum, reluctantis adinstar: item in cane rabido, ac equo furioso. Nam archæus in seipso, & contra se ipsum furias quasdam contrahit, rectoque ordine dimisso, tendit in oppositum ad suum ipsius, totiusque viventis, interitum.

15. Ita hydropem affirmant, nequaquam in vitiato jecore ſitum eſſe, ut vulgò perſuaſum eſt, cum conſtet, multos hydropicos, cum ſano jecore periiſſe, multos etiam cum vitiato jecore, hydrope caruiſſe; ſed conſiſtere in archæo renum, in furias acto, & ſic recto ordini reluctante, ut vias lotio, verſus veſicam, per ureteres claudat, cum aperire deberet; aperiat autem verſus cavum ventris, ubi concluſa omnia eſſe oporteret. Atque per hujuſmodi actionem, contra ordinem perturbatè tendentem, neceſſariò contingit, hominem, aquâ intercute, interire debere, niſi reperiatur modus, quo archæus à ſuo errore, in placidam quietem reducatur. Differt ergo inter morbum calculi & hydropem, quod archæus renum, in calculo, conatur urinam rectà dimittere, ſed non poteſt, propter obſtructiones; in hydrope verò idem archæus facilè poſſet viam aperire verſus veſicam; ſed non vult; quia errore depravatus conatur in oppoſitum.

16. Ut porrò characteriſmos morbidos archæus in ſe depingat, ad hoc determinatur, non ſolum à vitiato fermento partium, & humore quodam, ſine quavis materiâ nocivâ ibi ſtagnante; ſed etiam varijs alijs accidentibus, & caſibus extraneis; maximè quoque à charactere mentis vivaciùs concepto, à quo in archæum, eſt frequens & potens actio regiminis.

minis. Sic nonnemo, teſte Drexelio, ſomniarat ſe factum cœcum, & experrectus cœcum ſe eſt expertus: alius audito, quempiam ſibi amiciſſimè junctum, remotis in terris peſte mortuum, correptus peſte etiam ipſe mortuus eſt. Non pauci ſtultitiam contraxerunt circa aliquod ſpeciale punctum, circa quod forti errore correpti fuerant. De catula juvene ſcribunt, ſi iſta catulum 15. dierum nacta fuerit, ſolere eum primum lambere; deinde infatuatam, ſe hujus matrem credere, conceptoque lacte, eum lactare pro ſuo. Simile de capone, quem ſi pectore deplumaveris, ac ſuper ova linteo calefacto tepentia collocaris, ea ova incubando excludere, ſeque, etiam mediâ hieme, matrem crocitando credere, & pullos fovere.

17. Sed & alia multa, & potiſſimùm Deus ipſe poteſt ſolo nutu, cauſam regiminis agere, & archæum ad hujuſmodi ideas alienas, in ſe efformandas, determinare. Sic egit in Nabuchodonoſore, archæum ejus modificando, ad motum ferini & bovini, ut proinde appetentias exerceret ferinas, alioſque actus beſtiales, etiam mentales affectaret, reque ipſa exprimeret, donec idem Deus archæum ejus conſtanter ſanaret. Similiter in Jobo, ut dicto citiùs ſanaretur, non fuit opus alio medio, niſi ut Deus ejus archæum, omni morbidâ imagine relevatum, in placido ſtatu reſtitueret. Porrò licet eædem morbidæ ima-

gines in archæo expreſſæ, eidemque impreſſæ, tenaciſſimè adhæreſcant ; reperiuntur tamen aliquæ etiam ſeparatim exiſtentes. Sic in locis, in quibus multa cadavera inſepulta jacent, generantur hujuſmodi formæ peſtium, vel febrium, in aëre volitantes ſive in modum nubecularum atque fuliginum, ſive etiam in animalcula, & volantes vermiculos, transformatæ, uti Kircherus oſtendit. Sed & ex ſcripturis novimus, morbum lepræ quondam non hominibus tantùm, ſed etiam domibus & veſtibus adhæſiſſe.

18. Cum igitur ijdem characteres archæum inſideant, non ſolùm ex humoribus vitioſis fermenta corrumpentibus; ſed etiam ex alijs cauſis per actiones regiminis ingenerentur: ideo mirum non eſt, ſolere interdum morbos quoſdam nullis cedere medicinis, alijs tamen miris eventibus aboleri. Sic compertum eſt, podagram ex ſubita conſternatione, vel apprehenſione inſtantis mortis, ex toto, & in perpetuum ceſſaſſe: ita rabies canina cadit, dum rabidus in aquam conjicitur: furor Saulis Davidis cytharâ ſiſtebatur; & ſimilia. Nimirum ſicut figura ceræ impreſſa, per impreſſionem alterius figuræ deletur; ſic character morbidus per characterem mortis vehementiorem advenientem aboletur. Confert eôdem melior cibus & potus: quia talis continere ſolet plus materiæ ſpirituoſæ, qua nutritur, augetur, reficitur archæus, qui aliud non eſt, quàm ſpiritus inſitus vitæ.

Unde

Unde longævus quispiam interrogatus, quo medio vitam ita pr ixisset, respondit, *foris oleo, intus melle*; mel etenim à Marone dicitur *cœleste donum*, quod plus materiæ cœlestis contineat.

19. Unde & persuasum habeo, fructum arboris vitæ plurimum cœlestis alimenti habuisse, quo dicto citius potuit recreari, & reparari substantia archæi, & omnis languor, siquis obrepserat, abstergi. Sed & hunc esse lapidem philosophicum sive universalem medicinam, quam physici quærunt, & pauci inveniunt; qui similibus ferè terminis exprimitur, quibus flamma vitæ: quod scilicet possit propagari, ex modica portione, in magnam quantitatem, sive materiam, ad hoc elaboratam, instar flammæ accendere; quod converti possit in statum liquidum, & fieri potabile; vel contrà in consistentiam addensari, &c. Quæ omnia intellige secundùm genus; nam in specie differt utique substantia fructus vitæ, & lapidis philosophici, ab archæo sive humano, sive alterius viventis; cum semper aliud sit alimentum aliud alitum. Porrò lapidem philosophicum putatur ultimus habuisse Paracelsus germanus, reliquos adfert Freytagius.

§. IV.

Consideratio DEI in mundo corporeo.

20. Evidens est, mundum corporeum non esse sibi ipsi principium existendi, sive à se ipso existere: aliàs enim modo omnium possibilium perfectissimo existeret, essetque ens perfectissimum, & ideo spirituale, intellectivum, & ipse Deus: quod patet non esse. ergo etiam quoad materiam suam, & secundùm omne, quod est, & continet, est factus ab alio existente, sive creatus est. Evidens quoque est, quod non est sibi ipsi principium existendi, non posse alteri esse tale principium; quia nemo potest dare alteri quidpiam, quod sibi non habet: & ideo nihil posse alterum creare, aut facere ex nihilo, quod ipsum existere non potest, nisi ab altero. Nempe qui aliquid dat, dat de eo, quo ipsum redundat, alioquin daret se ipsum alteri, & amitteret se. Igitur quod alterum facit ex nihilo, sive quod ei dat primam & omnem existentiam, habet eam sibi abundantem, sive habet existentiam, etiam aliquam, priùs pro se, & suam, quam abdicare non potest. ergo creatus est mundus, & existit Deus, à quo creatus est.

21. Æquè impossibile est, quidpiam se ipso conservari, atque se ipso primò existere; quia conservari est secundò & iteratò existere, sive in existendo durare; unde quod durat, omnibus in-

stan-

ſtantibus reproducitur à ſuo creante. Sicut ergo mundus primò creatus demonſtrat Deum, ita idem demonſtrat quovis poſtmodum inſtanti. Tametſi proinde dixerimus, archæum eſſe præſidem & rectorem vitæ, tamen ipſe archæus, tanquam aliquod ens revera corporeum, creatus à DEO eſt. Item motus localis nullus omnino, ſine DEO creante, fieri poteſt, ut 2. Febr. & aliàs diximus. Quot ergo volant in aëre corpuſcula, fluunt in aquis guttæ, jacent in littoribus arenæ, creſcunt in pratis gramina, tot ſunt cauſæ quaſi regiminis, à DEO identidem creari ſupplicantes, vel ipſe potiùs DEUS ſe, ſuâmet lege & decreto, determinat ad creandum; ſuntque totidem linguæ, DEI præſentiam, potentiam, magnitudinem, providentiam prædicantes, & contra atheos perpetuò clamitantes: *Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum, dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam; non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum: in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines terræ verba eorum.*

22. Quid eſt, ô homo, quod DEI obliviſcaris; quaſi mille paraſangis à te diſtaret, & *ſuper cardines cœli* à te disjunctiſſimus *ambularet*, cum tibi ſit intimè præſens, & in ipſo, imò per ipſum vivas, movearis & agas, ut tecum videat, audiat, actiones vegetantis, ſentientis, intelligentisque naturæ exerceat; ſine cujus co-

operatione, truncus, umbra, imò merum nihilum, quovis momento esses. Quod si mundus corporeus est instar immensi organi musici, ex fistulis suavissimè consonantibus concinnè fabrefactum, ejusdem organœdus est DEUS, qui contactu omnipotentiæ suæ, omnem eis resonantiam ingerit: si est instar ingentis corporis animati, cujus membra cœli ac terra, maria & omnia, quæ in eis sunt, ipsius velut anima DEUS est, qui omnibus vitam, vigoremque inspirat. Cogita improbe, quàm potens ac sapiens, quamque tibi propinquus est judex tuus, in quem peccare non desinis; vide qui justitiam colis, quàm parùm metuendæ sint tibi minæ hostium tuorum, contra quos defensorem tuum habes, qui omnia potest.

§. V.

Consideratio mundi angelici.

23. Angelus est *spiritus creatus corpori organico non unibilis.* Unde nec habet potentias sentiendi; sed intelligendi, volendi, locomovendi, & loquendi; quibus operationibus, ritè perspectis, totus mundus angelicus innotescit. Ut igitur ab intellectu exordiamur, non determinatur angelus ad intelligendum, perinde ut anima nostra, à sensationibus, cum tales non eliciat: sed tamen ab objectis sensuum. Ipsa igitur objecta sensuum, sicut in homine immediatè

diatè eandem actionem exercent in ipsum intellectum angelicum. Mirantur quidam, quomodo hoc fieri possit, cum putent non esse proportionem inter ens materiale, & potentiam spiritualem. Sed hi vanis phantasmatibus philosophiæ vulgaris laborant. Quasi verò non omne, quod verum est, sit connaturale objectum intellectus, & in eum actionem regiminis habeat, dummodo lex DEI æterna & physica hujusmodi ei actionem nutu suo concedat. Qua lege deficiente DEUS ipse naturaliter non intelligitur intûitivè ab angelo; neque secreta alieni cordis; quia justas ob causas, hujusmodi objecta, per legem naturalem & physicam, non habent actionem regiminis ad intellectum creatum.

24. Ad intelligendum tamen opus habet angelus certâ præsentiâ: alioquin enim omnes & singula eadem & omnia semper intellectu attingerent; nec necesse haberent motu locali, ad quidpiam explorandum; cum tamen S. Petrus dicat, *adversarius vester sicut leo rugiens circumit quærens, quem devoret*; & apud Job, *circuivi terram & perambulavi eam.* Existimandum porrò est, eam distantiam esse tanto minorem, quo minor est cujuspiam vel dignitas naturalis, vel in beatis meriti parvitas. Sat magna videtur esse in damnatis una terræ semidiameter, continens milliaria germanica 860; sic, ut uno velut passu, possint ex inferno in superficiem terræ conscendere: licet autem fortè

fortè multò minor sit intercapedo, possunt tamen satis velociter moveri, passum post passum multiplicando.

25. Attamen quia solùm ex certa lege DEI illis constituta, ut dictum est, requiritur aliqua certa objecti præsentia; & non ex ipsa natura intellectionis angelicæ: sicut ex natura sensationis est, certa objecti sentiendi præsentia, ut consideranti patet; & propterea similis præsentia rem prima vice intelligendi in homine, dum per sensus intelligit, similiter requiritur: ideo nihil obstat, quo minùs beati angeli multa remotissima intelligant, ratione sui vel meriti, vel officij. Non videtur ergo absurdum, si angeli nostri custodes, simul in cœlo existentes, simul conspiciant ea, quæ sunt suorum clientum; vel clientibus præsentes simul cœlestia videant. Sicut etiam, si ille, cui custodia inferni commissa est, simul cœlestia & infernalia videat: cum lex DEI in favorem istorum eo ùsque possit esse extensa.

26. Nulla oblivio locum habet in angelo, sed quod semel intelligere cœpit, semper intelligit. Vel enim oblivisceretur liberè, vel necessariò. Non liberè: quia implicat agere liberè circa rem, quam non intelligas aut cogites. Non necessariò: quia non apparet causa necessitans, & quomodo necessitet. Nunquam tamen capacitas intelligendi in eo sic est oppleta, ut non possit aliud semper & aliud, de novo cognoscere. Habet ergo potentiam cognoscendi velut extensivè

sivè infinitam : attamen simul quoque habet potentiam remissivam in infinitum. Nam dum aliqua expressiùs & intensiùs considerat, reliqua remissiùs cogitare pergit; ita ut possit, quodlibet, pro libitu, jam intensius jam remissius speculari; & in hoc quidam ipsius habitus intellectualis consistit. Discurrere quoque possunt & solent in obscuris, & damnati quoque sæpe errare : cùm beati ab omni errore immunes sint, quod suspendant judicium, in dubiis, Deo eis providente.

27. Intellectiones in eisdem connaturaliter, ceu causa regiminis, excitant affectus volitionales, aversativos vel prosecutivos, delectativos vel afflictivos. Inter quos eminent cruciatus, ab igne corporeo impressi : quos philosophia vulgaris arbitratur esse explicatu impossibiles, nos rei difficultatem quidem videmus. Si enim ignis dolorosè afficit sensum tactus, sensatio illa cognitionem movet, cognitio cum sensatione dolorem in substantia animæ, qui aliud non est, quàm affectus afflictivus, sensationi analogus, voluntati animæ, vel potiùs noluntati impressus, per connaturalem actionem regiminis; quæso quare non ignis immediatè potest voluntati angelicæ imprimere similem affectum doloroſum spiritualem, sicut affectus ille animæ spiritualis tantummodo esse potest ? idque per actionem regiminis igni, divino nutu & lege concessam ? Potest ignis immediatè excitare in angelo intellectionem, cur non & affectum voli-

volitionalem cruciativum ? Ubi difficultas ? Atque ita potentiam intelligendi & volendi angelicam abunde explicavimus. Nam de ſpeciebus intellectualibus verba non attinet facere: cum ex dictis N. 26. abundè conſtet, quàm ſint ſuperfluæ. poſſem autem multis etiam modis demonſtrare, impoſſibiles eſſe: ſed quid fruſtraneo labore opus eſt? verſentur in his vulgares, qui ad ejusmodi torturas, culpâ ſuâ, ſe ipſi damnant.

28. Tranſeamus ad motum localem. Patet in hoc neceſſariam eſſe replicationem creativam à DEO, in angelo moto, æquè ac in corpore: at cauſa regiminis applicativa DEI, ad ſic creandum, non poteſt eſſe eadem in angelo. Neque enim angelus tangere vel tangi, impellere vel impelli poteſt; cum ſit ſpiritus, carens extremis, ut loquitur Helmontius, ſive nec eſt figurabilis, nec extenſibilis, nec impenetrabilis: qualia à nonnullis, immeritò & nulla de cauſa, angelis affinguntur. Unde rectè S. Thomas & alij dicunt, loco impulsûs ſervire angelo voluntatem ſuam; & determinare DEUM ad reproductionem in fluentem lineam, vel in quiete, ſuâmet voluntate. Quam enim naturale & ſpecificum corpori eſt impelli, tam naturale angelo velle; & quàm connaturaliter impulſui conceditur actio illa regiminis, tam connaturaliter conceditur volitioni angelicæ. Quæ tamen non perinde ut in DEO, qui etiam volendo movet, eſt ſine fine, & modo: ſed reſtricta ad certum

certum angeli jus, pro certa rei movendæ magnitudine, & pondere, certa velocitate, & ad certos terminos.

29. Non potest angelus damnatus inferno exire, aut ad cœlos evolare, aut etiam aliò, quovis eum libido impelleret, moveri: quia ad hæc non potest exercere volitionem efficacem, sive quæ habeat in potestate actionem regiminis, sive determinandi DEUM, ad reproducendum se, in talem lineam. Beatis autem angelis ampliſſimam esse potestatem, ut ferè quovis per mundum moveri possint; & quidem velociſſimè, maximisque passibus, censendum est, cum hujusmodi jus eis status & merita præcedentia facilè concedant. Si cui mirum videatur, angelo facultatem esse movendi se solo nutu voluntatis, is reflectat se, etiam homini id competere in motibus voluntariis, in quibus anima suum corpus, & organa motoria, pariter volendo solùm determinat; & quare hoc absonum sit in angelis?

30. Non solùm se ipsum, sed & alium angelum potest movere & pellere, qui fortior est, sive qui plus juris habet ad actionem illam regiminis in altero exercendam: talis enim determinat DEUM, ad reproducendum in lineam, & locum, quem movens vult. Quod si movens & movendus sint æquè fortes, sive æquali jure polleant, neuter alterum movere poterit, nisi alius in consortium advocetur. Neque solùm alius alium sic movere potest, sed etiam

in

in loco sistere & ligare potest, si habeat jus, ut privet alterum actione regiminis, ad se loco movendum. Sic Raphael alligavit Asmodæum in deserto, sic Christus & alij exorcistæ damnant insessores dæmones, ad loca sylvestria & inaccessa, vel etiam ad infernum amandant. quæ omnia apud nos facillima sunt explicatu. Nec quidquam supereſt de motu locali: ad sermocinandum progredimur.

31. Posse angelos cum hominibus loqui per voces, & alia signa, non est ambiguum: habere tamen eos linguam inter se quoque specialem, patet ex S. Paulo, dicente ad Corinthios, *si linguis hominum loquar & angelorum.* Quæritur, quænam sit lingua angelorum? Nonnulli ad gesticulationem & variam configurationem, qua inter se utantur, confugiunt. Sed angeli nullius figuræ capaces sunt, cum sint Spiritus inextensi. Omissis ergo quibuscunque ineptiis opinionum, dico eos loqui per directionem conceptuum. Sed quomodo? hoc vulgaribus videtur impossibile explicatu, nobis merus est lusus. Nimirum loquens habet jus & facultatem determinandi intellectum audientis, ad perceptionem certæ veritatis, & simul, ut cognoscat, hanc veritatem ad illum dirigi, à se loquente: in quibus duobus perfectus sermo consistit. Quomodo hoc fit? Per actionem regiminis, competentem loquenti. Ergo loquens jus habet instruendi & informandi alienum intellectum? Omninò: sed hoc cedit in bonum tum privatum

tùm audientis, tum commune reipublicæ angelicæ. Modus hic maximè congruit angelis: facillimus est, secretissimus, & certissimus inter beatos: quamvis inter damnatos mendax quoque esse potest. Requiritur certa distantia, sed in variis varia, ut supra de intellectione diximus. Attamen non dicitur esse in distans, licet nihil in medio fiat: quia est independens à loco, & quovis contactu: unde nihil obstat, quo minùs angelus tutelaris in terra existens existentibus in cœlo colloqui possit, dummodò ad hoc jus à DEO habeat, sicut habere censendus est; & sic qui custos inferni est, dæmones damnatos ibi alloqui & terrere potest, etsi ipse in cœlo maneat.

32. Hæc tibi mirabilia videntur? non habes mirandi causam, si eadem nobis hominibus cum cœlitibus competant. Attamen revera cum sanctis angelis & hominibus loquimur. Dum enim dico: *S. Maria, sancte Angele, ora pro me in hora mortis*, dum, inquam, sic non tantùm voce dico, quæ eò pertingere nequit, sed etiam solo voluntatis affectu, loquor sanè angelo ac Deiparæ; cum ei meam necessitatem exhibeam; & simul significem, me dirigente & volente hoc fieri; in quibus duobus vera locutio sita est. Loquitur ne etiam angelus suo clienti, quem abstrahit à peccato, & ad bonum, piâ inspiratione, impellit? Non sanè: etsi enim aliquam veritatem ei vivacissimè pro-

ponat ; non tamen significat , fieri hoc se dirigente. Unde nescit homo ille sic impulsus , undenam sit ille affectus suavis ? à Deo ne ipso , an ab alio ? an casu exortus.

33. Tametsi ergo nobis permittatur colloqui beatis , cum nostra necessitas hoc requirat ; non tamen permittitur ordinariè beatis , ut nobis ipsi loquantur , quia illa familiaritas nobiscum ipsos dedecet. Sic non possunt ordinariè damnati colloqui beatis , nec vicissim , quia sunt ad æternam inimicitiam separati ; possunt tamen liberalissimè inter se Beati colloqui , quomodo etiam se se identidem ad DEI laudes incitant ; cujus *majestatem , per Christum , laudant angeli , adorant dominationes , tremunt potestates , cœli cœlorumque virtutes , & beata Seraphim , socià exultatione concelebrant.* Et licet inter se se angeli non utantur vocibus , possunt tamen crispando aërem , & motu locali , in usum beatorum hominum , suavissimas voces , cantus , & harmonias musicas efformare ; atque ità eos incitare ad canendum , *sanctus , sanctus , sanctus , &c.*

34. Quæ de angelis dicta sunt , etiam de anima separata pro portione intellige. Interim ad DEUM quoque etiam hîc mentem reflecte: à quo videbis , omnem operationum hactenus explicatarum apparatum , tanquam ab anima ubique inhabitante , præsidente , dispen-

penſante, pendere. Hic enim eſt, cujus nutu omnia fiunt, qui ſingulis agentibus jura, vires, modos, terminos præſcribit, laxat, ordinat, mutat, tanquam ens entium, & cauſa cauſarum, cui eſt omnis honor & gloria.

§. VI.

De mundo ſupernaturali.

35. Nolumus hîc ea diſputare, quæ ſunt contra hæreticos: ſed tantùm oſtendere, quomodo totum negotium ſupernaturalitatis à DEI operationibus pendeat. Imprimis ergo ulterior DEI cooperatio requiritur ad opus ſupernaturale, quàm ad naturale: cum ad naturale ſaltem nutus DEI, ſimplex tantummodò, neceſſarius ſit, ad ſupernaturale verò inſuper nutus gratioſus & amicabilis, & quidem à ſolo DEO ſpecialiter initium ſumit opus ſupernaturale & gratioſum; alioquin *gratia non eſſet gratia.* Quare ante omnia gratioſè DEUS decrevit incarnationem, & merita Chriſti. Deinde ante incarnationem factam, reſpexit tamen eandem ut certò futuram, ejusdemque intuitu decrevit omnibus auxilia ad ſalutem æternam: poſt eandem jam factam movetur per ſacramenta, tanquam actiones Chriſti, cujus nomine fiunt, ad ſimilia auxilia concedenda: quæ proinde Chriſti

merita & sacramenta exercent eatenus actionem regiminis, quatenus DEUM movent ad homini ita succurrendum, ut agere possit supra vires naturæ suæ.

36. DEUS proinde sic determinatus, pueros quidem justificat per baptismum, minimè cooperantes, & ad statum gratiæ traducit: adultos verò etiam ipsos quidem per sacramenta, sed non sine libera eorum cooperatione, sanctificat, juxta illud S. Augustini, *qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.* Primùm igitur istos ad se vocat, intellectum ipsorum determinando ad cognitiones salutares, & voluntatem movendo, ad pios affectus, quibus abstrahantur à peccatis, & ad divina opera incitentur. Hæ dicuntur gratiæ prævenientes, quæ fiunt in nobis sine nobis, liberè cooperantibus; diriguntur que à DEO ad acquirendam amicitiam, sive habitualem gratiam, inter ipsum & nos. Quod si eisdem consentientes convenienter eisdem operati fuerimus, eadem operatio nostra, per gratiosum & amicabilem DEI nutum affectumque erga nos, dignificatur, & ad esse supernaturale extollitur; quæ dicitur gratia adjuvans. Meretur verò eadem operatio sic dignificata, ut postmodum ulteriùs nos DEUS, liberaliùs, & amicabiliùs ad se invitet; & hæc est gratia subsequens.

37. Ad

37. Ad ſtabilitatem deinde efficiendam in nobis, aſſumit hominem DEUS ſpeciali jure ad Scholam Spiritûs S. hoc eſt, confert jus ſtabile, ut ab illo ſæpius atque amplius, in rebus cœleſtibus inſtruamur, quod eſt habitum fidei infundere. Item promptudinem nobis facilitatemque confert, deſiderandi æterna bona, & caduca deſpiciendi: innitendi quoque & fidendi auxiliis divinis, ad eadem bona, puſillitate animi, & perturbativis curis amandatis, feliciter conſequenda: quæ facilitas propter ſtabilitatem juris, habitus ſpei appellatur. Denique habitum charitatis communicat, id eſt, ampliorem facultatem, DEI amicitiam omnibus bonis creatis appretiativè præponendi, cum frequentibus ad hoc à DEO auxiliis, identidem à DEO affluentibus. Atque ita contingit, hominem quotidie magis ac magis, in DEI gratia proficere & creſcere, ut collocetur prorſus in ſtatu gratioſo, quem natura univerſa miretur, donec denique ad ſempiternam gloriam matureſcat. Nempe impotens eſt homo ad ſimiles actiones, ſi non gratioſis DEI nutibus, tanquam actionibus amicabilis regiminis, juvaretur. Vides proinde, quomodo res hæc tota, & omnis vita mundi ſupernaturalis, à DEO tanquam principio, homini & angelo ſupernaturali, non ſecus pendeat, atque operatio corporea ab anima; à principio ad finem ordinante omnia ſuaviter, & efficaciter perducente.

38. De mundo glorioso qui dicemus? In hoc confert DEUS creaturæ denique jus plenum, perfectum, æternum, inamissibile, perfruendi omnibus suis bonis. Confert illi lumen gloriæ, sive gloriosâ actione regiminis determinat ejus intellectum, ut suam essentiam, & perfectiones clarissimè videat: attributa personalia & essentialia cernat: ipsam suam potentiam ac sapientiam æterno fœdere despondeat, ut possit eis uti, ad quævis mirabilia patranda, quorum finem honestum habere possit. Verbo, totum se homini communicat, quatenus capax est. Tu te hîc ô homo effunde in laudes DEI, liberalesque affectus summi boni, cujus quomodo particeps fieri possis, ex philosophia nos satis ostendimus.

§. VII.

De mundo corporeo glorioso.

39. Mundus corporeus parvus dicitur homo; corpus igitur hominis glorioſi mundus corporeus glorioſus vocari potest. De hoc aliqua, consideratu non indigna, occurrunt. Dotes corporis glorioſi communiter recensentur, immortalitas vel impassibilitas, subtilitas, velocitas, claritas. Impassibilitas, in eo est sita, quod non indigeat vel cibo, vel somno, eò quod ad libitum animæ sit vel penetrabile, vel impenetrabile,

trabile, i. e. possit habere existentiam cum jure aliud corpus à loco suo vel excludendi, vel non excludendi, qualem ei DEUS concedit, quandocunque volet. Hoc ipso namque quod sic penetretur, non potest ei nocere nec ignis, nec aqua, nec frigus, nec calor, neque gladius, neque sagitta, neque aliud quidvis extraneum: neque turbari ab intrinseco motibus alterativis, sed eatenus est instar spiritus. Ex quo hoc ipso sequitur subtilitas, ut patet, cum omnia transeat. Velocitate motus imitatur angelum. claritas sequitur ex eo, quod sit lumini pervium: nisi tamen per hanc dotem varietatem & suavitatem colorum intelligas.

40. Habet enim homo glorioſus potentiam, corporis sui perfectè motricem, & cum illud impenetrabile fecerit, eidem assumere potest quamcunque minimarum partium figuram & plexum, ac superficiei, qualem voluerit, majorem minoremque asperitatem vel lævitatem, unde lumen reflectitur, ad quemvis colorem. Eodem modo vestem quoque ex lumine omnibus modis variegatam sibi circumdare potest: planéque existimandum est, prout in Beatorum Societate mutantur festivitates, ita eos aliter vestitos prodire, ad se invicem honorandos ac oblectandos, sicut in suis Sacris facit Ecclesia militans, ad imitationem utique triumphantis. Sic etiam dum volunt inter se vocibus & cantibus uti, necesse est, ut se impenetrabiles reddant; alioquin organa, ad

hujusmodi vel efficienda, vel recipienda, non essent apta.

41. Facilè etiam respondebis ad illas quæstiones, num beati in cœlis comedant, vel bibant, & cæterorum sensuum gaudiis fruantur? Respondeo enim omnino eos hujusmodi oblectamentis gaudere; alioquin resurrectio frustranea esset, & suâ corpora gloriâ, multis ærumnis & laboribus hic meritâ, carere non debent. Attamen opus non est, reali eos cibo & potu refici: cum neque debilitentur, neque deficiant, neque nutriantur; quamvis & hoc facere possint, ut exemplo Christi resurgentis constat. Possunt autem organo gustativo speciem delectativam quamlibet imprimere, multò perfectiùs, quàm faceret ipse cibus realiter sumptus, & sic omnem sibi saporem procurare. Quod idem de odore, & aliis sensibus intellige; prout honestum hujusmodi rerum finem habere possunt.

42. Pari modo enim etiam sensui auditûs, ac visûs, possunt exhibere quamlibet suavissimam vocum consonantiam, vel colorum præstantiam; atque sic videre vel audire objecta, etsi revera realiter non præsentia, nec existentia. Quamvis tamen etiam ista realiter coram sistere, & ipsi exhibere possint. Somnum verò capere nequeunt, quod finem hujus honestum non habeant, qui inter homines est necessitas reficiendi lassa corpora & opus nutritionis vel restituendi vel consummandi.

Atque

Atque hæc & similia non tantùm quilibet in se, sed etiam alius in alio per actionem regiminis exequi potest; uti dum alteri vult loqui, vel aliquid ei videndum exhibere, potest eum facere impenetrabilem, ut talia percipiat, audiat, videat: quod sanè audiendi ac videndi non est molestum. Cœtera hujusmodi siqua occurrerint, facilè ex nostra philosophia resolves.

§. VIII.

De *statu innocentiæ originalis*.

43. Status hic requirebat immunitatem ab omni errore intellectûs, dicente S. Augustino, *judicare falsa pro veris non est natura creati hominis, sed pœna peccati*. Utique multa non sciviſſent homines in illo statu, sicut nec modò beati omnia sciunt: fuissent tamen per sapientiam, & prudentiam infusam, ita à Deo directi, ut in quoque errandi periculo judicium suspendissent: quo maximè conferebat tranquillitas passionum, eorumque perfecta subjectio tùm rectæ rationi, tum sanctæ voluntati. Similiter requirebat immunitatem ab omni peccato veniali. Unde protoplastorum primum peccatum necessariò debuit fuisse mortale, quo gratia originalis amitteretur. Quibus non consideratis, de tentatione Evæ, & ejus inductione in peccatum, multa inconcinnè garriuntur ex cathe-

dris popularibus, Sed nos similibus omissis duo specialiter considerabimus modò : immortalitatem eorundem , & quomodo, vel quale dominium in bestias exercuerint, quæ ad nostram philosophiam propinquiùs pertinent.

44. Ad primum quod spectat, certum est, simpliciter loquendo, protoplastos fuisse in statu innocentiæ immortales : nam *invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum* ; & in pœnam Deus injunxerat, *quocunque die manducaveris, morte morieris.* Certum tamen quoque est, eandem immortalitatem non fuisse æquè perfectam, atque est beatorum in cœlo, partim quia pendebat ab exclusione peccati tanquam conditione, partim quia ad vitam continuandam indigebant cibo ; quem si non sumpsissent, inediâ periissent. Sicut etiam archæus in ipsis requirebat alimentum, ad restaurationem sui, quod erat fructus arboris vitæ, cum eodem archæo plurimùm symbolizans, ut diximus supra num. 19. Quare immortalitas in eo erat sita, quod neque alimentum deesset, & omnis exterior vis ac infestatio fuisset vel nulla, vel infirmior, quàm ut nocere posset. Sed quomodo istud defendimus?

45. Certum namque videtur, sive Adam peccasset, sive non, cursum mundi, cœlorum & siderum futurum semper fuisse eundem, qui modò est. Erant hæc omnia *facta benè, & bona valdè :* ad quid ergo mutaretur propter pec-

peccatum : propter quod proinde opus creationis in nullo corrigi debuit vel immutari, præterquam quatenus quidpiam cum pœna ob peccatum inflicta conjunctum fuit. Necessarium tamen fuit in ista, quæ modo evenit, conversione ac vicissitudine motuum cœlestium, & aliarum rerum oriri aëris intemperiem, aut nimios æstus, aut frigora, aliasque tempestates, ubi ubi terrarum paradisus collocatus fuisset: ex quibus non poterant non malè affici corpora hominum, præsertim vestibus nuda, & nullis in ædibus custodita. Item poterat unus Cain amissâ pro sua persona innocentiâ, infestare innocentem manentem Abelem, atque occidere. Sed inquis, si Cain peccasset, non peccante Adamo, ipse Cain fuisset extra paradisum expulsus, & à consortio innocentium segregatus. Sed poterant valde multi fieri sic peccantes: deinde filii & nepotes Caini nihilominus, extra paradisum, fuissent cum innocentia nati; in quos tamen ipsos quoque poterat Caini furor sævire, si aliud antidotum non fuisset.

46. Quocirca Helmontius medicus, & Marcus Marci non solùm medicus Caroli V. sed & Theologus, cui quadrienno sub Arriaga studuit, non dubitant affirmare, corpora in statu innocentiæ habuisse dotem penetrabilitatis, qua adversus omnem vim externam obmunita fuissent, sicut ferè modò sunt corpora gloriosa beatorum. Igitur ordinariè quidem fuerunt im-

impenetrabilia, & tractabilia, ad exercitia humana inter se peragenda: nam aliter nec loqui, nec actiones sensuum peragere, nec cibum sumere, & paradisum colere potuissent: attamen adversus violentiam omnem statum penetrabilitatis assumere potuissent. Neque hoc difficilius aut mirabilius fuit, quàm dum nos, imò quævis corpora, determinamus Deum ad producendum influxum, dum moveri volumus; vel in puncto quietis, dum sistere, actione regiminis eatenus nobis concessâ, nutu divino: æquè enim facilè erat Deo, in hoc quoque ad statum penetrationis vel exclusionis homini jus; prout vellet, vel opus haberet, concedere. Neque existima, hanc dotem esse nobiliorem, quàm ut homini non beato conveniat: quia multo nobilior est immunitas ab errore & peccato, utpote spiritualis, quæ tamen minimè illum statum dedecuit. Atque ita dicta immortalitas constat.

47. Confirmatur eadem res ex eo, quod alioquin non apparet causa, quare nudi mansissent. etenim connaturale est homini, suum corpus vestimento contegere, saltem ad ornatum, etsi non erubescant; prout etiam beati corpora glorioſa lumine tanquam vestimento, ad decorum, & ad gloriæ discrimen, circumfundunt, prout scripturæ sæpe sæpius innuunt. Nimirum siquando mutassent in paradisso statum impenetrabilitatis, identidem vestimenta decidis-

cidissent ; quæ tamen non conveniebat esse ex mero lumine, cujusmodi illicò reassumi possent, uti in beatis contingit ; ut varijs ex causis ostendi potest. Porrò nuditas, ob quam peccato facto erubescebant, non erat illa corporum à vestitu materiali, quam planè sciebant antea, nec inviti ferebant ; sed erat amissio istius dotis, quâ immortales esse poterant, quaque se privatas experiebantur, cum uti vellent, & minimè possent.

48. De dominio in bestias ita memorat scriptura. Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in tera.* & v. 28. *Replete terram & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Gen. 2. 20. *Adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea : omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia cœli, & omnes bestias terræ.* & Eccli. 17. 4. *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram : posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum & volatilium.* Quæritur quid de tali dominio sentiendum sit ?

49. Certum est, fuisse eam potestatem eximiam, illustrem, & quasi regiam. comparatur

tur enim dominio in terram. ſicut proinde homo poteſtatem dominativam habuit in terram, ad eam colendam, exarandam, exercendam aratris, ſeminandam, ordinandam in hortos, agros, prata, fructusque exinde, & gaudia ſibi metenda: ita certo quodam modo, potuit tractare piſces, aves, & beſtias, ut ſibi ſubjectionem, utilitatem, & gaudium, exhiberent. Quam & poteſtatem certum eſt, eum cum innocentia perdidiſſe, nec poſtea recepiſſe: neque etiam aliud deinceps acroama reſonuit, quàm, *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo: ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Quare non conſiſtebat dominium hoc in arte capiendi feras, aut cicurandi, ne nocerent, ſed eſſent ad ſervitia: Nam & hoc hodie habet homo, & à nemine judicatur mereri nomen dominij.

50. Neque aliud quidpiam dignum occurrit, niſi ut dicamus, Adamum habuiſſe facultatem veluti faſcinandi beſtias, ſive eorum ſenſum & appetitum ligandi, itaque afficiendi, ut agerent, quidquid Adamo lubitum eſſet, advolarent, revolarent, cantillarent, ſuaſque voces exhiberent, ubi, quando, & quomodo vellet. Struerent aviculæ nidos eo ordine, loco, in ijs arboribus & frutetis, quibus vellet; beſtiæ ſua ſimiliter cubilia ordinarent; & piſces eas ſemitas aquarum tenerent, illiſque turmis velut in exercitu prodirent, aliaque ſingula præſtarent, prout

prout homini placuisset. Nonnullis hoc assertum admirabile videbitur, sed immeritò. Non enim quod primo aspectu, quo judicamus tantùm secundùm ea, quæ experimur, mirum apparet, propterea non est verum; nec ridiculum rerum ipsissimas causas intimas penitius expendentibus, prout multis exemplis per philosophiam verissimam constat.

51, Primò enim alius modus non est, dominium illud tam in Scriptura toties laudatum explicandi. Deinde modus hic facillimus revera est, & ex ordinariâ via procedens. Nam aliud ad hoc non fuit necesse, nisi ut Deus Adamo conferret hujusmodi jus & actionem regiminis, qua posset determinare sensus & appetentias bestiarum, ad tales affectus ac motiones. Sanè si tale jus habet homo ad sensus hominis, atq; intellectũ sic determinandũ: si nostri sensus sic animę potentias, & contrà, dirigant: si possumus etiam beatos determinare, ut nos loquentes audiant; si angeli inter se se sic agunt, quare hoc non congruit homini in bestias? fortè istis debetur major libertas, quàm hominibus & beatis spiritibus. Denique ad quid opus erat, animalia convenire, ut videret Adam, quid vocaret ea, nisi ut penitissimè introspiceret singulorum naturas, & dispiceret, quale cuilibet imperium conveniret. Communiter dicunt, eadem præstitisse Adamo velut homagium, & obedientiam spopondisse, to modo, quo poterant: necesse ergo erat, ut

Adam

Adam eis posset, non quidem loqui, & propriè præcipere, sed tamen opus quodpiam peragendum imponere. Profectò locus & status talis vitæ etiam requirebat, ut in tanta multitudine belluarum, promiscua confusio abesset, sed ordinata actionum & rerum series, etiam in illis spectabilis esset. Hæc & similia si consideraveris, tibi nostra doctrina mirabilis esse desinet.

§. IX.

An non similis aliqua penetrandi facultas in viventibus etiamnum remaneat?

52. Vel aliqua talis, vel similis aliqua admittenda videtur, si vera sunt quædam mirabilia facta naturæ, prout credere oportet viris fide dignis, quando talia, maximè juxta professionem studiorum suorum, annotant. Ridiculi enim sunt, qui continuò falsa esse conclamant, quæcunque suæ philosophiæ non congruunt; quasi verò facultates naturæ, quæ ars DEI est, ad egestatem humanæ scientiæ restringere ac examinare debeamus, & non potiùs nostrarum rerum caligines ad lucem naturæ corrigere. Nonnemo rusticus cultrum breviorem casu deglutierat, quem postea dextero abdominis latere, cum multo pure, post magnam anxietatem red-

reddidit; & incolumis supervixit. Vacca similiter cum pabulo cultrum devoraverat, quem postea reddidit inter costas & homoplatam. Alius à latronibus coactus deglutire cultrum, eum reddidit sospes per apostema lateris. Puella Veneta acum deglutitam post biennium reddidit, per viam urinæ, calculo incrustatam. Fœtus in utero consumptus, legitur ossa transmisisse trans uterum & abdomen, per umbilicum, nec non aliquando per anum. Antverpiæ prægnans tempore Ducis Albani, conspecta decapitatione unius, mox peperit infantem absque capite, quod nusquam apparuit. Alia Mechliniæ videns cuipiam manum amputari, peperit fætum abscissa manu, quæ nusquam comparuit, cruore inde defluo extinctum. Alia videns militem in bello uno brachio truncatum adhuc cruento, peperit filiam, cujus cruentus humerus per chirurchum solidari debuit, quæ postea nupsit Mercatori Hochkamer Amstelodami Anno 1638. adhuc superstes, inquit Helmontius brachium autem quo devenerit non apparuit. Hujusmodi mirabilia multa apud diversas leges: quæ quomodo explicentur sine penetratione corporum, vix apparet.

§3. Notandum est, quod archæus dirigit vitam animalem, & corpus qualificat; non

autem corpus qualificat aut regit archæum. Hinc homo claudus non generat claudum, quia defectus pedis non transit in archæum: attamen sanus aut vegetus generare solet vegetum & sanum, quia vigor resederat in ipsum ipso archæo, melius constituto. Unde podagrici generant ferè podagricos, quia solet esset vitium seminale in ipso archæo, quod per eum communicatur proli. Nimirum non corpus spiritum, sed spiritus corpus imprægnat, cujus figuram, adumbrationem, finesque agendarum rerum continet causativè. causat autem actione non contactivâ vel alterativâ, & paulatim, sed actione regiminis & instantaneè, & summâ cum efficacia, quatenus subordinatas sibi causas, & ubi hæ deficiunt, ipsam primam & universalem applicat ad vota sua.

§4. Tametsi autem spiritus vitæ propriè non patiatur influxum ab actionibus vitæ animalis, & partibus membrisque corporis, sed ipse in ista influat; attamen ipsemet se plurimùm modificat, & qualitates sibi assumit validissimas, ad actiones sensûs interni, & appetitus subitaneos: quæ mutationes potentissimæ sunt in ijs, quibus periculum mortis repræsentatur. Nam cum sit spiritus vitæ, & vitam ipse ex officio promoveat, ubi periculum est mortis, notat, occurrere periculum destructionis suæ, & annihilationis omnimodæ; unde mirum non est, quod summis nisibus se opponat. Ita desiderio longioris vitæ febricitantes, aliisque morbis afflictos,

flictos, in defectu aptioris antidoti, legimus cibis vel potibus planè contrarijs repentè consanatos fuisse, puta ingenti haustu aquæ frigidæ, vel vini generosi, vel esu crudorum fructuum, &c. Sicut autem per spiritum vitæ non intelligimus substantiam spiritualem; ita per terminos illos, desiderij, gaudij, iræ, indignationis &c. non intelligimus actus spirituales; sed impropriè & tropicè loquimur, intelligendo qualitatem accidentalem archæi, materialem quidem, sed quam exprimere aliter non possumus, sed methaphoricis istis vocabulis insinuamus.

55. Sicut supra num. 14. diximus, archæum sibi insculpere & veluti impingere characteres morbidos ac molestativos, imò sui ipsius destructivos, qui certè in statu innocentiæ, in quo nec mors, nec morbus erat, locum omninò nullum habuerunt: ita nunc post peccatum hujusmodi affectus ac passiones horridæ plurimùm dominantur; sic ut archæum frequenter in omnimodam consternationem ac stuporem constituant. Quod ubi factum fuerit, interdum idem archæus veluti suimet impos, ab omni sua actione cesset: & quia ab hujus actione regiminis ac directiva non solùm prima organizatio seminis, sed postmodum distributio quoque alimenti & viventis directio conservatióque pendet; consequenter dum sic lipothymiam veluti aliquam archæus patitur, cessat cum ejus regimine omnium aliarum subordinatarum causarum

influxus: & quia conservatio non fit, nisi per actiones productivas semper durantes, manifestè sequitur his cessantibus cessare vivens. Aliquando verò non penitus obstupescit archæus, sed resumit & recolligit vires; & tunc vehementissimis conatibus insolitisque nisibus agit, unde & miri effectus, vijs inconsuetis, prodeunt. Nunc

56. Dico primò non possumus defendere, illos effectus, de quibus num. 52. vel eorum aliquos contigisse per penetrationem corporum. Nimirum hujusmodi penetratio erat præcipuum medium conservandi immortalitatem in statu innocentiæ; quæ cum in pœnam ablata fuerit, juxta illud, *pulvis es, & in pulverem reverteris*, necesse est, etiam dotem penetrandi sublatam fuisse. Neque tamen ideò dicendum est, ista fuisse vel opera miraculosa, vel ope dæmonis facta: cum satis pateat, fuisse opera naturæ, quibus majora nec dæmon quidem efficere potest, Manifestum quoque sit ex lacerationibus, apostematibus, doloribus & anxietatibus, neque per penetrationem, neque per miraculum talia contigisse.

57. Dico præterea, possumus exponere, quomodo in quibusdam fœtibus disparuerint aliqua membra corporis. Nimirum facta fuit insolita concussio ac stupefactio archæi tam horrifica, quæ omnem ejus actionem regiminis, circa certa illa objecta stiterit; qua actione cessante cessavit & aliarum causarum influxus, à regimine

ne archæi pendens: his ceſſantibus ceſſavit conſervatio illarum partium ac membrorum. Quid igitur mirum eſt, ſi abſque illis partibus infans natus ſit? quo igitur devenerunt partes? reſpondeo ita in nihilum ſunt mutatæ, ſicut apparuit matribus; ſive ſubitò mutatæ ſunt in aërem, ventum, fumum.

§8. Poſſumus docere, quomodo ſit factus tranſitus illarum rerum per ſtomachum, cutem, abdomen, &c. Etenim factus eſt per vehementem niſum preſſivum, imperatum ab archæo. Naturale etenim eſt archæo, inutilia excernere per vias naturales, quæ ubi nullæ patent, & urget archæum inſolita paſſio, propter inſtans periculum mortis, conatur ſibi tranſitus inſolitos parare, etſi cum ſumma difficultate & diſcrimine: adeò, ut præelegerit corporis ruptionem, ſciſſionemve, evidenti morti aliàs obventuræ. Quomodo autem talis operatio læſiva non attulit & ipſa mortem? reſpondeo, dubitandum non eſt, etiam iſtam, ſimilibus in caſibus, frequenter accidere. Neque enim infallibilis eſt archæus in ſuis conatibus, præſertim per accidens, & præter naturam, occaſione facti peccati, occurentibus. Sed agit in ijs, ſecundùm impetum, non electivè: Quod tamen in dictis caſibus non evenerit mors, accidit ex ſimili actione archæi. Cum enim apertione facta nocivum corpus ejectum eſſet, cœpit archæus facultate ſibi connaturali ingenti affectu

gaudij affici, quo impellente coëgit omnium cauſarum, & ſpirituum vitalium vires, quæ cooperabantur, ad maturam ac tutam vulneris coagulationem.

59. Sed dicet hic aliquis, ſi nulla concedatur penetratio corporum, quomodo ergo ſagæ, ope dæmonum, qui ſupra naturam nihil poſſunt, corporibus hominum injiciunt materias nocivas, cujusmodi aliqua Brugis combuſta, fuit confeſſa, ſe viro injeciſſe corium bubali, ad volæ magnitudinem, quod & ei chirurgus forcipe extraxit, maturato priùs apoſtemate. Sic anno 1622. puella vomitu reddidit bis mille aciculas glomeratim, cum pilis, & aliis ſordibus, per ſagas injectis. Alia Mechliniæ ſegmenta dolabrâ abraſa, ad duorum pugnorum magnitudinem vomuit anno 1631. Sed exempla ejuſmodi frequentia ſunt: ad quæ reſpondeo, ſi injiciantur intra cavitates, e. g. in ſtomachum & inteſtina, nulla ad hoc præſtandum eſt dæmonibus difficultas. Si verò intra partes ſolidas injectio facta fuit, debuerunt neceſſariò partes aperiri; quod potuit præſtare dæmon, immittendo tenaciſſimum ſomnum, & vulnus arte medicâ: quâ dexterrimè callet, mediiſque efficaciſſimis ita fovendo, ut breviſſimo tempore coaluerit, abſque eo quod dolor fuerit notatus: vel licet notatus fuerit, non tamen innotuit, unde præcisè ille extiterit.

60. Sed

60. Sed ex occasione termini *impenetrabilitatis* oritur demum etiam illa hîc quæstio; An & quomodo dæmon possit milites facere impenetrabiles, sive invulnerabiles; contra scloporum & ensium ictus? judicat Honoratus Fabry, angelos posse ad libitum se reddere impenetrabiles, sicut sancti corpora glorioſa penetrabilia: circumdare se ergo dæmonem & circumponere, ita impenetrabilem se factum, circa militem, atque ita protegere. Sed jam aliàs dictum est, etsi corpus possit acquirere statum penetrabilitatis, quod ad hoc tantùm requiratur omissio exercitij potentiæ corporeæ; non ideo spiritum posse fieri impenetrabilem, cum ad hoc opus foret exercitio potentiæ corporeæ, quam ipse nullam habet. Respondeo ergo posse hoc facilè præstare dæmonem, per nisum & motum oppositum. Sicut ergo à nobis corpus impetu appulsum opposito impetu repellitur; ita similiter appulsum repellitur à dæmone, non impetu contrario, qualem imprimere contactu non potest, sed faciliùs, ipsa voluntate suâ, qua pollet, ad loco movendum, gladium vel glandem in oppositam lineam determinante. Quia tamen dæmon non semper vel coram est, vel ictum prævidet, hinc ordinariè tales dæmoniaci milites vulneribus pereunt; maximè cum suâ dæmon quoque nequitiâ tandem decipiat clientes suos. Cur autem talia permittit Deus

dæmonibus? Reſpondeo, permittit in favorem libertatis humanæ, à qua cum dependeat hominum hujuſmodi cum dæmone conſortium, non tam dæmoni illa, quàm homini adſcribuntur. Alioquin certum eſt, ſine ſpeciali nutu Dei, non poſſe dæmonem quidquam homini nocere, neque capillum quidem evellere.

§. X.

An non inſit homini aliqua adhuc facultas faſcinatoria?

61. Diximus in paradiſo potuiſſe Adamum inflectere & regere ſenſus appetitusque beſtiarum, ad ſua obſequia, quod faſcinare dicere poſſumus. Quæritur autem, an non ſimilis facultas aliqua adhuc inſit homini reſpectu aliorum hominum: nam reſpectu ferarum eam amiſſam eſſe, abundè conſtat. Et quidem dubium non eſt, ope dæmonum talia fieri poſſe per potiones medicatas, uti per pocula amatoria, indirectè, ſicut etiam homo hominem movet ad lætitiam, propinato generoſiore vino, & alijs hujuſmodi ſuggeſtionibus, ad alios affectus. Sed quæritur, an non etiam homo per ſe immediatè poſſit ſimilia efficere, per naturales actiones, maledictiones, imprecationes, oblocutiones, aſpectus, & ſimiles modos.

62. Vi-

62. Videtur hujusmodi vis ligativa esse admittenda, ob multas experientias. Nam asserit Helmontius, in homine latere scientiam, quam mumialem & magicam vocat, modò post peccatum valdè occultatam, languidam, & velut mortuam, quæ excitata mirabilia patret: sed eam non explicat, ut equidem cupiam. Illam scientiam dicit, ex pacto à dæmone in sagis excitari, dum volunt quidpiam operari. Per eandem ab angelis immitti hominibus exstases. Ex ejusdem directione pendere negotia nocturna noctambulonum. Itaque per illam scientiam sic excitatam videntur miras præstigias & fascinationes efficere hominum, & bestiarum, sive juxta ejus dictamen unguentum venenatum conficiant, à dæmone transmittendum ad eum, quem volunt ligare; sive in se ipsis, & in mente, vel ore, conficiant venenatum aliquod miasma, quod vel expuant, vel exhalent in alios: sive de ipso suo spiritu, velut intoxicato, dirigant aliò ad nocendum.

63. Sic enim saga mittit spiritum suum in equum, quem interficit; non quidem omnem & totum, aliàs etiam ipsa moreretur; sed ex parte, quatenus ab ipsa, ad nocendum, vitiatus est, radiat in cor equi; sicut archæus matris radiat in fœtum, eumque ibi accendit. Unde si cor equi, per sagam occisi, clavo transfigas, ipsa saga horrendos patitur cordis sui cruciatus: quod signum est, spiritum insitum sagæ migrasse in cor equi, & cum eo copulatum esse.

Posse autem sagam, præsertim mumiali phantasiâ ac scientiâ, ut vocant, magicâ, in ipsa excitatâ, in quasdam velut furias actam suum spiritum insitum vel archialem sic immutare, & velut infatuare, cum directione ad extra, non est obscurum ex antea dictis. Hoc autem nocebit etiam ipsi sagæ? Sic tibi omnino persuasum habe: unde ordinariè hujusmodi strigæ solent esse macilentæ, sordidæ, pallidæ, fœtidæ.

64. Quædam etiam bruta sunt magica, quatenus quibusdam dictaminibus miris, ad quædam, nullo sensu externo cognita feruntur, aut nocumenta sua in alios derivant. Sic enim basiliscus visu dicitur intoxicare, multi pisces apud oleum, & variorum animalium sanguis mira operari. Canis rabiem suam salivæ immittit, & etiam post mortem suam, rabiem per eam propagat. Tarantula ictu suo inquietudinem & saltitationem homini ingerit. Dicitur & morsus mulieris, irâ concitatæ, venenatus esse. De harum miris appetentiis dum uterum gerunt, nihil dicamus. Aquilæ ex Italia in Africam, trans mare avolant ad cadavera, cum tamen eò usque odor non perveniat; instruuntur ergo quadam scientiâ, sive phantasiatione mumiali & magicâ. Rana dum hospitium ante brumam solitò profundiùs sibi apparat, ostendit, rigidiorem hiemem secuturam. Milvus in cœlo novit tempus suum. Sed innumera sunt hujusmodi exempla, quæ qui probè omnia collegisset à bru-

brutis, næ ille utilem sibi scientiam præparasset.

65. Profectò qui historiam animalium attentiùs considerat, non potest non judicare, inter ipsas bestias esse mutuum aliquem, & occultum influxum, quomodo enim oviculæ occurrunt ad matrem suam, ex omnibus totius gregis, & dignoscuntur ab hac? Quomodo rex apium totum examen post se trahit? quomodo singulas inter se distribuunt ad diversas functiones, alias ad importandum, alias ad mellificandum, alias ad fucos pellendos, alias ad custodiam alvearij, omnia cum summa concordia? Idem de formicis. Quàm aptè se aviculæ combinant ad nidificandum, invitant se ad coitum, alternant incumbendo ovis, alendisque pullis? Ciconiæ & similes aves, dum ad mitiores terras autumno avolant, quomodo simul in idem consilium conveniunt? quomodo unam ducem constituunt, quam reliquæ sequantur. Nimirum DEUS, concordiæ & societatis amans, quamlibet animantium speciem eâ naturâ instruxit, ut individua ejus inter se se, ad certum commune bonum, non solùm vocibus pellicere, sed etiam occultis actionibus perducere possint.

66. Hominibus autem quare hoc bonum negatum sit? Certè quidem est diversarum gentium consensus, & opinio quædam, unde unde profecta, esse in hominibus garrulis, præsertim cum invidia obloquentibus, illam vim, ut lin-

guâ

guâ ſua poſſint abſentibus nocere, prout Virgilius canit, *ne noceat vati mala lingua futuro.* In certa terra mihi notiſſima conſuetiſſimum eſt, genus quodpiam morbi, ſitum in dolore capitis, & artuum languore, quod putant ſibi advenire ſolùm ex invidorum linguis: cui & certam herbam adhibent, ab eadem linguarum intemperantia nominatam. Hanc herbam coquunt, ad ebullitionem, aquâ fontanâ, qua ubi manus pedesque & faciem abluerint, morbum eâdem abſterſum colligunt ex eo, quod ſordes in ea certo modo coaluiſſe deprehendant, eo modo, quo lac caſeari ſolet, dum acetum infunditur.

67. Si cætera omnia infirma videantur, manifeſtum eſt tamen in fœminis gravidis, eas revera miram vim exercere in fœtum ſuum, idque occulto modo, quem ipſæ neſciunt. Ubi & hoc adverte, effectum parciùs, aut nullum ſequi, ſi paſſum nimis reſiſtat: ideo fætum in utero capaciſſimum eſſe, quia tenerrimus. Item advertunt quoque requiri in faſcinante vehementem apprehenſionem, & obtutum mentis, ſicut & determinationem ad certum tum ſubjectum, tum ſubjecti partem, ut patet certè tum in eisdem gravidis, reſpectu fætuum, tum etiam in ſagis. & quidem matres non ſignare fœtum ſiniſtrâ manu, ſed ſolùm dexterâ, ſcribit Helmontius. Ratio verò eſt, quia alioquin Archæus, cui hæc actio tribuenda eſt, non ſufficienter alteratur, & ad agendum diſponitur. Illud mirabile eſt, poſſe hominem etiam ſibimet impri-

imprimere ſignum magnæ anguſtiæ, cui profundè immerſus eſt. Teſtis enim eſt Helmontius, virum quempiam, cum expectaret manè venturum prætorem, ut ſuam ſupellectilem raperet, ideoque totâ nocte ſederet mœſtus, & capite in palmam manûs inclinato, deprehenſum fuiſſe manè ea parte capitis prorſus canum, qua manum tetigerat. Sed hujusmodi curis ſubitò aliquos incanuiſſe frequentius legimus, juxta illud, *O nox quàm longa eſt, quæ fecit una ſenem*, ſicut ergo ſemen absque libidine & frigidè decerptum non eſt prolificum, ſic conatus archæi, niſi vehemens ſit ejus applicatio, non eſt potens ad hoc opus.

68. Si hujusmodi actio energetica hominis in hominem admittenda eſt, facilè poſſumus eam, quomodo fiat, exponere. Nimirum voluit DEUS, ſicuti beſtias ſubordinare imperio hominis, & ita eas poſſe, ab ejus nutu, ad ſua obſequia flecti, ita hominem homini eo ſocietatis fœdere obligari, ut alter ad alterum facilè affectu amoris ac amicitiæ inclinet, requirendum id felici illo innocentiæ ſtatu; & ideo ſimilem actionem regiminis ſpiritu inſito conceſſit in bonum. Peccato autem facto & innocentiâ amiſsâ, cum mens hominis in curas hujus miſerabilis vitæ nimium quantum diſſiparetur, ceſſavit illa facilis & profunda applicatio, ad melioris illius prioris vitæ negotia; ſed potiùs ſucceſſit inclinatio in malum, & perpetuus quodammodo furor archæi, omnibus modis exorbitan-

bitantis: unde modo operatio non reſtat, niſi in malum, & ad nocendum; uti ſupra de morbis eſt dictum, qui non per ſe, ſed per accidens, in archæo dominari cœperunt. Dæmon facilè cooperatur, cui volupe eſt cum miſeriis humanis. Itaque ſpiritus archæalis actionem ſuam regiminis, principio & per ſe ei datam, in bonum ſpeciei humanæ, poſtmodum per accidens, exercet in malum: in quo nihil apud nos eſt explicatu difficile. Debere autem hujusmodi actionem admitti, ſanè oſtendunt facta illa multiplicia, & argumenta hactenus præmiſſa, quibus etiam plura apponi poſſent.

§. XI.

De mundo ſympathico & antipathico.

69. Qui oculos mentis veritati aperire voluerit, fateatur neceſſe eſt, in mundo, non ſolum reſpectu viventium, ſed omnium planè rerum, reperiri ubique ſeminalem quandam notionem, diſcretionem, imaginationem, amoris, convenientiæ, ſimilitudinis, timoris, terroris, triſtitiæ, repugnantiæ, cum intuitu lucri & damni, ſuperioritatis &c. ſicut etiam quæ hactenus dicta ſunt, de faſcinativa actione, & quavis alia regiminis, in quadam ſympathia fundata ſunt. Narremus quædam promiſcuè, quamvis innumera ſint, quæ omnibus conſtant. Vinum effervescit vite florente,

rente, & cereviſia, florente hordeo. Mulier ablactans infantem, dum lac in prunas emulget, ſentit ubera ſterileſcere. Stercoribus calentibus ignem ſuperſtruens, aut ferrum candens infigens morbum alvo facit. Quidam naſo truncandus, pactus fuerat cum chirurgo, ut fruſtum carnis, ex brachio alterius exſectum, vulnerique inſitum, inoleſcere faceret. Factum feliciter Bononiæ; ſed poſt menſes tredecim, cum ſic naſatus Bruxellas rediiſſet, altero, qui carnem ſuppleverat, in Italia mortuo, ſenſit ſibi naſum putreſcentem defluere. Cujus teſtes, inquit Helmontius, adhuc ſuperſtites ſunt. Certa herba manu trita, aut retenta, donec tepuerit, ſi manu illa alterius manum tenueris, donec tepeſcat, conciliat illius amorem. Exploratum dicitur eſſe in cane. Si folia aſari, aut extremitates ſambuci, decerpendo deorſum ſtrinxeris, purgabunt ſumentem, etſi tractionis neſcium, per alvum: ſi verò ſurſum vellicaveris, per vomitum. Fæmina podagra laborans, à morbo convaleſcens, quoties ſellâ, in qua frater ejus mortuus fuerat, ſederet, licet in alia urbe, ſemper recidivam eſt paſſa.

70. Cadaver occiſi ex vulnere, præſente homicidâ, ſanguine manat: nam archæus vindictæ affectum exercet: manet enim aliquid de archæo in violentè occiſo, unde corpus ejus minùs riget, & diutius manet tractabile, quàm naturaliter mortui. Si ſuper teſtudinis chordam

levem

levem paleam posueris, extremitatibus liberè in aëre, tanquam in statera, pendentem, & alterius testudinis similem chordam pulsaveris eminus, ubi toni in octavo consonant, videbis paleam trementem; at ubi in unisono concordant, tunc alioquin quieta testudinis fides, moræ impatiens subsilit, & velut lætitiâ gestiens, paleam excutit. Qui pelle gulonis, quod est animal voracissimum Sueciæ, intectus dormit, semper epulas somniat. Si faber dorso ad septentrionem obversa, super incude lineâ meridianâ instructâ, malleaverit acum, dum maximus fervor ignis desierit, subobscurâ adhuc rubedine, & cum imaginatione verticitatis imprimendæ, acus acquirat verticitatem, non acquiret, si imaginatio defuerit. Si porcus infra currum cancris onustum noctu transcurrerit, manè deprehendentur omnes cancri mortui.

71. Medicina frequenter sumpta non operatur, quia familiaritatem contrahit cum archæo. Mater fœtui cerasi notam impresserat, qui virideſcebat, flaveſcebat, rubeſcebat, quot annis, iisdem stationibus, quibus cerasa arborum. & compertum est, aliquem has vicissitudines colorum in Belgio passum, in Majo & Junio; in Hispania verò easdem in Martio & Aprili; rursumque in patriam rediens, Majo & Junio. Turdi moriuntur, dum grana visci, ab eis devorati, cum stercore arbori aspersa, iterum germinant. Rebus etiam inanimatis

matis quidam ſenſus ineſt. Sic argentum vivum metallis ſociatur, non ligno & lapidi. Ab oleo cucumis avertitur, & intorquetur, ne ei propinquet, ficus ex arbore cadunt, ſi eam lapis ætites tangat. P. Vadingus fatetur, expertum ſe eſſe, eos, de quibus intensè cogitamus, reſpicere nos. Sanguis vel urina ægri à cane vel porco devoratus, morbum in beſtiam transfert. Sed annotet plura, qui volet.

72. Atque actiones haſce tam admirandas multi per effluvia corpuſculorum explicare conantur: nec dubia eſt hujusmodi effluviorum multiplex operatio. Sic anno 1320. inter Ruſſiam & Tartariam alt. gr. 64. non procul à palude Kitaya horda Paſchirdorum in petras transmutata legitur, cum toto armento, curribus, armamento, hominibus, camelis; quia fortis odor ſaxatilis fracidus eò adſpiraret. Novimus & fontes lapideſcentes, & alia ſimilia multa, per adſpirationem particularum concreſcere ſolita. Sed tamen communiter & meritò judicatur, per eandem communicationem particularum omnia explicari non poſſe; cum præſertim quædam in plurimam diſtantiam peragantur, quo Spiritus vix credi poſſunt deferri poſſe. Quocirca actio noſtra regiminis multo univerſalior, manifeſtior, & certior eſt; ſed & facilior.

73. Cum igitur DEUS Optim. Maximus in opere ſuo mundiali ſe ipſum commendare & cognoſcendum exhibere vellet, præter alia divinitatis ſuæ attributa, etiam unitatem ſuam in pluribus innuere voluit. Unde propè infinitam rerum creatarum apparatum ita diſcrevit, diſtinxit, diſpoſuit, ordinavit, ut omnia tamen, certis legibus, in unum convenirent & conſpirarent. Imprimis ergo ex una materia univerſali produxit omnia, quæ aliud non eſt, quàm ſubtiliſſima ſubſtantia ſeminalis, & velut originalis archæus totius mundi. Hujus portionem ſinceriorem ac puriorem implantaverat arbori vitæ in paradiſo; & ejus aliqua indicia vult eſſe reliqua, oſtendendo quibusdam, etſi paucis, univerſalem medicinam, quam lapidem philoſophicum vocant. Exinde quoque decerpit & miſcet archæos particulares rerum, ſic ut de communi omnes aliquid participent, & in propriam ſuam differentiam nihilominus velut abſcondant. Hinc fit, ut omnia partim conveniant, partim diſcrepent. In quantum ergo conveniunt, in tantum alterum ab altero amatur ac trahitur, ac naſcitur ſympathia: in quantum verò diſcrepant, ita à ſeſe disjunguntur, ac invicem repugnant. In eo proinde ſtatuta eſt actio regiminis in rebus diverſis, quod ſi una res agat, determinet & aliam, ad agendum ſecum, ſi ſit ejusdem

dem ſecum rationis ; aut patiatur , ſi altera patiatur ; hæc eſt ſympathia : anthipathia verò , ſi determinat ſibi contrariam ad actum contrarium. Atque ita per actionem regiminis, præſide DEO, omnia ordinatiſſimè in cœlo ac terra peraguntur, tanquam ſi in mundo nihil conſpiciatur, quàm perpetua & admirabilis harmonia rerum omnium, in DEI laudem & gloriam conſpirantium.

74. Hinc facilè apparet , quomodo operetur unguentum armarium. Videlicet ſi unguentum ex bonis herbis ſpirituosè confectum ſit , ſanguis autem armis adhærens adhuc recens ſit, copioſoque archæo prægnans: archæus ille ſanguini ſic immerſus ubi amicabili unguento delibutus furorem remiſerit, determinat archæum totalem , in vivo adhuc & vulnerato homine , ad ſimiliter remittendum furorem : atque ita placatus archæus dirigit corpus vulneratum, ad convaleſcentiam. Hujusmodi actionibus & paſſionibus conſenſivis plenus eſt mundus : ut fidenter pronunciem, philoſophiæ defectum efficere , ut nonnulli Theologi inconſultè ſuperſtitionis è veſtigio damnent medicos , dum talia faciunt ; exiſtimantes, non poſſe fieri actionem ullam phyſicam , niſi mediante contactu , & per motum localem ; non attendentes , quod ipſimet talem actionem doceant, independentem à concurſu locali , in locutione angelica , & qua

ipſimet cœlites in precibus alloquuntur. Animandi potiùs medici ſunt, ut hujusmodi ſtudia exerceant atque promoveant: nec dubium, eos devenire poſſe ad varios modos curandi morbos, ſi membrorum, corporum, herbarum &c. conſenſum perſpectiorem habuerint. Cum enim immediatè ſæpè applicare non poſſint medicinas, poterunt tunc mediatè, & aliis viis, ſalutem ſuggerere. Atque ita, ni fallor, per actionem regiminis, etiam hunc nodum, multis viſum difficilem, nullo negotio, ſolvimus.

§. XII.

Mundus pœnitens.

75. Miſericordiſſimus DEUS, cum videret, parentes noſtros per peccatum turpiter depauperatos, & nudos, fecit illis peliculas, quibus tegerentur. Sic poſtmodum multiplicem calamitatem noſtram conſolandi cauſa, nihil omiſit illa infinita majeſtas, quo nobis ſubſidio eſſet. Unde multiplici providentiâ, generi humano innoteſcere voluit innumera naturæ myſteria, quid lateat virium in terreſtribus ac cœleſtibus, quid in metallis, quid in lapidibus, quid in plantis, quid in fontibus, quid in beſtiis, quid in montibus, quid in vallibus, quod nobis

bis ad valetudinem, ad esum, ad vitam, ad oblectationem quoque servire posset. Esset propè infinitum eò excurrere, & divinæ providentiæ fontes ubique ostendere: Sed vel eo ipso non erit virium & vitæ nostræ; ut alteri eam sortem relinquendam putemus, contenti ea exposuisse generatim, quæ difficultatem in particularibus ubique faciebant: ex quibus hactenus brevi & clarâ methodo tractatis in omnia ferè singularia lux poterit aliqua derivari. Sit hic igitur nobis tantisper aliqua quies; DEO verò optimo maximo, cujus providentia vivimus & sapientia gubernamur, in æterna sæcula sit omnis honor & gloria.

Amen.

CRIBRUM DOGMATICUM,

Quo

pretioſum à vili,
triticum à paleis,
verum ab erroneo,

rectè & meritò *ſecerni* oſtenditur,

Cum

Soliloquio metaphyſico,
cum anno frugifero ſubordinatum.

Proloquium.

1. QUæritur, *num errores* in Philoſophia, ſiqui irrepſerint, *corrigendi ſint?* Quis dubitat inquis? Dubitat enim verò innumera hominum turba, quibus omnia ſunt ſusque deque: qui non literis vacant, ſed inaniſſimis ſerviunt illorum placitis, per quos ad nonnullum fucati honoris gradum pertin-

pertingere se posse sperant. Hî inquam dubitant, sitne aliquis error tollendus: dubitant autem? imò potiùs manibus pedibusque obstant, ne quidquam tale eveniat; & si quem compererint, qui è dogmatis semel traditis & acceptatis, vel, ut ipsi loquuntur, approbatis, quidpiam in judicium vocare tentaverit, eum tanquam reipublicæ hostem turbatoremque odio plusquam vatiniano insectantur, omnibus & contumeliis vexant, & injuriis opprimunt.

2. Quasi verò non idem sit error animæ, quod morbus corpori; imò tanto illud præ isto pestilentius malum, quanto animus corpori antecellit. Utrumque est fœdus effectus originalis peccati, dicente S. Augustino, *judicare falsa pro veris non est conditio creati hominis, sed pœna peccati:* & morbus quidem ad mortem disponit, error ad peccatum, quæ & ipsa mors animæ est, viam adeò certam sternit, ut clarâ voce toti mundo acclamet David, *Errant omnes, qui operantur iniquitatem.* Hinc peccato non facto nemo errasset in paradiso: hinc in Beatis exulat omnis error; quia, cum infinita quidem sint, quæ nesciant, circa ea tamen judicium omne suspendunt, atque ita ab omni uti peccato, sic errore servantur. Errant verò innumeris modis ac viis damnati spiritus, quorum & unicum propemodum opus ac studium est, miserabile genus humanum erroribus quotidiè

tidie aliis atque aliis discerpere, atque in peccata sine fine præcipites agere. Quid tibi videtur vir bone? quid nobis agendum est? tartareone exercitui nostras vires jungemus, arma ministrabimus, consilia contovebimus? Absit, si Christiani sanguinis vel guttam habes!

3. *Sinite utraque crescere,* inquiet aliquis, virtutes cum vitiis, veritates cum falsitatibus, *usque ad messem.* Sed profectò error, non nisi alio errore & iniquitate, defendi potest. Simpliciter enim verum non est illud veritatis pronunciatum; sed tunc solummodò, quando cum zizaniis eradicaretur & triticum. Quando verò spinæ sementem ipsam suffocant, prout errores vulgares genuinam philosophiam penitus opprimunt, ut videbimus, absque ullo dubio, quoad fieri potest, resecandæ eradicandæque sunt.

4. Illi quidem errores, reponis, qui sunt circa fidem & mores, evellendi sunt; sed quid tantoperè noceat error meriſſimè physicus? Respondeo novum rursum errorem demonstras, quasi error sit uspiam aliquis, qui non aliquod morale vituperium incurrat, aut nocumenti nil adferat. Sicut omne verum ex DEO ceu prima veritate scaturit, sic omnis error DEO contrarius est: hinc per naturales quoque scientias, dogmata etiam fidei ac morum à SS. Patribus confitmata fuisse, & hodie à Theologis confirmari, illustrari, explicari videmus

mus; cum nullus error tam philoſophicus ſit, qui ſi ad primos fontes reducatur, affirmari pergatur, non aliquod divinum vel dogma vel attributum deſtueret.

5. Alius opponit, *tegendos potiùs ac palliandos eſſe*, ſiqui ſint, noſtrorum magiſtrorum ac patrum *errores*, quos immeritò & parùm piè turbamus tam ad æterna gaudia ſublevatos: ſcholam quoque ipſam, in quâ innutriti, & doctrinæ tanquam materno lacte educati ſumus, non ſic à nobis infamari debere. Sed alius hic rurſum & multiplex error ſe prodit, quo beatos in cœlo inſipientiæ accuſas, qua deſiderent ſphalmatum ſuorum, in quæ hic viventes pro humana infirmitate incurrerant, nunc adhuc patroni exiſtimari. Scripſit S. Auguſtinus duos retractationum libros; ſcriberent & ſancti ſi viverent, nec ullum vellent in ſuis monumentis errorem extare, & ſicut defectuum ac peccatorum olim admiſſorum, ita errorum quoque vellent, ſi fieri poſſent, nullum imitatorem habere; quibus proinde gratius nihil facturus ſis, quàm ſi de eorum ſcriptis omnem prorſus maculam abſtergere poſſis: non enim paſcuntur mendaci laude, ut nos interdum.

6. Illud quoq; quæſo quam eſt erroneum, quod arbitreris, alicui ſcholæ vel congregationi pulchrum eſſe & glorioſum, in erroribus non cognitis, imò & cognitis pergere: quaſi verò laudi ſit civitati, ſiqua in luem epidemicã inciderit, nam identidem propagare, retinere, & ad nepotes traducere.

Error, mi homo, semper est error, malum semper malum, ubi ubi repertum fuerit. Accedit quod scholæ Ecclesiæ serviunt, cui valde præjudicat in proprijs officinis arma parari, quibus ipsa lædatur, & cœlestibus dogmatibus remoræ, caligines, retinacula obveniant. *Amicus Plato, magis amica veritas*: publicum privato anteponatur oportet; præsertim cum abjectissimi animi sit, gloriam suam, eamque inanissimam, in scientijs quærere, cujusmodi est, velle nunquam videri errasse, plaususque hominum, quamvis prorsus erraticos, velut ultimum vitæ & actionum finem sibi constituere velle.

7. Nonnemo illud Nasonis objiciet: *Studium quid inutile tractas? Mœonides nullas ipse reliquit opes.* Studia ista critica nemo æstimat, utique jacent, nemo per ea emergit, eorum patroni pessimè audiunt. Esto sanè: sed hoc iniquorum judicum vitio accidit, qui causam ab executione incipiunt. Ego quidem certè, qui nostra perspecta habuerit, & non laudaverit, neminem unum vidi. Ille quoque decumanus est error, quo in nostris sive studiis sive actibus, hominum iniquis judicijs ac infectationibus moveri ac cedere debeamus: non est illa nobis vivendi regula posita; alioquin de doctrina etiam Christi, qui ipsa veritas est, olim & etiamnum est notum contradici ubique: quid ei per hoc decedit?

8. *Ni-*

8. *Nimirum nobis arrogamus*, dum pro ingenti audaciâ errores definimus ? quasi verò non ante nos homines vixissent, qui, si errores fuissent, etiam ipsi vidissent. Hoc præclaro philosophandi præsidio poteris demonstrare, nequaquam verum esse, quod Vesputius Columbus & Americus terras novas repererint : Nempe ante istos quoque vixerunt homines, marium & rei nauticæ periti, qui etiam ipsi retexissent, si quæ terræ ignotæ fuissent. Ergo discessionem deviationemque à vero errorem appello, vocabulo minimè novo, quod si tibi non placet, licebit per me alijs nominibus uti.

9. Non oportet *transgredi terminos Patrum nostrorum*, idem *dicamus & sentiamus*, bonum & jucundum est, *convenire fratres in unum*. Respondeo, primum horum prohibes Israëlitis, ne pomœria sua extra terram eis divinitus concessam producerent, hîc nihil ad rem est. Alterum est de doctrina fidei, in qua omnibus orthodoxis idem sentiendum est, cum omnibus idem revelatum sit. In cæteris omnes convenire in bono rectè optari debet, sed non suadetur, ut conveniant in malo, qualis est error. Ut ergo in bono conveniamus, errorem eliminare necesse est; qui proinde si interdum privatis in congressibus dissimulandus est, at in publicis functionibus, quas serias & reipublicæ proficuas esse decet, omnibus modis est propulsandus. Sed sumamus particulares quosdam errores, cujusmodi aliquos

aliquos notavi in ſoliloquio, diſpiciamusque, ſitne conſultum an ſecus, eoſdem de ſcholis expellere.

Error I.

10. *Omnis diſtinctio, quæ occurrit in rebus, vel eſt realis, h. e. ante opus mentis, vel rationis, h. e. per opus mentis.*

HUnc eſſe errorem meritò ſic appellandum, ſufficienter, etſi breviter, oſtendi *num.* 96. 97. 98. *Soliloquij*, & alijs locis: hic illud potiſſimùm diſputamus, an expediat hanc phraſin erroneam in philoſophia relinquere? reſpondeo, minimè expedire. Nam cum diſtinctio adhibeatur ad rem clariùs exponendam, juxta illud, *qui benè diſtinguit, benè docet*, quid quæſo obſcurius uſquam eſt iſtâ diſtinctione per intellectum? Quid ſignificat particula *Per*? cur nemo eam explicat, cum tot clamoribus diu noctuque urgeant diſtinctionem *per intellectum*? Profectò particula *Per* aliquid ad rem facit, cum per intellectum fabricetur diſtinctio; ſignificátque qualemcunque cauſam & ſpeciem principiandi; quæ eſt illa?

11. Non enim eſt cauſa efficiens, quia hæc non cauſat niſi per actionem: nec actio eſt ſine paſſione & termino: quid igitur, & qua actione

ne efficit actus mentis, dum per eum fit distinctio ? Non facit *Petrum*, nec *animal*, nec *rationale*, distinguit tamen Petrum in *animal rationale* : si cognitio effectivè causat distinctionem, ostende, quid efficiatur in Petro, quod priùs non erat. Si nihil efficitur, nihil est etiam quod efficit vel efficientiam exercet. Videsne, quomodocunque causam efficientem definias, actum intellectûs, causam distinctionis effectivam esse non posse. Neque dices, actum intellectûs principiare distinctionem, per modum causæ *materialis*, aut *finalis*, quis adeo sit amens, ut istud dicat ? Neque erit *causa formalis* ejusdem distinctionis. Nimirum forma ut causet, debet esse in subjecto : actus autem intellectûs, per quem distinctio fit in Petro, nequaquam est in Petro, sed tantùm circa Petrum, de Petro, ad Petrum, subjectivè verò solùm est in intellectu vel intelligente ; adeoq; solum intelligentem, non Petrum informat. Dicis informare extrinsecè, quatenus diversimodè exprimit Petrum.

12. Sed hæ sunt phrases, quibus tua in via nihil explicas. Si te amas, interroga nos, & dicemus tibi, *cognitionem* esse *terminum relationis*, & ideo à te debere dici vel conditionem, ad quam relatio, qualis est *relatio cogniti*, consurgat, aut certè esse relationis partem. Neque enim aliud prorsus adferre potes, quod si tua distinctio per intellectum, nisi dicas esse relationem objecti ad actum mentis : sicut enim esse

visum,

visum, *auditum*, *gustatum*, quid est aliud, quàm relatio talis objecti ad talem sensationem, ita quid esse cognitum, præcisum, &c. quid aliud esse potest, quàm relatio Petri ad talem intellectûs cognitionem? si ita dicas, saltem intelligi potes: attamen ista distinctio, quam admittimus loco citato, sic fieri, non est illa, quæ præter realem tibi necessaria est.

13. Quid enim quæso te asseris, verène fit distinctio aliqua per actum mentis, sive id, quod dicis fieri per actum mentis, potestne ad aliquod prædicamentum entis, & qualecunque genus essendi referri, an ad nullum? si posterius: nihil potes ostendere, quod significat tua phrasis, & non est verum, quod aliquid fiat. Si referri ad aliquod potest, illud erit relatio, sicut esse visum, auditum &c. est aliquid novi, sed nihil nisi relatio. Ergo illa relatio non est prorsus nihilum, sed aliquid sanè: relatio porrò illa τὸ *esse cognitum*, non fit per alium actum intellectûs, ne procedatur in infinitum: cum igitur eadem relatio sit novum, quod priùs non erat, & tamen non sit ipse Petrus, qui erat; necessariò sequitur, relationem esse aliquid distinctum ac diversum à Petro, quod tamen non sit merè per intellectum: ergo dabitur distinctio quædam non realis, quæ non habetur per intellectum. Quod autem per cognitionem nulla resultet alia distinctio, quàm relatio cogniti, quæ antè non erat, patet in ijs, quæ realiter differunt: ex eo enim quod cognoscatur Petrus, & non Paulus, nulla

alia

alia relatio ſive diſtinctio reſultat, quam quod unus ſit cognitus, alter non ſit; alia verò diſtinctio omnis jam erat prius.

14. Sunt igitur per omnes philoſophiæ theologíæque partes, ſine numero relationes, qua accidentales, qua eſſentiales, quæ & diſtinctæ ſunt à ſubjectis ac terminis, & realiter diſtinctæ non ſunt, & tamen aliter diſtinctæ ſunt, quàm illa diſtinctio eſt, quam ſignificat terminus *eſſe cognitum* vel *non cognitum*. In divinis Pater communicat filio naturam, non paternitatem; diſtinctã igitur à natura: nonne eatenus tantùm, quatenus à nobis cognita, aut non cognita, aut aliter cognita eſt? Generat intelligendo, non volendo; alio igitur fœcunditatis modo: hic modus nonne eſt certa tantùm tua cognitio? ſpirat filius cum Patre, ut unus cum eo ſpirator, eâdem individuâ voluntate, non generat cum eodem, etſi intellectu cum illo ſimiliter eodem polleat: diverſitas ergo eſt in voluntate & intellectu: nonne ſolùm ex cognitione humana?

15. Gratia eadem poteſt eſſe efficax & ineffícax: Idem actus vitalis ut eſt ab homine; non vitalis, ut eſt à Deo; ſupernaturalis à Deo, non ſupernaturalis ab homine: ſuntne hæc ita ſolummodò per conceptum? peccatum idem eſt actuale, & habituale, originale nobis, perſonale Adamo: ſuntne hæc ita ſolummodò pendentia à conceptu? Humanitas in Chriſto unita verbo non ſubſiſtit, diſunita ſubſiſteret: diſcrimen

crimen ſubſiſtentiæ & naturæ eſtne aliud nihil, quàm eſſe cognitum? Quæſo te, an non vides, quàm malè tua cohæreant, in quo Concilio Eccleſiaſtico hujuſmodi tua pronunciata toleratum iri exiſtimas?

16. Quomodo non in riſum & cachinnos abirent articuli fidei? Sacramentum Euchariſticum idem eſt & ſacrificium; differunt attamen, nam communicans Sacramentum accipit, non ſacrificat: quomodo differunt? an per conceptum tantummodo? enim verò hoc ipſum concedit & aſſerit Calviniſta, diſtinctionem iſtam nusquam eſſe, niſi in intellectu ſed erroneo Papiſtarum. Concedent facilè Sabelliani diſtinctionem inter naturam divinam & perſonalitates, non eſſe aliam, quàm ſecundùm conceptus hominum, & ideo re ipſa nullam, atque ex eo ſicut eſt una ſolummodo deitas, ita eſſe unam perſonam. Concedet Neſtorius in Chriſto duas eſſe naturas, à quibus perſonalitates differant ſolùm per catholicorum conceptum, divinam à natura divina, humanam à natura humana; revera autem nihil ibi diſcrepantiæ eſſe, adeoque duas eſſe perſonalitates; ſicut duæ naturæ ſunt. An non intelligis, quibus ludibrijs divina dogmata exponas?

17. Ex eadem diſtinctionum neſcientia ſequitur *modorum* nulla revera peritia: quæ tamen eſt res prorſus univerſalis nullibi non occurrens, cum ubique ſit *modus in rebus*. Unde quidam negant omnes omnino modos, quia deberent eos di-

distinguere à suis subjectis, vel merè cogitatè, quod non audent asserere; vel realiter, quod similiter putant non esse dicendum: cum ergo aliam distinctionem non agnoscant, modos omnes prorsus eliminant. Qui tamen lepidissimi sunt, dum exercitè manifestè docent, quod reflexè negant: uti dum rogati quid sit rei situs, duratio, præsentia, respondent, nihil esse, nisi rem sic se habentem: quasi verò *sic habentia* illa non sit ipsissimus rei modus. Alij cum cogantur agnoscere, esse modos in rebus, qui & profectò in ipsis subjectis existunt, non merè concipiantur ab intellectu, concedunt modos, sed realiter distinctos à subjectis: cum & distinctos videant, & nesciant distinctionem aliam, quàm realem & cognitionis. Imò ulteriùs compulsi, fingunt etiam modos, qui sint entia absoluta, h. e. qui per miraculum possint absque subjecto & creativè existere: quod ipsissimus est caseus ligneus & hircocervus. Quin etiam modos comminiscuntur, qui sint substantiæ, uti unionem hypostaticam, & physicam inter materiam & formam. Quis non videt, quanta sit virorum istorum calamitas, in qua jactantur, ex distinctionum mala notitia, quam discere possunt ex sect. 1. Soliloquij nostri.

18. Præterea quoties adhiberi solet ac debet terminus *formaliter*, *in sensu formali?* & tamen vulgares nullam possunt ostendere formam, in qua ea distinctio funditur. Hinc

etiam, quia non ſciunt diſtinctionem, niſi realem & cogitatam, omnes formas accidentales ponunt reales & abſolutas: ſic ut accidentia putent poſſe, per miraculum, per ſe ſubſiſtere extra ſubjectum. Quod ſi verum eſt, poterit & ſubſtantia inhærere; quæ omnia tam inconcinnè dicuntur, quàm ſi dicerem, per miraculum poſſe hominem hinnire, & equum intelligere; nihilque eſt aliud, quàm totam philoſophiam ſusque deque pervertere. Dices in Euchariſtia hoc evinci: Noli hoc tibi perſuadere. Nam ita clarè exponimus nos myſterium, per accidentia modalia (qualia etiam ſola Ariſtoteles agnovit, teſte Cornæo in metaph.) ut clariùs quidpiam & evidentius nihil videatur eſſe poſſe.

19. Accedit, quod non ſolùm Philoſophia, ſed etiam doctrina revelata torquetur. Sic enim revera Chriſtus in Euchariſtia propriè & immediatè non videtur, ſed colores; non tangitur ipſe & manducatur, vel guſtatur, ſed quantitas, &c. cum Scriptura & Patres doceant, Chriſtum videri, tangi, mandi: quod quomodo verum ſit, nos docemus. Deinde quàm alienum ab intellectu eſt, quantitatem, ſive molem ac magnitudinem corporis, poſſe ſeparari à corpore? quis credat, tale corpus tunc non fore adhuc magnum vel extenſum, in longum, latum ac profundum? Hæc & ſimilia faciunt myſte-

mysterium hæreticis incredibile & irridendum: consultius est proinde nostram doctrinam accipere.

20. Demum quia nihil rectè distinguunt in rebus, ideò non discernunt, quid in eisdem rebus quam ad scientiam spectet. Hinc omnia confundunt, miscent, turbant, sine filo, sine ordine, sine luce; jam quæ metaphysica sunt in logicam, jam quæ logica, in metaphysicam inculcantes: in logica nihil minùs quàm logicalia, sed mera metaphysica tractant: in physica similiter ab omni eo declinant, quod ad physicam pertinet, & metaphysica disputant; ubique metaphysicas quæstiones, ipsam metaphysicam ordine, clarè, distinctè, nullibi tradunt. Ridiculum & absurdum est dictu, verissimum tamen; quod in fine logicæ adhuc nesciunt objectum logicæ, sed in thesibus disputandum exponunt. Docuerunt anno toto, neque tamen adhuc sciunt, quid docuerint. Quis mechanicus opifex nescit materiam, & objectum artis suæ? Nostri tamen philosophi nesciunt, quid propriè metaphysica, quid physica, quid logica spectet? Nihil enim apud illos distinguitur, nisi realiter, & cogitatione: res sic distinctas pro istis scientiis non inveniunt, unde conceptibus tantùm referunt quidvis, quocunque volunt, inde confusio, inscitia, tenebræ.

21. Turpe quidem est dictu, sed turpius factu: possum hac methodo præclarè docere musicam, etsi nec tantillùm ejus intelligam, quod valeat algam. Dictabo definitiones musicæ varias; inter quas disceptabo, quæ potior sit. Inquiram, quotuplex sit musica; sitne practica an speculativa: num sit habitus, an alia qualitas: enumerabo qualitatum species, ut dispiciam, quò ea referenda sit. Quæram an possit esse habitus infusus, quomodo defacto sit acquisitus. An sit necessaria musica, an præcepti, vel consilij. Quodnam ejus objectum: an voces vel soni univocè conveniant in ratione objecti musici: quid sint propriè voces & soni secundùm quatuor causarum genera: An musica sit in angelis; an musica angelica sit spiritualis: an etiam aliqua angelica sit instrumentalis: ad quod prædicamentum quævis harum rerum pertineat, &c. Quid doctius erit hac meâ musicâ? Nemo tamen discipulorum à me quidpiam didicit, quod musicam sapiat; neque quisquam, si mea dicta legat, dicere poterit, quam facultatem vel scientiam docuerim, logicam? metaphysicam? physicam? quia ex omnibus admiscui, nihil ordine explicui. Videlicet ubi nihil distinguitur, manent confusa mundi & turbida. Atque hactenus abunde me arbitror ostendisse, quanti intersit, errorem de distinctionibus corrigere, cum tam multiplicem miseriam pariat.

Error

Error II.

22. *Qualitas est accidens absolutum num.* 100. *& seqq.*

NOn uno modo erroneum est hoc effatum. Imprimis enim supponit qualitatem & accidens esse terminos convertibiles; quod verum esse ipsimet vulgares negare coguntur: nam quantitas eis similiter est accidens, & quidem pariter absolutum; constituit tamen aliud prædicamentum, quàm qualitas. Deinde definitionem qualitatis, datam ab Aristotele, & agnitam ab omnibus etiam ab ipsismet in tabula prædicabilium Porphyriana, immeritò respuunt; cum meliorem cudere frustra conantur. Est enim qualitas, *quod prædicatur qualiter, aliqualiter, in quale:* vel quo respondetur aptè ad quæsitum *Quale*. Hinc alius se error patefacit, quo supponunt, qualitatem semper esse accidens, cum tamen aliquod prædicabile sit in *quale essentiale*, & aliquod in *quale necessarium*; & ideo aliqua qualitas substantialis subjecto: ut vis naturalis, uti potentia intelligendi, cujusmodi Aristoteles & D. Thomas qualitates appellant, minimè accidant. Quod autem sint accidentia absoluta, pariter & manifestè erroneum est. Nonne enim imbecillitas

litas ac defectus potentiæ, figura quoque & habitus, ſunt qualitates, quæ tamen abſque ſubjecto exiſtere repugnat?

23. Quàm ſit nocivus hic error, patet ex eo primùm, quod doctrinam prædicabilium, adeò ubique admiſſam, & lumine naturali ab omnibus cognitam ut ipſimet agnoſcant, & eam adhibeant. & tamen per hunc ſuum errorem expreſſè repudient atque evertant; quæ cœcitas non decet Philoſophum. Deinde in omnes facultates atque ſcientias amentias infert. Dum enim quæritur, qualis ſit Deus in perfectionibus ſuis: qualis mundus, an ſpiritualis, an corporeus: qualis equus, ut ab homine differt; qualis homo ſecundùm bona fortunæ & famæ: qualis arbor ſecundùm aptitudinem ad ædificia: qualis gratia ſecundùm effectum: quale peccatum ſecundùm permanentiam: qualis ætas diverſa hominum: quale corpus ſecundùm ſanabilitatem: qualis linea ſecundùm rectitudinem aut curvitatem. Quæ omnia ſignificant hujusmodi ſubjectorum qualitates; cum ad aliud genus eſſendi referrì non poſſint.

24. Jam verò quàm ineptè quæſo & ridiculè dicetur, perfectiones Dei eſſe accidentia abſoluta: materialitatem mundi & elementorum eſſe accidens abſolutum: hinnibilitatem in equo eſſe accidens abſolutum: opes, bonam famam, gloriam, nobilitatem, ſervitutem, eſſe accidentia abſoluta: arboris nodo-

ſita-

ſitatem, ramoſitatem, proceritatem eſſe accidentia abſoluta: efficaciam vel ſufficientiam gratiæ eſſe accidentia abſoluta: peccati habitualitatem, vel actualitatem eſſe accidens abſolutum: petulantiam juvenum, & maturitatem ſenum, eſſe accidentia abſoluta: immedicabilitatem corporis alicujus eſſe accidens abſolutum: rectitudinem lineæ vel curvitatem eſſe accidentia abſoluta? Aperi quæſo oculos, & vide, quò amentiæ tua philoſophia te ducat: quaſi verò iſta & talia ſine ſubjecto & creativè exiſtere ulla ratione poſſint.

Error III.

25. *Quod constituit substantiam, debet esse substantia. Soliloq. num.* 104.

NAtura erroris est solum non esse, sed alios secum in consortium errores trahere: Ideo enim, inquiunt, forma physica est substantia, quia constituit substantiam, h. e. corpus: item unio physica, corpus ex materia formaque jungens, est substantia, cum constituat substantiam, saltem *ut quo*. Videamus quid significet hic terminus *constituere*. Quid autem aliud indicat, quàm esse partem alicujus totius? Nam quid est constituere quidpiã, nisi facere aliquid cum altero, se cõunicando, conjungendo, consociando? Quomodo dabis mihi totum, quod non constitutum sit ex partibus, aut partem, quæ non constituat totum? Ut ridiculum sit laborare aliquos ingenti contentione, ut reperiant essentiam partis; pro quo *regulas partium* consarcinant, novâ appellatione *regulas* nominando, quod alij *definitiones* vocant: quasi mirum in ea re lateat mysterium. Quare non etiam dicunt regulam hominis, regulam equi, regulam angeli, regulam Dei &c. pro eo, quod dicunt, definitionem hominis, definitionem equi, definitionem angeli, &c. Arcanum necesse est aliquod in essentia partis absconditum esse.

26. Sed

26. Sed equidem non agnoſco in hoc quidquam myſterij. Pars mihi eſt, *quidquid conſtituit totum* ; totum *quod conſtituitur ex partibus* : Nec iſta correlativa aliter, quàm correlatè definienda ſunt. Quis me corrigat, ſi dicam, Pater eſt, qui genuit hominem ; filius, qui genitus eſt ab homine : vel diſtinctiùs, *Pater eſt, qui filium habet, filius qui patrem habet.* Quis me non intelligit, ſi ita loquar? Quocirca propoſitio illa æquipollet huic : *pars debet eſſe illud ipſum, quod conſtituit*, in ſpecie ſaltem, quod conſidera quæſo, quàm ab omni veritate remotum ſit. Sic evidentiſſimâ ſequelâ corpus humanum eſt homo, cum hominem conſtituat : ſemilibra carnis eſt libra, quia conſtituit libram : unitas conſtituit infinitas ſpecies numerorum, binarium, ternarium, quaternarium, quinarium &c. ergo unitas erit binarius, ternarius, quaternarius, & ſic in infinitum : ligna & lapides ſunt domus, quia conſtituunt domum : Materia prima erit elementum, mixtum, ferrum, lapis, planta, animal, quia conſtituit omnia hæc. Denique in artefactis, in naturalibus, in moralibus, ubi ubi partem videbis, illa erit ſuum totum, quod conſtituit. Non eſſet mirum, ſi riſu corrueres, ſicut ille, dum videret aſinum urticas mandere : ſi ipsâ miſeriâ miſeriorem iſtorum philoſophiam conſideres.

27. Quamnam igitur ob causam ad hujusmodi delirium asserendum inducti sunt: nam absque apparentia argumenti non factum est. Nimirum legerunt, formam physicam, quæ constituitur substantia corporis physici, esse substantialem, & debere esse talem; nam per formas accidentales non constitui substantias; idem esse de unione: exinde concluserunt, unionem & formas, cum sint substantiales, esse substantias. Et verus quidem est discursus circa antecedens: substantiale enim quidpiam eo ipso est, quod per ipsum corpus physicum, quæ substantia est, ut talis constituatur & fiat: sed consequentia cassa nuce est vanior. Etenim propositio illa, *Quod est substantiale est substantia*, continetur in hac universaliore, *Quod prædicatur in quale, prædicatur etiam in quid*; qui est error priore non levior, nisi fortè sit stultior; cum in omni materia scientiæ, monstrosos partus confertim edat.

28. Nam si ita est, Gratia, quia divina est, erit DEUS: error & peccatum erunt homines, quia humana sunt: Intellectio, quia spiritualis est, erit Spiritus: sanitas & morbus erunt corpora, quia corporea sunt: Nasus aliquis erit aquila, quia aquilinus: pellis ursina erit ursus, & os elephantinum elephas: Innocentia angelica erit angelus, mendacium diabolicum erit diabolus: atque ita per omnia gradiendo magis magisque explodendum proponam errorem illum tuum, *Quod est substantiale, est substantia;*

tia; &, *quod constituit substantiam, debet esse substantia.* Quorum proinde utrumque negat Aristoteles cum D. Thoma: negant inquam formam esse substantiam, etiamsi substantialem appellent, quod per eam existat substantia. & meritò, quia forma per se non potest subsistere, etsi per eam corpus subsistat.

Error IV.

29. *Ens per se existens significat idem, quod ens propter se intentum â natura:* vel, *quod non intenditur propter aliud, à quo sit adæquatè distinctum. Notatur in Soliloq. n.* 144.

ERrorem rectè appello; tum quia conatus explicandi in errore fundatur; tum quia explicativum explicando multò obscurius est; tum quia illud ipsum, si penitiùs inspiciatur, non unum errorem involvit. Quam ob rem hæc explicatio introducta est? Ideò inquiunt, quia alioquin anima equi, & quævis alia forma substantialis, non esset substantia, si definitio illa Aristotelica, ut verba sonant, accipienda foret: etenim constat, quod forma substantialis per se non potest existere, sed naturaliter saltem indiget subjecto, cui inexistat: debet autem esse substantia, quia substantialis est, & constituit substantiam. Sed jam ostendi, erroneum prorsus

ſus eſſe, quod forma ſubſtantialis ſit ſubſtantia, & quod talem non poſſet conſtituere, ſi ipſa non eſſet ſubſtantia: nulla ergo prorſus eſt ratio hujus conatûs, & eſt labor otiosè prorſus inſipienterque & in vanum aſſumptus.

30. Limpidiſſima fluebat aqua, Ariſtotele deducente ac docente, quod ens ſit, *quod habet aptitudinem exiſtendi:* quod per ſe eam habeat, eſſe ſubſtantiam, quod non per ſe, eſſe accidens, & accidere enti, tu magno cum diſcentium nocumento, eam turbidam effeciſti. Difficile non eſt intelligere, quid ſit *per ſe exiſtere*, ſi reflectatur animus ad cogitandum, quid ſit *exiſtere non per ſe*, ſed per aliud, & *in alio.* Exemplorum verò innumera multitudo ubique eſt obvia. Nam cujusvis entis duratio, ſitus, præſentia, ſimilitudo, motus, quies, hominis potentia, honor, deſpectio, auctoritas, jurisdictio, reatus, ſervitus, abſolutio, vita, mors, &c. talia ſunt, quæ neceſſariò inexiſtunt alicui enti, & ſine ſubjecto nequeunt vel exiſtere, vel etiam fingi: hæc ergo ſatis clarè non *per ſe* exiſtunt, ſed ſolùm *inexiſtunt*, inhærent, inſunt alteri: per ſe autem exiſtunt, & actionem ſui effectivam terminant, quæ non neceſſariò inſunt alteri, ut homo, lapis, equus; unde iſta ſubſtantiæ ſunt, & per ſe exiſtere apta ſunt, non illa. Vellesne aliquid clarius? Pruriebat

ali-

aliquando quibûsdam animus ad ſcribendum, qui ſi priùs benè diſcipuli, quàm magiſtri fuiſſent, ſaltem ſtudia veritatis, cum æquali & aliorum detrimento, & ſuo dedecore non deturpaſſent.

31. Quid verò illa ſibi volunt, *Quod intenditur propter ſe à natura*, ſive *non propter aliud, à quo ſit adæquatè diſtinctum.* Hæc adæquata diſtinctio rurſum ponitur propter errorem, quo ſupponitur, formam Subſtantialem debere eſſe ſubſtantiam. Nimirum anima equi dicunt, intenditur quidem propter equum, à quo tamen equo quia ipſa non adæquatè, ſed ſolùm inadæquatè diſtinguitur, hoc ei non officit, quo minùs ſubſtantia ſit. Quid hîc audio? habeturne ergo diſtinctio major, quàm ſit ſolius cogitationis, & minor, quàm ſimpliciter realis, adeoque media? Etenim anima equi non eſt ſimpliciter alia res, quàm equus, neque tamen etiam eſt ſimpliciter eadem res: ſed ſolùm inadæquatè: diſtinguitur ergo ab equo, non realiter adæquatè & ſimpliciter, alioquin non eſſet ſubſtantia; ſed inadæquatè & ſecundùm quid: ergo habemus diſtinctionem realem quidem, ſed non realem ſimpliciter & adæquatam, quæ tamen non ſit rationis ſolummodò, adeoque media: quid ergo toties ingeminas, omnem diſtinctionem vel

vel esse realem, vel rationis, nullam omninò mediam? Nondumne capis, quàm tua dogmata scopæ sint dissolutæ?

32. Quid nunc illa significant, *Intenditur à natura?* Intendere est finem quærere: quisnam est ille finis, quem quærit natura, dum substantiam intendit, estne ultimus naturæ finis, an non ultimus? mediatus, an immediatus? Qua in re quærit eum? utique in eo producendo, vel causando, & dum eum vult existere, vult existere eum propter ipsummet. Quid intelligitur per *naturam?* An *principium motus aut quietis ejus, in quo est?* Ecce hæc & similia omnia clarè sunt exponenda, si explicationem cogites facere definitionem substantiæ, quam nobis exhibeant illa verba, *Ens per se existens*; tu omnia in tenebris, & in obscuritate relinquis.

33. Non potest intelligi *finis ultimus* & mediatus: quia sic solus DEUS esset substantia, qui solus à se, & à natura tanquam ultimus intenditur; nisi fortè cum Manichæis dicere velles, naturam DEI per omnes substantias esse distributam, cum omnes & singulæ sint quædam particulæ DEI. Neque potest intelligi finis immediatus & non ultimus. Sic enim natura intendit immediatè

diatè & proximè accidentia, & qualitates alterativas in ſubjectis, & ſubſtantiis, quas alterare priùs debet, quàm ſubſtantialiter convertere poſſit: & ideò hujusmodi qualitates accidentales eſſent ſubſtantiæ. In hominibus & angelis quærit DEUS ſanctificationem, gratiam, actus ſanctos, participationem ſui & viſionem glorioſam; quæ omnia erunt ſubſtantiæ.

34. Per *naturam* porrò quid intelligitur? Utique cauſa, quâ exiſtit ſubſtantia: & quia dicitur ſubſtantia intendi vel cauſari *à natura*, patet intelligi cauſam efficientem; quia cauſam finalem non dicet quisquam poſſe naturam dici; cauſa verò materialis eſt principium *ex quo*, formalis autem *per quam*. Et quidem nec cauſa efficiens dici poteſt natura ejus, quod ipſa cauſat, quia non eſt principium & cauſa motûs *ejus, in quo eſt*, æquè ac finalis: quamvis verum ſit, eam eſſe naturalem, & habentem in ſe naturas cauſandi. Igitur hoc tantùm videtur poſſe intelligi per illa verba, *intendi à natura*, quod ſcil. ſubſtantia intendatur & cauſetur à cauſâ efficiente naturali. Attamen nec hic ſenſus ſubſiſtit: quia cum nulla cauſa intendat vel cauſet DEUM, DEUS non eſſet ſubſtantia.

35. Præ-

35. Præterea nulla causa intendit vel agit propter finem, præter DEUM & creaturas rationales, reliquæ autem causæ materiales intenduntur potiùs à DEO, ipsæ nihil intendunt. DEUS autem ultimatò quidem & mediatè intendit, in omnibus, se ipsum, & omnes ergo causæ materialis mundi intendunt ordinante DEO, non nisi solum DEUM: solus ergo DEUS esset substantia, & mentes, ut summum, creatæ. Si verò intelligi vis de Intendentia immediata, jam diximus omnes qualitates fore substantias. Deinde semina viventium, putà ovum, sunt substantiæ, non tamen intenduntur propter se, nec immediatè quidem, cum propter ipsum non quærat illud natura; sicut ex eodem semine nascuntur animalcula & vermiculi embryonici, quos causa propter ipsosmet non intendit, sed tantùm propter animal talis speciei, gallinæ, avis, quadrupedis, hominis, æquè ac qualitates intendit propter substantiam postea secuturam: Non ergo isti vermiculi essent substantiæ, sicut nec sunt qualitates alterativæ. Quid igitur videtur tibi mi Lector, retinendane est aqua tam luteâ de cisternâ, cum habeas fontanam, limpidam, & præ omni hujusmodi explicatione, juxta ipsos terminos, intelligere possis substantiam esse *ens per se existens?*

Er-

Error V.

36. *Anima humana constituit corpus humanum in esse talis & in esse substantiæ corporeæ. Legitur in Soliloquio Num. 182.*

ERror hic ex eo profluxit, quod quidam nolint admittere plures formas substantiales in eodem subjecto, nec partiales quidem: unde coguntur consequenter asserere, in homine nihil reperiri aliud formæ, quàm animam rationalem; apparatum reliquum esse tantùm formas accidentales, sive hominem nihil aliud esse, quàm materiam accidentibus affectam, & animâ rationali informatam: organa autem inter se non substantialiter sed solùm accidentaliter differre, cum non sint aliud, quàm materia cum alii & aliis accidentibus: Unde eadem organa secundùm se non sunt substantiæ, nec substantia, nec corpus; sed fiunt substantia, & corpus humanum, per animam humanam. Sic illi.

37. Sed profectò lumen naturæ dictat, causam formalem causare per se ipsam, secundum id, quod est, non secundum ali-

quid, quod faciat; communicando se ipsam subjecto, & uniendo se ei, non autem agendo: ut proinde per eam resultet totum ejusdem denominationis, cujus est ipsa; per calorem fit calidum, per frigus frigidum, per musicam musicum. Similiter ergo per formas organicas substantiales partiales & subordinatas, materia, jam ante creationem animæ, est corpus humanum totale, ex partialibus coalescens; sive est substantia corporea, per formas corporeas; quo facto determinatur creator ad animam infundendam, per quam resultat & fit totum humanum, sive homo: nequaquam autem fit substantia & corpus; cum jam priùs fuerit ibi substantia corporea, & corpus: alioquin certè deberet fieri substantia spiritualis, & spiritus.

38. Etenim si pet animam spiritualem potest constitui corpus, vel substantia corporea, cur non per animam equi potest fieri asinus? minus certè differunt equus & asinus, quàm spiritus & corpus. Quare per peccatum non potest homo fieri sanctus? quare per sanctitatem non potest fieri improbus? & innumera talia. Si quæras, quare ergo apud nos, per animam corpori sociatam, homo non fiat spiritus? Respondeo, quia homo, independenter ab anima, jam est

est corpus, non autem est possibile, ut idem sit corpus & spiritus: unde fit homo, quod est complexum ex corpore organico, & anima rationali. Deinde anima non est forma materiæ physicæ, sed forma hominis; ideo nec inhæsivè unitur, uti reliquæ formæ materiales: quid mirum, si non confert corpori illa prædicata, quorum ipsum est incapax, putà ut fiat spiritus, intelligens, liberè volens, &c.

39. Præterea si absque anima, quod remanet, non est corpus, & substantia, sed tantùm materia accidentibus affecta, non sepelimus corpus humanum, nec corpus Christi fuit positum in sepulcro, unctum, vestitum, &c. quæ non sustinet evangelium & fides.

DICIS esse corpus hominis, sed cadavericum; animæ enim successisse formam cadavericam, quæ sit substantialis, & substantia. Verum quomodo hoc figmentum subsistere potest? Fingitur enim merè & solùm ex eo, quod formas organicales nolint videri substantiales, ne plures substantiales formas debeant admittere in eodem subjecto: quod tamen etsi de totalibus verum est, de partialibus tamen & subordinatis absurdum minimè: quin & ex hoc ipso potiùs concludendum erat, formas organicales esse substantiales, cum per eas, animâ recedente, manet corpus humanum,

& ſubſtantia corporea, ſed animâ privatum, quod ſolum eſt cadaver.

40. Per animam rationalem, juxta te, materia accidentata fit non ſolùm ſubſtantia & corpus, ſed etiam ſubſtantia corporea, & corpus humanum: ergo ſimiliter per formam cadavericam debet fieri non ſolùm corpus & ſubſtantia, ſed etiam corpus humanum, & ſubſtantia humana: ergo forma cadaverica & anima rationalis habent eundem effectum formalem; ergo erit utraque una eademque forma; ſicut una eademque forma eſſet calor & frigus, ſi utraque faceret æquè calidum, vel æquè frigidum: erunt ergo & duæ ſimul & una. Ulteriùs cadaver eſſet verus homo, quia eſſet verè ſubſtantia humana. Præterea juxta aliam ipſorum hypotheſin, *quod conſtituit ſubſtantiam, debet eſſe ſubſtantia*: ergo quod conſtituit ſubſtantiam humanam, debet eſſe ſubſtantia humana; ergo & forma cadaverica eſt ſubſtantia humana. Item ſubſtantia humana eſt vivens, ſentiens, vegetans; ideoque quod conſtituit ſubſtantiam humanam, conſtituit vivens, vegetans, ſentiens: ergo ſi verum eſt, *quod conſtituit ſubſtantiam, debet eſſe ſubſtantia*, cum forma cadaverica conſtituat ſubſtantiam humanam, erit ipſa vivens, vegetans, ſentiens. Quamvis idem de anima dici poſſit, eam, quia conſtituit corpus humanum, debere eſſe corpus humanum.

num. Creſceret hic abſurditatum linea ferè in infinitum.

41. Illa forma cadaverica non *intenditur à natura*, & à nulla cauſa efficiente cauſatur; cum tota natura horreat mortem, & DEUS ipſe ſæpiſſimè proteſtetur, ſe nolle mortem, ſed vitam. Undenam ergo illa forma procedit, & qua causâ agente? Cauſa prima, inquiunt, ſupplet defectum cauſæ ſecundæ: Eſto ſic, ſiqua cauſa ſecunda unquam fuit, quæ caſu aliquo deficit: ſed nunquam in mundo fuit aliqua cauſa efficiens formæ cadavericæ. Deinde ad exigentiam naturæ fieret illud ſupplementum; cum tamen nulla natura exigat illam formam. Denique in reſurrectione Chriſti, & univerſali omnium hominum anaſtaſi, quo deveniunt illæ ſubſtantiæ cadavericæ? Verbum divinum nihil aſſumpſit, quod dimittat, cum ergo ſemel aſſumpſerit cum materia formam cadavericam, neceſſe eſt, ut eam retineat. Ad extremum illa forma, cum ſit ſubſtantia, poterit per ſe ſubſiſtere ſeorſim, ſaltem miraculosè: hæc autem non erit niſi phantaſma merâ oſſaturâ conſtans, quale pueris ad terriculamentum objicimus, quis ferat à philoſophis ſeriò adſtrui?

Error VI.

42. *Non implicat formas materiales existere extra subjectum; non possunt enim dari duo contradictoria, in tali existentia: ergo possunt divinitus ita seorsim existere.* Item, *nihil negandum est omnipotentiæ* DEI, *nisi quod manifestam implicantiam involvit.*

HUnc errorem propterea commemoro, quia à multis, ex uno certo auctore, plurimis in materiis, cum magna confidentia adhibetur, quasi esset firmissimum argumentum, cum sit mera illusio, petitio principij, & circulus vitiosus. Quæritur enim, an forma physica, per miraculum, possit existere absque subjecto, sive an sit ens absolutum: æquipollent enim hæc, *Ens potens absque subjecto existere*, & *ens absolutum*; sicut æquipollent hæc, *Ens non potens etiam miraculosè existere extra subjectum*, & *ens modale*, relativum, respectivum. Nam hæc est definitio modi sive entis modalis ac respectivi, nominalis utique, quæ negari à nemine debet, cum sit tantùm explicatio termini; quod sit quidpiam essentialiter inhærens subjecto: sicut

contra

contra definitio entis absoluti est, cui non repugnat creativè existere, sive quod potest saltem miraculosè existere absque subjecto.

43. Sunt igitur inquam termini hi æquipollentes & convertibiles, *Ens vel entitas modalis, respectiva, relativa, modus, modalitas; cui repugnat existere extra subjectum, quod extra subjectum chymæra est, quod DEUS non potest facere extra subjectum, quod DEUS non potest creativè efficere, &c.* Similiter æquipollent & convertuntur isti, *Ens absolutrm, ens cui non repugnat creativè & extra subjectum existere, quod DEUS potest ponere extra omne subjectum, quod non essentialiter inhæret subjecto, quod non involvit contradictionem, si ponatur extra subjectum.* Quare qui unum horum terminorum affirmat, aut negat, affirmat aut negat omnes æquipollentes. Quare si dubitetur & quæratur, an forma physica miraculosè possit extra subjectum existere, non possum illud affirmare quod possit, & dare rationem, quia non sequitur contradictio ex eo, quod poneretur: Nam hoc ipsum est, quod quæritur, an sequatur contradictio, sive an sit ens modale, &c. Sicut si quæritur, an Petrus sit mortuus, non debes affirmare ex eo argumento, quia corpus ejus est cadaver, vel animâ destitutum; quia hoc ipsum quæritur. Vides illusionem & circulum?

44. Est etiam adhuc alia ibi deceptio, quod dicatur non esse *evidentem* contradictionem; sive non posse assignari contradictionem; *da mihi duo contradictoria, &c.* Igitur inferunt, forma potest esse extra subjectum. Sed nulla est consequentia, cum simul optimè possint stare, contradictionem esse, & eam à me nesciri, vel dari non posse. Nemo hominum scire potest quo determinato tempore sit futurum judicium extremum: sed inde malè infertur, non esse aliquod tempus determinatum: Nemo adhuc potuit demonstrare, non esse possibilem quadraturam circuli; sed inde non sequitur esse possibilem: potest enim esse demonstrabile ab angelo, vel DEO, etsi non ab homine. Vides ergo, quàm vanum sit argumentum, quod toties tanto eum strepitu resonat? Cæterùm ipsas formas hîc non excutio directè, sed in Soliloquio & anno.

(o)

Er-

Error VII.

45. *Anima bruti non est substantia tantùm modalis, vel modus substantialis; sed est substantia absoluta* (scilicet cui non repugnat extra corpus & creativè existere) *materialiter cognoscitiva, & naturaliter penetrativa. Soliloq. num.* 268. *& aliàs.*

QUi formas absolutas docent, vel maximè ad hoc moventur, quod arbitrentur in brutis vigere aliquam quasi cognitionem objectorum, quam vocant materialem, sit tamen actio quædam vel occupatio vitalis, habens analogiam ad cognitionem spiritualem; quam putant non posse aliunde proficisci, quàm à forma, quæ sit substantia absoluta; materialis quidem, sed tamen quodammodo similis animæ humanæ: Unde licet in aliis putant, formas modales admitti posse & sufficere, non tamen posse in viventibus. Sed errant sanè: cum contrarium potiùs dicendum sit, propter dogmata divertorum hæreticorum, à quibus non potue-

runt oſtendere, quomodo in ſua forma abſoluta diſcrepent.

46. Etenim Manichæi quidem animas brutorum intelligere aſſerebant, quòd eas ab humanis non diſcernerent, niſi quatenus corporibus ferino modo organizatis inſint. Unde eas migrare de corpore in corpus, de humano in ferinum, & contra, iidem cum Albanenſibus, Etceſaitis, Tertullianiſtis; in principio autem omnes ſimul creatas Origeniſtæ & Priſcillianiſtæ aſſerebant. Animas item humanas cum brutalibus confundebant, & eſſe corporeas affirmabant alij; & vel generari per traducem ſeminalem, ut Tertullianiſtæ, & Luciferiani; vel formatas ab angelis, ut Seleuciani & Saturniani; ſive ex igne & ſpiritu, ut Enthuſiaſtæ; ſive ex terra ut Seleuciani; corrumpi autem in morte Trinitarij, Albigenſes, Samaritani, aſſerebant.

47. Quomodo non iſtis æquivalet modernorum Abſolutiſtarum propoſitio præmiſſa? Nam corpus & ſpiritus ſunt ſpecies ſubſtantiæ directè oppoſitæ, ut linea prædicamentalis etiam à gentibus agnita docet; & ideo habent proprietates directè oppoſitas. Sicut ergo corpus per ſe & naturaliter eſt impenetrabile, omne, ſolum, & ſemper; ita ſpiritus

per

per se & naturaliter est penetrabilis, omnis, solus, & semper. & sicut qui substantiam datam asserit per se & naturaliter impenetrabilem, asserit implicitè, eam esse corpus; ita qui substantiam asserit esse per se & naturaliter penetrabilem, asserit eo ipso, æquipollenter & implicitè, esse spiritum. Nec juvat dicere, animas brutales esse tantùm substantias inadæquatas, ut vocant, sive formas? nam etiam anima humana est forma, & ab eisdem substantia inadæquata dicitur, quo tamen non obstante ipsa est spiritus: ergo qui asserit animam brutalem esse substantiam per se & naturaliter penetrabilem, asserit animam bruti esse spiritum. Sicut ergo æquivalenter hæresin affirmat, qui affirmat, Christum non esse risibilem; ita æquipollenter hæresin defendit, qui dicit animam bruti esse substantiam, per se & naturaliter penetrabilem; quia hic æquè dicit, animam bruti esse spiritum, atque ille, Christum non esse hominem.

48. Præterea substantia cognoscitiva est cogitativa, ex terminis æquipollentibus: substantia cogitativa est mens & spiritus: Ubi rursum non obstat, quod utraque sit inadæquata sive forma. Nec juvat dicere, animam

animam bruti esse tantùm materialiter cognoscitivam. Nam terminus *materialiter* vel nihil omnino significat, & sic potest omitti : vel significat, cognitionem brutalem esse actionem materialem & corpoream ; sed actio corporea est à principio vel agente corporeo : ergo cognitio bruti est à mente corporea, sive â spiritu corporeo : ergo anima bruti, quæ est principium suæ cognitionis, asseritur esse spiritus corporeus, sive corpus spirituale, cujusmodi fingebant Tertullianistæ, Luciferiani, & similes supra relati.

49. Atcedit, quod omnis substantia vel est corpus vel spiritus, ut ex linea prædicamentali vel rationis lumen ostendit. Sed nemo dicit, animam bruti esse corpus : ergo qui dicit, eam esse substantiam (absolutam) dicit eo ipso esse spiritum. Denique si anima bruti potest extra corpus & creativè existere, potest etiam existere intra corpus alterius, vel bruti, vel hominis ; cum non sit difficilius existere intra

corpus

corpus quodcunque organicum, quàm extra omne corpus. Item potuit existere ante omne corpus creatum: ergo eatenus non relinquitur discrimen inter animam bruti & hominis; sed per organa bruti aget ut homo, per leonina ut leo, &c. qui est error Manichæorum, Metempsychotarum, & similium. Alia contra formas absolutas nolo commemorare, cum abundè habeantur in *anno frugifero*: quæ autem doctrinam fidei lædunt, dissimulare non potui.

Error

Error VIII.

50. Ante creatum mundum erat quidam locus fundamentalis & ſpatium, quod imaginarium vocant, in quo nunc mundus exiſtit, & corpora moventur, & ſicubi Deus omnem ſubſtantiam annihilaret, ibi eſſet vacuum, ſive pars hujuſmodi ſpacij. Sic dictat nobis phantaſia eodem ferè modo, quo judicamus, antipodas non poſſe, obverſis ad nos pedibus, terræ inſiſtere.

VIdeamus, an poſſimus huic erroneæ phantaſiæ antidotum ponere. Hujusmodi vacuum vel ſpacium vel eſſet ſubſtantia, vel aliquid qualecunque, pertinens ad ſubſtantiam. Non erat ſubſtantia ex ſuppoſito: ergo nec aliquid ad aliquam ſubſtantiam pertinens. Item vel pertineret ut accidens, vel ut qualiſcunque perfectio ſubſtantialis, abſoluta vel modalis. Non fuit accidens abſolutum; quia nec hoc fuit creatum, cum nihil fuerit creatum. Nec fuit accidens modale, aut qualiscunque perfectio, vel prædicatum ſubſtan.

stantiale; quia & tale implicat existere sine subjecto, quale nullum fuit ab æterno.

§ 1. Facto mundo factum est & spatium. Nec eo mundus carere potest. Quid enim est mundus, nisi *ordinata series corporum, aptata ad motus physicos*, qui sunt latio, alteratio, augmentatio, generatio: qualis non esset, si spatium & extensio nulla esset; quia sic omnia existerent sub puncto mathematico, nullaque esset partium distantia, successio, motio, dispositio, distributio possibilis. Unde spatiositas mundi corporei nequit esse accidens absolutum; quia hoc, juxta phrasin vulgarium, potest abesse, salvâ substantiâ subjecti; quod jam diximus fieri non posse de mundo: non enim maneret mundus, sublatâ ejus spatiositate. Est ergo spatium, & extensio quoddam attributum corporis, & prædicatum ejus, vel substantiale, vel accidentale. Non potest esse merè quinti prædicabilis, sive ex toto accidentale; quia aliàs fieri posset, ut planè abesset, & omnia essent sub puncto, non solùm physico, sed etiam mathematico, eoque unico; ideoque non posset exinde fieri linea, nec ulla magnitudo, nec esset ulla ejus finalis causa, quod ἀδύνατον est fieri à Deo. Nec est attributum merè substantiale, sive ad unum priorum prædicabilium pertinens; sic enim spatiositas nulla variari posset; cum tamen videamus extensiones & figuras corporum posse mutari, de cubo in sphæram, in prisma, in conum, &c.

§ 2. Est

52. Est ergo extensio mundi & corporum partim attributum substantiale, partim accidentale: substantiale (sive ut proprium, sive ut differentia) prout indeterminata & universalis aliqua est; accidentale, prout est determinata ad certam, Sic angeli prædicatum substantiale est, quidpiam intelligere indeterminatè & vagè; quod autem hoc potiùs objectum, quàm aliud, quod intensiùs aut remissiùs, quod aliud priùs, aliud posterius, accidentale est. sic necessarium est hominem vesci, ut vivat; an autem vescatur pane, an carnibus, an fructibus, adiaphorum est.

53. Collige ex dictis facilè intelligi, quid sit *quantitas* corporum sive moles & magnitudo, & quod nequaquam sit accidens absolutum, ut plurimi asserunt contra manifestam philosophiæ veritatem, quo dogmatè mysterium eucharistiæ pessimè non tam explicant, quàm incredibile hæreticis faciunt. Hocipso enim quod corpus sit extensum modaliter, partim substantivè, partim accidentaliter, ut diximus, jam est longum, latum, profundum, habetque molem & figuram: hanc habet corpus Christi, ut est totum eucharisticum continuum, eandem, quam totum continuum panis; & in singulis suis minimis Eucharisticis eandem, cum minimis panis, ut nullo figmento absoluto sit opus, prout explicamus in soliloquio, & dialogo.

Error

Error IX.

Anima humana immediatè dicit actus ſenſuum & appetitûs.

EX eo profluxerunt hæreſes Manichæorum & ſimilium, quod ſupponerent, animas humanas immediatè ſentire: ſicut etiam hodie vulgares & ſemiplatonici propterea affirmant formas abſolutas in viventibus, quod dicant, debere neceſſariò in brutis agnoſci aliquam animam, quæ ſit ſubſtantia, & quæ primariò ac principaliter ſentiat, cum talis ſit in homine anima rationalis. Sed oportet hoc argumentum contra illos invertere. Cum enim in homine formaliter & propriè non ſentiat anima, & tamen ſentiat homo; ideò non eſt neceſſe, talem animã abſolutam ineſſe bruto, ut ſentiat. Quod autẽ nequeat humana anima ſenſationem elicere, facilè demonſtratur ex cognita eſſentia modi, quam etiam, uti cætera, plerique non ultra vocem conſiderant. Eſt ergo modus *actualis determinatio cauſæ*, ſive cauſa determinata, potentia cauſæ determinata, applicata, exercitata: Non poteſt autem eſſe *potentia determinata*, ubi non eſt potentia, ut ex terminis liquet: & ideò non poteſt eſſe ſenſatio, vel actio ſentiendi in ſubjectio, in quo non eſt potentia ſentiendi, ſicut proinde in bruto non poteſt eſſe intellectio, ſive actio intelligendi, quia non eſt in eo potentia intelli-

gendi, quæ potentia eſt ſubſtantialis angelo & animæ, tanquam differentia generica diviſiva à bruto: ita pariter in anima non eſt potentia ſentiendi & vegetandi.

55. Nimirum poſſe vegetare eſt attributum ſpeciſicum plantæ, vegetare & ſentire eſt ſpeciſicum animali, utrumque excluſivum à ſpiritu: alioquin ſpiritus poſſet vitaliter creſcere, pingueſcere, macreſcere, & anima ſeparata videre, audire, tangere, &c. Cum ergo in ſubſtantia animæ non ſit potentia videndi, audiendi, creſcendi, eò quod nihil ſui amittat per ſeparationem; evidens eſt, non poſſe quoque in ea eſſe potentiam determinatam, vel exercitatam, & ipſam actionem ſentiendi immediatè, & propriè: etſi eaſdem ſui corporis actiones ipſa intelligat; de quibus in Soliloquio.

: (o) :

Con-

56. Concluſio.

PLura alia velim reformata. uti quod multi cauſam phyſicam appellant efficientem ſolam, quaſi reliquæ non eſſent phyſicæ. Quod ſubſtantia in adæquatam & inadæquatam dividatur valde æquivocè. Quod infinitum actu dicatur categorematicum, & tale potentiâ ſyncategorematicum, ratione caret. Quod ſpecies materiales ſpiritualizentur ac depurentur, obſcura locutio eſt, & multis modis erronea. Quod continuum non habeat partes actu, ante deſignationem actualem; cum tamen ſit totum, eo ipſo, quod eſt continuum, & quod ejus extrema ſunt unum; totum autem eſſentialiter involvat partes. Sed quis hujusmodi res omnes corrigat?

57. Utinam ſaltem novem has propoſitiones placeat emendare, quarum corrigendarum cauſam lector ampliſſimam videat neceſſe eſt. Etenim ſunt in materijs univerſalibus, circa prædicamenta, prædicabilia, circa ſubſtantiam, circa quantitatem, circa qualitatem, circa actionem & modos, circa relationem & formam relativã, &c. ex quibus in omnem particularem Philoſophiæ materiam non poſſunt non errata diffluere; unde ſtudium Eccleſiæ utiliſſimum inſipidum prorſus & fatuum reddatur neceſſe ſit; cogariſque illud dolorosè fateri: *R. habet auſonium ſtudium*

hoc, habet R quę pelasgum, R habet hebræum; præ-tereaque nihil.

58. Quid inde consequitur, nisi ut quia nullâ viâ, nullo ordine, nullâ methodo, nullâ serie, nisi quæ ex erroribus emergat, discitur, post annosos labores deprehendas te non nisi Sisyphi saxum volutasse, neque tantum didicisse, quantum in luce subsistat, vel ad hæresin aliquam fundamentaliter confutandam, vel ad responsum in Ecclesiastico Concilio sapienter ferendum; sed viatori vagabundo similem te cognoscas, qui viarum ignarus cum totâ die per sylvas cucurrerit, ad vesperam fatigatam se quidem sentiat, sed multo in termino constitutum. Interim ita dissipantur sumptus parentum, ætas juvenum perditur, ingenia magnis rebus nata dispereunt, spes adfluentium specioso sapientiæ acquirendæ vocabulo ludificatur, reipublicæ & Ecclesiæ summè nocetur.

59. Nostra doctrina ex principijs, in fundo naturalis intellectûs radicatis, & non ex trivio, obiter & casu assumptis, deducta est; juxtà quam est qui sanctè pollicetur, posse se universam Theologiam scholasticam, cujus quæstiones quantumvis multas, patietur sibi præscribi, plenè & nullâ re omissâ, ita perspicuè & simul breviter, intra biennium tradere, ut nemo non capiat, atque non scire se sciat; cum alij vulgo quadriennium imò octennium docendo insumant, & ferè doctiorem neminem, ut dictum est, reddant.

60. Quo

60. Quo sanè facto restabit tempus, etiam linguis theologicis, etiam historiæ, etiam canonibus & legibus, etiem patrum scriptis discendis, ex quibus supellex utilissimarum rerum, ad omne emolumentum accumulabitur. Videant moderatores scholarum, an non gravissimè in conscientia obligentur, ad errores tam noxios è scholis eliminandos, posthabitis terriculamentis privatis, & considerationibus non subsistentibus. Habes rationem facti & scripti mei: tu considera, an non verissima sint, & digna, quæ hominem sapientem permoveant.



TRACTATUS APOLOGETICUS,

Quo

Non ſolùm dicteria contra noſtram viam confutantur, ſed etiam ejus uſurpandæ tum methodus tum utilitas ob oculos ponitur.

I.

Circa viam noſtram in genere.

DEcumanum illud & principale dicterium, cui & primas ideò partes aſſignamus, opponitur iſtud : Noſtra doctrina, quam damus de formis abſolutis eſt proſcripta prop. 19. quam Pater noſter Piccelomineus anno 1651. edidit, & eſt hæc. *Mixta etiam corpora, excepto homine, non habent propriam formam ſubſtantialem, ſed pro varia atomorum mixtura & diſpoſitione, exhibent illas ſpecies, quas videmus, auri, metalli, &c.* Reſpondeo contra hoc decretum nihil omnino peccamus dummodo illud in ſano ſenſu, quo debet, acci-

accipiamus. Existimare autem aliquod decretum religiosi Ordinis non posse unquam in bono malo que sensu accipi, sic ut ipsum interpretari non liceat, est illud supra omnes leges humanas, Ecclesiasticas, & adeò divinas attollere, & fiet *summum jus summa injuria.* Quid sunt scripta SS. Patrum ac Theologorum commentarij biblici, nisi interpretationes legum divinarum? quid libri legistarum, & Canonistarum, quàm interpretationes legum, qua imperatoriarum qua papalium? Harum ergo legum bonus sensus & genuinus inquiritur, & illius decreti nostri sensum inquirere piaculum erit? Absit injuria hæc & excessiva religio.

Quis ergo est sensus illius decreti? Absque dubio idem, qui fuit gentilium & Atheorum, docentium, *mundi materiam fuisse ab æterno, sitam in atomis, ex quorum concursu fortuito, sine actione creativa Dei, coaluisse corpora, quæ videmus:* quod utique impium est, & à nobis neque docendum, neque doctum fuit unquam.

2. Nos *non docemus atomos*, sed ab hac difficultate abstrahimus.

3. Non est prohibitum dicere, quod *non fiant generationes* saltem ex parte, & aliquando *per mixtionem:* ideò enim vocantur mixta: & quis jubebit docere, quod omnia corpora sint simplicia, sive quod nulla interveniat mixtio, dum corpora generantur, aut quod mixtio non sit *miscibilium alteratorum unio?*

4. Non dicimus, quod forma ſit ipſa mixtio, ſed dicimus, quod per mixtionem, ex parte, reſultet forma, quæ eſt *aliquid à mixtione diſtinctum*, & eam conſequens.

5. Non etiam dicimus, formam non reſultare, niſi per ſolam mixtionem, cum innumeris modis & vijs ea proveniat.

6. Non eſt noſtra illa propoſitio: *Corpora non habent propriam formam ſubſtantialem*: ſed contradictoriam aſſerimus, ſcil. *corpora ſingula habent ſuam propriam formam ſubſtantialem.*

7. Negamus tamen, illam formam ſubſtantialem eſſe abſolutam ſubſtantiam, quæ poſſit abſolutè per ſe ſubſiſtere, vel exiſtere extra ſubjectum: valdè autem diverſa ſunt eſſe quidpiam ſubſtantiale, & eſſe ſubſtantiam; ſic potentia intelligendi eſt ſubſtantialis angelo, non eſt tamen ſubſtantia per ſe, & potens exiſtere extra angelum.

8. Non concedimus, formam eſſe ſolùm diſpoſitionem atomorum, aut quid accidentale, exhibens oculis ſpeciem metalli, marmoris, &c. eum ipſa ſit ſubſtantiale principium omnium accidentium, colorum, & ſpeciei externæ, & ideò eadẽ permanens, poſſit recipere & exhibere alia plenè accidentia colorum, & ſimilium apparentiarum, prout ex operationibus chymicis conſtat. Hæc qui conſiderat penitius, &

non

non solùm juxta superficiem aspicit, facilè intelliget, quàm non peccet philosophia nostra in illud decretum, & quantum nostrum dogma à proscripta illa propositione remotum sit. Certè si circa legem pontificiam vel adeò divinam, ad cujus observationem, me jactura salutis æternæ compellit, sub tali interpretatione, & sensu procedam, carebo omni peccato & culpâ, cur ergo si quodpiam decretum, longè inferioris auctoritatis, cum tam rationabili distinctione, & manifesta veritate prudenter accipitur, ideò à cathedra in æternum, & ab omni statu totius vitæ abjicitur, eâ pœnâ, quam luere non juberetur, etsi in præcepta decalogi gravissimè deliquisset? si tam præceps innocentes DEI servos puniendi & infectandi ratio inhibenda non est, nescio equidem, quid in societate humana corrigi debeat.

II.

Oportet tenere sententias probatas potiùs, quàm vel eruderatas ex antiquis ruinis, vel noviter conceptas. Respondeo, pro forma absoluta ex auctoribus producuntur duo tantùm argumenta, quæ speciem habeant; alterum, quod nihil negandum sit omnipotentiæ divinæ, id quod cassam nucem non valere ostenditur 3. Januarij: alterum, quod

corpora de ſtatu violento ſe reducant ad naturalem ; quod probat quidem , adeſſe formam ſubſtantialem , ſed abſolutam minimè, ut habetur 4. Januarij. Reliquæ objectiones hinc inde eluuntur per annum , & oſtendunt , noſtram doctrinam non eſſe adverſariis cognitam. Quod ſi jam noſtram abundantiam , & propè infinitudinem argumentorum cum tanta egeſtate adverſantium nobis conferas , videbis certè , utra doctrina mereatur probatior dici. Communiter probata exiſtimatur , quæ Ariſtotelem & D. Thomam patronos habet. Illum quidem ideas ſive formas corporum ſeparabiles aut ſeparatas , vel *præexiſtentes extra materiam* , in Platone reprehendiſſe vel maximè , ſiquis neget , ne ille in ſcriptis ejusdem valde eſt hoſpes : iſtum verò à philoſopho minimè diſſenſiſſe ſatis patet : nec uſpiam legitur dixiſſe, hujusmodi formas poſſe extra materiam exiſtere. Legat de hoc , cui placet *p.* 1. *q.* 45. *a.* 4 & 8. Item *p.* 1. *q.* 90. *a.* 2. Quod ſit modalis 1. 2. *q.* 49. *a.* 2. *c.* Quod forma non inſit formæ 1. 2. *q.* 55. *a.* 4. *ad* 1. & *q.* 56. *ad* 3. Illud quoque mirabile eſt , quod jubemur neque nova docere , neque vetera : quid ergo ? CHRISTUS autem *doctum* aſſerit & legis peritum , *qui de theſauro ſuo profert nova & vetera* , quod facimus cum multo delectu & examine. Præterea Abſolutiſtæ

lutiſtæ contra nos urgent propoſitionem hanc: *Anima bruti non eſt ſubſtantia tantùm modalis, vel modus ſubſtantialis; ſed eſt ſubſtantia abſoluta, materialiter cognoſcitiva, & naturaliter penetrativa*, quæ an probanda ſit judicio Eccleſiæ, viderint ipſi, quia non apparet, quomodo à diverſis hæreſibus ſe diſcernant, prout oſtendi in *cribro errore* 7. in *Soliloq. à num.* 268. *in dialogo Benedictus*, in *Anno à 7. Sept. ad* 11. *Octob.*

III.

Exceſſiva & arrogans valdè eſt noſtra philoſophiæ inſcriptio, quam vocamus viam ſcientiarum, cum revera omnem philoſophiam theologiamque, divina quoque & humana, naturalia & ſupernaturalia turbet atque evertat. Reſponſ. Hoc eſt judicium viri, prorſus non informati, & qui noſtram philoſophiam nunquam vidit. Aliter loquuntur, qui non ſunt partialis, & peſſimis affectibus vacui judicij. Licet quin imò noſtræ philoſophiæ laudem ex eo dignitatemque cognoſcere, quod tam latè pateant ejus pomaria,

ut

ut per illam quævis facultas repereat cauſam & modum, plurimum corrigendi: non eſt hoc turbare & evertere, ſed errores quidem diſſipare, veritates verò in ordinem diſponere. Quicunque lippitudine oculorum non laborat, clariſſimè perſpicit, vulgarem Philoſophiam neque ipſam per ſe aliud eſſe, quam indigeſtum & rude chaos quæſtionum metaphyſicarum, nullo ordine ſcientiali cohærentium, nullo principio, nullo fine, nullo & medio conſiſtentium: Unde nec ad alias ſcientias humanas quidquam præſtat. Voco ſcientias humanas, ſine quibus in ſocietate humana non vivitur; cujusmodi ſunt mathematicæ, ethica, medicina, jurisprudentia. Absque omnibus illis quæſtionibus vulgaris philoſophiæ quis neſcit, poſſe matheſin, geometriam, aſtronomiam, perfectè addiſci? Quis ad medicinam triviali illâ lyrâ opus habet? Quare non leges cognoſcere, aut boni atque æqui ſcientiam capeſſere liceat, absque illarum ineptiarum caligine, qualem ſapientiùs neſcias, quàm inquiras.

IV.

Contrà ſolem loquimur, & adverſus omnium gentium confeſſionem, dum philoſophiam negamus & ſibi bonam, & aliis utilem.
Reſp. Sic eſt philoſophia, quæ vera eſt:

Sed

Sed est, quæ nomen ostentat, rem minimè præstat, prout de vulgari jam dixi. Theologiæ saltem ministrat, inquis? Theologiam habemus in pretio, quæ sanâ metaphysicâ nititur; sed quæ in ruinosis vulgi placitis, & clamosis litibus sistit, quæso in quem usum servit? Quis per eam scripturarum divina oracula fundamentaliter explicat? quis hæresin aliquam per eandem expugnat? Quando in generali Concilio, aut ullo tribunali Ecclesiastico adhibita unquam fuit? Aliam oportet literaturam sapiat, quàm blastemata vulgi, quæ fructum solidum & salutarem producere apta est.

V.

Quis igitur est nostræ philosophiæ nativus genius? Resp. Non odimus metaphysicam, quam revera fatemur esse universalissimam scientiam, omnium aliarum præsidem, in quas ipsa vigorem, & vitalem quasi spiritum indit: Unde illam minimè negligimus, sed diligentissimè tradimus in Soliloquio; non in fragmenta solùm dissoluta, passim exorbitantia, nusquam colligata sylvescentem: sed à primis ac summis mentis humanæ luminibus accersitam, maximâ brevitate, & perspicuo ordine ita contextam, absolutamque, ut cuivis

vis pateat, quidquid in aliis facultatibus obscurum atque perplexum est, ope nostræ metaphysicæ prorsus eluceſcere, si secundùm prædicata generica, specifica, differentialia, quibus remota primis, & ultima summis, æquè ac traduces ramis, inhærent, ad nostra principia referantur. Erit enim, de quo litigium est, aut ens, aut entitas, aut possibile, aut impossibile, aut existens; aut potens existere tantùm, aut actu, aut potentiâ, aut agens vel patiens, aut subjectum aut forma, aut genus aut species, &c. Atque ita semper nostra intra pomœria continebitur. In quo certè te ipsa praxis convincet. Ne non & exemplum subdamus, physicam ipsam subjungimus, & metaphysicæ subordinamus: cujus objectum, quod est *corpus mobile*, postquam secundum ejus prædicata generalissima & essentialia juxta viam metaphysicam ostendimus, ad specialia, atque ad proprietates diversorum, actiones, passiones, transimus. Qua in progressione ex iis, quæ sensui patent, ad ea, quæ latent, cognoscenda, & à facilioribus ad difficiliora concludenda transimus. Atque hac certè ratione, dummodò verum fateri volueris, præclarissimæ philosophiæ ideam ostendimus, vel saltem primis lineis adumbramus.

VI. *Sed*

VI.

Sed ubi manet logica? Respondeo, nisi meliorem, quàm sit Vulgaris, exoptes, habes jam illam, multò accuratiùs & distinctiùs expressam, aut saltem implicitè immersam metaphysicæ nostræ. Accipe enim theses, quas ex universa logica communiter disputandas proponunt, nullam reperies propositionem, quæ non ad nostram metaphysicam, cognationem ostendat, & ab illa suam firmitudinem non desumere debeat. Ex hac patet, quid sit ens reale & rationis, quid & quotuplex distinctio, quid universale & singulare, quid relatio essentialis & accidentalis, quid veritas transcendentalis & prædicamentalis, quid prædicamentum & prædicabile: & quid non? Quamvis profectò logicam ego planè aliam requiro. Scripsit unam P. Honoratus Fabry, sed ipsa suâ perfectione non est usurpabilis; satis erit adhiberi vel lectionem ipsius Aristotelis, vel ex illo aliam aliquam dialecticam comparari, quâ demonstrentur distinctiùs ejus modi syllogizandi, &c. vel etiam retineri illam Philippi de Trieu, qua præmissâ procedatur ad metaphysica, & post hæc ad physica, ea semita, qua ostendimus. Prolegomena volo planè prætermissa: cum sufficiat ea verbotenus discentibus

bus dicere. Quis enim docturus ethicam, matheſin, geometriam, arithmeticam, aut artem quoque mechanicam, de prolegomenis eſt ſollicitus? quod aliud non eſt, quàm inutili verboſitate bonas horas abigere, rem ipſam perdere.

VII.

Quid noſtra Philoſophia aliis ſcientiis confert? Reſponſ. Medicinam ex eadem, tanquam pullum ex ovo, prodire, negari non poteſt. Leges qua canonicæ qua civiles quid aliud tractant, quàm de jure, de debito, de injuria, de jurisdictione, ſatisfactione, obligatione, reatu, cenſura, regularitate, immunitate, privilegio, ſervitute, & ſimilia; quæ aliud non ſunt, niſi formæ reſpectivæ, quæ à noſtra metaphyſica tanquam ſuprema ſcientia, dirigi, diſtribui, explicari, ordinarique debent ac poſſunt. Idem eſt ac ethica, idem de omnibus ferè theologiæ tractatibus, nominatim qui agunt de moralibus, de ſacramentis, de gratia & peccatis, quæ omnia à nobis fundamenta veritatis & perſpicuitatem deſumunt. Sed & de ente creato & increato, naturali & ſupernaturali; ubi ubi perplexiſſimæ quæſtiones occurrunt, ea per nos, facillimo ductu, in claram lucem proveniunt. Teſtimonia dant myſteria ſumma de libertate

tate DEI, de prædeſtinatione, de merito, de Euchariſtia, de unione hypoſtatica, &c. quæ per noſtra ſtudia dummodo plenè intelligantur, ad ſtuporem planiſſimè eluceſcunt.

VIII.

Cur autem noſtris elucubrationibus tam mirabilia nomina indidimus? Reſpond. Quare fatigaris ea ſcrutari, in quibus nihil admodum momenti latet? Metaphyſica *Soliloquia* nuncupamus; quia in eisdem non tam auctoritates reſpeximus, quàm ipſa menti humanæ implantata prima dictamina; ex quibus illa noſtra deduximus; ceu domi nata; & alienis conſenſibus parùm indiga: Unde nec nova ea videri volumus, ut nonnulli parùm accuratè rem expendentes, objiciunt; cum ipſa mens, antiquiſſimus magiſter veri, eadem & dictaverit, & firmis ratiociniis deduxerit, intexuerit, ſolidarit; prout etiam pollicemur; nos oſtenſurus, ſi requiſiti fuerimus, nullum nos ponere univerſale principium, in quo non doctiſſimos quosque, etſi aliis fortè loquendi formulis, conſentaneos habeamus. Sed genuinum eſt in ſcientiis, non fidere ſapientum dictis, ſed potiùs primis intellectûs luminibus duci, prout in mathematicis liquet. Porrò phyſica *Annum*

frugiferum dicimus, quia cum illa noſtra nonnemo infirma aſſereret, & tum redeuntis anni initium fortè eſſet, reſpondimus, nos tot argumenta præſentaturos, quot ſunt dies in anno. Quod & præſtitimus dubio procul: quia tametſi interdum occurrant dies perſpicuo argumento vacui, & qui tantùm diſpoſitionibus præambulis, ac præparationibus, requirente ſic ordine & nexu, occupati ſint; ſunt tamen viciſſim plurimi, quorum ſingula decem & plurium manifeſta ſemina continent, dummodo ea evolvere, & in ſuam formam explicare volueris. Adjeci ſeorſim faſciculum parvum aliquot inſigniorum errorum, qui in vulgari philoſophia notantur, & plus nocumenti reipublicæ literariæ adferentes: eo quod extra reliquæ ſtructuræ conſortium collocati, ſolitudine ſua, nuditatem ac falſitatem pleniùs exhibeant.

IX.

Quare autem in ſcribendo ita ſtrictim & breves fuimus? Reſp. Quia viribus eram valde exiguis, & mortem in dies opperiebar, collegi feſtinanter & admodum propere primùm *Soliloquium*, tanquam ideam ſaltem breviſſimam conceptuum meorum; cum conſultius judicarem, monimentum potius ſaltem breve, quam nullum iis, qui expetebant, relinquere.

Poſtea

Poſtea verò quia formæ phyſicæ maximè oppugnabantur ab imperitis, & valetudo, DEO favente, confirmatior eſſet, addidi & reliqua. Scio tamen ob brevitatem, multis locis, ulteriore diſſertatione opus eſſe; eam quoque deinceps ulteriora inquirentibus non denegabo. Quin imò cogito de formis ſubſtantialibus ulteriorem tractatum adjicere, maximè ubi tempeſtas iniquarum infectationum remiſerit.

X.

Eſtne ergo operæ pretium, ita præpoſteris affectibus in rem noſtram ferri? an non ageremus prudentius, antiquo flumini ſuos alveos relinquendo, quàm novos effodiendo? Reſp. Temeraria ſunt hæc judicia. Novit omniſcius DEUS, me malis non agi affectibus. Cupio potiùs ſuo alveo quietum delabi fluvium, quàm in novos rivos deducere: video ſcilicet, quàm exundet paſſim in rura & ſegetes, quibus tenebris, obſcuritatibus, erroribus, philoſophia vulgaris infeſtet bibliothecas & ſcholas, in non mediocre præjudicium Eccleſiæ: quibus, etſi parùm & vix aliquid equidem poſſum, tamen quoad poſſum, occurrere ſatago, tantò certè amplius, quando eos, qui decuplo plus poſſent, video manum retrahere, juxta illud S. Auguſtini, *O flumen moris humani, quis reſiſtet tibi?* Poſſem ſingilla-

tim, longâ excurſione, exponere nocumenta, quæ ex diverſis erroribus in agrum Eccleſiæ dominantur. Nunc hoc tantùm addo, cum noſtra philoſophia ita ſit concinnata, ut ingenio, veritatis cupido ſaltem, faciat ſatis, & in quadam tranquillitate quieſcere ſinat; & vulgaris (abſit invidia & arrogantia) totam diſcentium vitam inutiliter non tantùm occupet, ſed etiam æternis colliſionibus turbatam teneat: non ſolùm ſolari nos poſſumus, nos revera aliquid, de ſincera ſapientia poſſidere, per philoſophica ſtudia; ſed etiam otium nobis inſuper ſuppetere, ad alia addiſcenda; putà mathematica, hiſtorias, leges; ſcripturas ſacras, & ſimiles facultates, quibus vir unus inſtructus plus præſtare aptus eſt, quàm alij centum, qui non niſi lyram communem, ſine profectu, ſine proventu, totius vitæ annis, in circuitum verſant. Quare perſequimini me ſicut DEUS, ut abdita cordis mei ad veſtra judicia convocetis? Creditote viri boni, millenis vicibus hæc & ſimilia expendi, multipliciter conſideravi, & ſollicitâ cogitatione volvi & agitavi: neque usque adeo mihi animus avolavit, ut, ſi non condignum operæ pretium reip. litterariæ ſperaviſſem, tot me latoribus, inſectationibus, dicteriis, preſſuris, laccrationibus famæ, demum innumeris injuriarum formis, non objeciſſem. Sed quia DEO & Eccleſiæ laboro, ſtat alâ

mihi

mihi mente repoſtum, nequaquam cedere malis, donec vitæ vigorisque aliquid ſuppetet.

XI.

Noſtra hypotheſis non ſalvat accidentia Eucharistica; cum ea dicamus ſubſiſtere in corpore Chriſti tanquam in ſubjecto; concilium autem Lateranenſe doceat, ea manere ſine ſubjecto. Item dicimus, *non eſſe individua eadem quæ panis.* Reſp. Inaniſſimus eſt ſcrupulus iſte; quem ſatis complanavi in *Soliloq.* maximè in *dialogo.* Eccleſia non intendit definire, num accidentia panis exiſtant revera absque ullo ſubjecto: ſed tantùm ea exiſtere ſine pane. Scilicet intendebat definire, quod negabant hæretici; qui dicebant panem manere, eum ſenſibus noſtris pateant accidentia panis, quæ ſine pane eſſe non poſſint, & ideo transſubſtantiationem negabant. Contra hoc Concilium definiebat, utique transſubſtantiari panem in corpus Chriſti; nam accidentia panis eſſe & remanere ſine ſubjecto *ſuo naturali panis*, an autem non ſubjectentur in corpore Chriſti, hoc explicitè non aſſeruit, licet implicitè hoc ipſum intelligat, cum dicat in locum panis ſuccedere corpus Chriſti. Certè novum non eſt apud Orthodoxos, accidentia conſervari, ſuſtentarique per corpus

Christi. *Vide Lateran. IV. sub Innoc. III. an. 1215. can. 1.* Instas: probati Theologi pridem docuerunt, reliqua accidentia connaturaliter inhærere quantitati, ipsam verò quantitatem solam creativè existere. Resp. Attamen vehementer displicet hoc dogma: tum quod quantitatem fingunt esse ens absolutum, cum ex S. Thoma nihil aliud sit, quàm mensurabilitas ex materia resultans in longum, latum, & profundum; prout p. 3. q. 90. a. 2. ad 2. dicit, *partes quantitatis sunt partes materiæ:* & 1. 2. q 55. a. 4. ad 1. sicut & q. 56. ad 3. *formam non posse inesse formæ.* Et quæso, quomodo fingi potest, quidpiam, cujus essentia est, esse ens non nisi per aliud existens, fieri per se existens? Non debemus mysterio eam calumniam imponere, quod non nisi per figmentum, & per eversam philosophiam defendi possit. Ecce quàm naturaliter explicamus nos, magnitudinem panis manere in Eucharistia, sed resultare ex materia corporis Christi, quæ prius resultabat ex materia panis, & ei inhærebat. Propter hoc ipsum planissimè arbitror, doctrinam nostram usque adeo dæmoni exosam esse, quod clarissimè ac solidissimè mysterium explicat.

At, inquis, non erit eadem *individua* quantitas panis, etsi eadem specie? Respondeo, Hoc tibi ipse respondeas necesse habes. Nam etiam

etiam tu aliqua saltem accidentia modalia panis in Eucharistia remanere concedas oportet, puta ubicationem, durationem, figuram ? Nihil ergo tibi hic omnino lucraris. Imò etsi absoluta essent accidentia, tamen eadem individuè prorsus non manerent. Nam prius dependebant à subjecto, puta à pane, materiali eductione, ut ajunt; postea non ita. Quæ certe dependentia & non dependentia differentiam aliquam absolutam inferre debet, non generica neque specificam; ergo individuantem saltem: si tamen actio eductiva à creativa differt, & speciale aliquid confert. Deinde simpliciter D. Thomas dicit individuationem formæ esse à materia: ergo si formæ sunt absolutæ, hæ quoque à materia vel subjecto individuari debent.

Denique ut omnem curam hanc penitus abscindamus, advertendum est, individuationis rerum esse aliam notionem humanam, aliam divinam. Homo enim individua dignoscit per accidentia & circumstantias sensui patentes, loci, temporis, actionis, &c. & tamen coram DEO mutatis licet omnibus circumstantiis, individuum est idem. Sic corpus humanum in statu hujus vitæ, & glorioſum in statu immortalitatis post resurrectionem, homo judicaret, esse individuè aliud, cum DEUS sciat esse idem. e contrario singulis annis dicimus juxta Kalendarium, nos celebrare eadem

festa, cum individuè non sint eadem, sed dies diversi. Hinc ergo individuatio notionis divinæ, cum superet captum nostrum, non est nobis curæ, nec de ea agimus aut respondemus, sed supponimus esse individuum, & pro eo habemus, quod est tale notione nostra. Sic dicimur, confiteri peccatum nostrum in specie & individuo, quod scimus, nos tali loco & tempore feciſſe, etsi revera ipsam genuinam actûs individuationem non attingamus, nec explicare possimus. Similiter ergo in foro nostro humano accidentia Eucharistica sunt eadem, quæ panis, etiam individuè; etsi in foro DEI sint eadem solùm in specie: satis est, quod sic mysterium apud homines perfectè tegatur.

XII.

Si animæ materiales non sunt formæ absolutæ, non possumus ostendere, quomodo bruta sentiant & vegetent. Respon. Hæc objectio supponit, ista explicari per substantias absolutas, alioquin enim quid obganniat cacabus ollæ? Attamen demonstravimus nos, absolutistas non solùm in hoc ipso puncto, vix posse discernere se ab hæreticis, animas humanas cum brutalibus confundentibus; sed insuper nulla ratione fieri posse, ut has actiones ex. gr. visionem substantia penetrabilis exerceat:

cum

cum interim nos tractatus bene longos de hujusmodi exhibere possimus, de quibus nec verbum quidem illi scripserunt unquam. Suadeo cohibeant dicacitatem, ne mundo literato se deridendos exponant. Cæterùm si confecero dissertationem ex professo ampliorem de formis, erit quoque de actibus sentiendi accuratior vel uberior dicendi occasio.

XIII.

Nostra physica non est apta ad Theologica explicanda: hinc etiam Aristotelem respuit, quem S. Thomas cum reliquis Theologiæ principibus maximi semper fecerunt. Resp. Philosophia non est solum instrumentum sciendi, ad Theologica præparatum; sed etiam per se suam habet vel maximam dignitatem & excellentiam. Secundò Tametsi empirici & Experimentistæ sua physica solùm ordinent ad medicinam, & ideò de methaphysicis non sint solliciti: tamen ea prout subsumuntur sub universalibus methaphysicæ dogmatibus, etiam Theologicis plurimùm conferunt. Unde quid eadem nostra physica, metaphysicæ subordinata, ad hoc ipsum possint, patebit ex libro dialogorum, quem conficiemus, ubi superi faverint.

Quin etiam fortè Summulam per omnes Theologiæ partes, quæ difficillima quævis contineat, dabimus, ubi id maturum & consultum videbitur. Ad Aristotelem quod spectat, nos haud dubie ipsum sequimur & æstimamus; & quidem præ vulgaribus maximè, quos à genuino ejus sensu deflexisse, satis clarè ostendimus.

Tametsi autem verum sit, Philosophum ad particularia physicæ non descendisse, neque adeo experientiam habuisse earum rerum, quæ hodie literato mundo innotuerunt, attamen negari non potest, in universalibus suis adhuc à nemine eum jure correctum *fuisse*. Obscurior quoque est, & tenacior in physicis consultò: quia nolebat passim in trivijs sophica tractari; unde physicos libros acroamaticos h. e. *audiendos*, non tantùm privata industria legendos, appellabat; solebatque profiteri, suam philosophiam esse editam, & non editam, sive ità evulgatam, ut sine interprete nemo plenè perciperet. Quidquid sit, philosophum dicto modo æstimamus nos, possumusque summo jure præ vulgaribus, peripatetici appellari: quamvis nec de arrogantia quidem nominis sumus solliciti, veritatem sincerè docuisse contenti. Neque usque adeo superstitiosi videri volumus, ut gentilibus infallibilitatem in judicando, tribuen-

buendam ; vel ſine eorum didagmatibus chriſtianas ſcientias addiſci non poſſe putemus.

XIV.

Per noſtra curioſa perduntur ingenia, quæ ſic abſtrahuntur à ſeriis & profundioribus ſtudiis. Reſp. Utrum ergo reprehendis ? An ingenium humanum , quod veritatem deſiderat : an veritatem ipſam , quod intellectum alliciat ? Lippientes ſunt oculi , qui lucem non amant. Si ignavi & hebetes præplacent, hi deinceps ad tractandas ſcientias ſunt deligendi. Velim ſcire , quænam ſint illa ſubtilia & profunda ac ſeria , à quibus noſtra philoſophia abſtrahat. Da myſterium quodvis theologicum , & quamvis reconditi ſenſûs , ad quod elucidandum non ſint prompta metaphyſica noſtra. Errores videlicet innuis , qui per caligines dominantur ; hos ſtudia profunda vocas , quod adeo ſint immerſa tenebris , ut nemo ſapiens ea amplecti , nec adeo intellectus angelicus tecum aſſerere poſſit. Et quis hoc ingenioſo vertat vitio , quod verum falſo præoptet ? Etiam noſtra metaphyſica , inquis , valde abſtruſa ſunt & obſcura. Reſp. Sunt quidem remota à ſenſu ; ſed tamen , dummodo mentem ſeriò applices , talia , quæ ipſa potentia intelle-

tellectualis, tanquam prima lumina ſuggerit, & à nullo negari poſſint, niſi velit in labyrinthum incidere. Prima autem illa aſſerta ubi ſemel indubitatè conſtiterint, exinde omnia conſequentia incredibili compendio, quavis in materia & facultate, eluceſcunt. Cœterùm quid agas generationi huic, cui quidquid apponas, non eſt ad guſtum. Metaphyſica damus; hæc nimis abſtracta & difficilia criminantur; exhibemus phyſica; hæc eſſe levia, nimis ad ſenſum patentia, communia, de trivio, *lippis & tonſoribus nota* deſpiciunt: quamvis & iſta profectò talia non ſint, utpote etiam ipſa, ex cauſis non uſque adeo patentibus derivata. Nimirum antiquum eſt dæmoni, veritates creatas peſſundare, & perditum ire, quò increatam ſaltem indirectè obnubilet;

XV. *No-*

XV.

Noſtra metaphyſica inchoamus à forma relativa, quam diſtinctam à fundamento & termino ponimus, quod ſi eſſet lumen naturale, omnibus innoteſceret, cum tamen pauci idipſum aſſerant, præter nos. Quid enim illa *forma eſt?* Reſp. omnes implicite & reipſa nobiſcum ſentiunt, etſi explicitè negent, ſicut faciebat nonnemo, mihi notiſſimus, qui hominem ſe aſſerebat, animal verò eſſe negabat. Quid enim per illum terminum, *formaliter*, plus centies unâ horâ in materia relationis adductum (ut patet etiam in omnibus libris impreſſis) quid inquam volunt, niſi *formam relativam*, qualis non eſt ſubjectum, nec terminus? Sed opponis, forma illa *ratione* tantùm diſtinguitur. Reſp. diſtinctio *rationis* non eſt alia, quàm ipſiſſima *relationis*. Neque enim *eſſe cognitum*, rei, quæ cognoſcitur, quidquam ſuperaddit, quàm relationem rei ad cognitionem. Unde *cognoſcibilitas* rei eſt *relatio eſſentialis* rei ad intellectum, & veritas tranſcendentalis; *cognitio* verò actualis apponit *relationem* novam *accidentalem*, quid clarius? Unde ubicunque eſt alia cognoſcibilitas, eſt & alia entitas, & diſtinctio formalis in re. Quis autem negat cognoſcibilitatem eſſe proprietatem entis tranſcendentalem, & veritatem. Nam qui proprietatem eſſen-

essentialem adstruit, & negat essentiam, non meretur homo dici.

Veruntamen *& hoc falsum est inquis*; Nam hircocervus *cognoscibilitatem* habet, & *veritatem* non habet. Resp. Concedo quidem, posse circa hircum & cervum errari judicio falso; sed hæc est culpa judicentis, non natura hirci & cervi, aut alterius rei. si homo non præcipitaret judicia sua, rarò aut nunquam erraret; quia saltem suspenderet judicium in planè dubijs; aut certè veritatem attingeret. Quicumque enim ritè attendit, advertit, hircum esse tantùm hircum, cervum tantùm cervum; ipse hircus respectivè sit negativus cervi. Nego ergo esse ullam veritatem objectivam, vel cognoscibilitatem hirco - cervi; etsi concedam esse cognitionem falsam, & errans judicium de hirco, quod sit etiam cervus: hæc est *relatio accidentalis*, nulla *essentialis*. Verum ergo per hoc manet, formam relativam esse cognoscibilitatem, & cognitionem; hanc prædicamentalem, illam essentialem; & aliam distinctionem rationis non esse, quàm relationis. Et hæc est universalissima gnome, meritò à nobis primo loco posita.

Ista veritas altissima penitissimè introspecta peperit nobis quidquid generatim pertinet ad Ens: quæ sint proprietates, & quid distinctio entis: quid sit ens negativum, quid positivum; quid possibile & impossibile: quid substantiale, quid

quid accidentale: quid existens, & quid subsistens: quid ejus actus & potentia: quot prædicabilia, & quæ prædicamenta: & quæ ex his alia consequuntur. Hanc quicunque non apprehendit, necesse est, eam claudicare ubique; & quot sunt diversæ materiæ, in tot diversas perplexitates incurrere, verbositate nunquam finienda, summâque auditorum molestia ac desperatione. Nimirum hæc est methodus sciendi, ab universalibus cognitis ad particularia quævis facilè descendere: eum frustra sint omnia, si genera sint neglecta. Ita si paucas propositiones libri secundi Euclidis demonstrare velles, & librum primum non haberes ante perspectum, totum oceanum scribendo in atramentum exhauries, neque tamen quidquam officies.

XVI.

Oportet non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Resp. Quid vis dicere per istam phrasin scripturæ, quæ reprehendit hæreticos; quod in materia, quæ solâ Dei revelatione constare potest, velint omnia per naturalem vim ingenij definire: si hoc nobis impingeres, grandis injuria esset. Vel corpis quod opera Dei nimiopere perscrutemur, non in Dei laudem, sed culpabili curiositate? At enim verò creavit mundum DEUS, ut ex eo tanquam ingenti libro, architecti sapientiam, potenten-

tentiam, bonitatem perſpiciamus, miremur, adoremus: quo ſtudio nihil honeſtius, nihil utilius nobis, nihil Deo gratius fieri poteſt. Putaſne exceſſum nos facere, ſi diu noctuque hujuſmodi admirandis Dei operibus contemplandis inſiſtimis? ſi novum aliquid, quod hactenus latuit involutum, producamus in lucem? ſi nonnullorum errores proferimus? ſi non juxtà quorundam ignaviam ſtertamus potiùs, ventri magis quàm menti dediti, humique ſerpamus pecorum more, quibus datum non eſt os ſublime attolere, cœlumque tueri, & erectos ad ſidera tollere vultus. Nihil hic crede ſis agitur, quod ſit turpe, præter calumniam tuam; hanc aufer, & omnia ſancta ſunt, omnia recta, omnia juſta: non impropèrium, ſed laudem meremur, quam ſi minus conſequemur à te modò, quo nondum maturuit, meritorum fructus referre, at cumulatiùs metemus in die judicij, quò noſtri labores reſpicere debent.

XVII.

Dicant aliqui, tametſi noſtræ formæ in phyſicis naturalibus veriſimilitudinem & jucunditatem oſtendant, in ſupernaturalibus tamen ſubſiſtere non poſſumus, dicendo, gratias & habitus ſupernaturales non eſſe entia abſoluta: Dicimur enim per eos lavari 1. *Cor.* 6. *Ungi & ſignari Tit.* 3. *Epheſ.* 1. *dicuntur nobis infundi, inhærere, & ſimilia, quæ amplius quid, quam formas relativas*

vas significant. Resp. Est hic vanissimus metus, non nisi in præconcepta & altè menti impressa opinione consistens. Quidquid agas, fateri debes, hæc omnia per metaphoras & allegorias ita dici: neque enim, etsi absoluta entia essent, ideo forent aqua aut liquor, qui propriè lavet; neque unguentum, quod propriè ungat; neque color, qui propriè signet. Inhæret autem propriè, & vel maximè eo ipso, quod sit forma modalis tantùm, cui implicat aliter, quàm insubjecto existere. Dicuntur illa sic per allegoriam ad principem humanum, qui, dum ruricolam ad aulam suam assumit, jubet illum ex agro recedere, à sordibus ablui, exui lacernis, vestibus aulicis indui, insigniri baltheo, &c. Ista non propriè, sed metaphoricè facit Deus in peccatore, quem convertit à peccato ad amorem divinorum: cui remittit omnia peccata, collocat eum in sorte domesticorum suorum, amicorum & filiorum ei jura liberaliter confert; alios in aliis honorum, prærogativarum, munium, gradibus collocando, eorum actionibus speciali modo se adjungendo, sic ut condignitatem ad meritum, & ad sui participationem habeant: qui status absque dubio supra omnem modum est æstimandus, quia infiniti boni lucrativus. Quod autem actus illi supernaturales sint entia, quæ possint creativè existere, impossibile prorsus est, quia vitales sunt, & necessariò immanentes. Habitus verò gratiæ, amicitiæ, spei,

&c. esse entia similiter absoluta, nulla Scriptura, nullus SS. Patrum, nullum Ecclesiæ Concilium, nulla ratio suadet: & si non assueti jam essemus ineptiis istis dictionum, quis non putaret te insanire, si te audiret dicentem, posse gratiam Dei poni in lapide, posse subsistere amicitiam Dei, quam nullus habeat cum Deo, posse esse habitum fidei, quo nemo Deo credere possit, quod sit nullius subjecti? Nugæ nugarum! & tamen eò amentiæ devolutæ sunt scholæ, ut nisi quis talia asserat, caput & vitam luat. Infaustum tribunal, quo veritates premuntur, figmenta triumphant!

XVIII.

Quidquid sit, inquis, fecissem prudentiùs, si ad sacratiora studia animum atque operam applicassem. Resp. Sic est, si affectibus meis vulgaris philosophiæ nocentissimus strepitus non obvenisset. Magnum quid sonat philosophiæ nomen, & plurimùm pollicetur; unde avidè eam auditores auspicantur plerumque, sed posteaquam universales quosdam non nisi errores & obscuras caligines mentibus impresserunt, non quidem aliqua genuinâ scientiâ divites, sed tamen delirandi consuetudine acti, ad theologica transeunt: ubi revelata mysteria stridenti stipulâ de lycæis assumptâ mise-

miserabili carmine discerpunt. Sic laboratur sine fructu, sine quiete mentis, cum sterili cura ac tædijs, non priùs finiendis, quàm vita defecerit. Hujus Sisyphææ voluntationis cum me cum passio tangeret, cogitavi, non posse quidquam utilius fieri, quàm si philosophia genuinum in statum reducta, mysteriis exponendis deinceps fideliùs & feliciùs præfulgeret: sic structuram Theoricam firmiorem consistentiam habituram, quæ & spatium relinqueret, alijs utilioribus atque operario Ecclesiastico necessarijs facultatibus adjungendis. Atque ita deductus sum ad id, quod vides, consilij; cujus si effectum conspexero, non deerunt materiæ aliæ, quibus me multo libentiùs occupabo.

XIX.

Quidquid agimus, frustra sumus; quin nostra tamen doctrina non placebit scholarum præsidibus. Resp. Non erunt semper iidem præsides, quibus potius est, quid sit consuetum, quàm quod consultum: tempora mutantur & homines, sed veritas manet in æternum. Conamur & nos observare illam regulam; *Idem sentiamus, idem loquamur omnes*, in sano sensu. Primùm

enim Apoſtolus agit de materia fidei, in qua haud dubie conſentiunt catholici omnes. traducitur quidem etiam ad placita ſcholaſtica; ſed eatenus, quatenus in electione dogmatum cæcis affectibus agi non debemus: in errore verò manifeſtè cognito ut conſentiamus, nemo ſapiens jubet. Non ſcripſimus noſtra eo conſilio, ut omnibus placeant, etiam doctrinæ Chriſti ubique etiam hodie à plurimis contradicitur. Exhibuimus tamen noſtra viris pluribus, qui judicij ſunt minimè obligati, ſed indifferentis, litteraturâ quoque conſpicui, gradibus inſigniti, & in dignitatibus conſtituti; vidimus tamen adhuc neminem, qui non & approbarit, & adeo commendarit, ſed & optaverint, ut in ſcholas publicas cum honore introducantur. Speramus inſuper, noſtros conatus placere ſuperis, eo magis, quo minùs humanis gratijs inhiamus, ſi vellemus hominibus inordinatè placere, non ſervi Chriſti eſſemus.

XX.


Queritur alius, me adhibere ſtylum nimis ſeverum, & acerbis epithetis uti? Reſp. Scapham voco ſcapham, & ficum ficum: prout res ipſa meretur, ita eam, currente calamo, tracto; quale eſt corpus, talia ei veſtimenta circumdo. Multo mihi major eſt anſa coram ſacra

cra Aſtræa tibi diem dicendi, de grandi ac multiplici injuria, non ſolum in me, quod poſſum mitius ferre, ſed etiam in cauſam meam, ſive in ipſam veritatem, quæ major eſt me, bonique publici proma-conda eſt æſtimanda, indignè contra jus faſque commiſſa. Quænam ſit illa interrogas? Noſti, quot innocentiſſimos viros, ab omni laudis genere commendabiles, ad ultimam ſortem tua tribus detruſerit, ex ea tantummodo cauſa, quod noſtrum dogma dicerentur vel approbaſſe, vel ſaltem non rejeciſſe. Factum omnibus patet, cujus injuſtitiam quàm mihi facile erit pro tribunali oſtendere? Non erit ſanè, quare ſim probationum ſollicitus: te ipſum cogam contra te teſtem fieri: Exigam enim tres à te voculas tantùm, *ſubjectum*, *prædicatum*, *& copulam*; propoſitionem, inquam unam requiram, quam habeas contra nos, adeo reprehenſibilem, tantisque ſulminibus extinguendam. Caput autem meum in pignus deponam, ſi aliam producere poteris, niſi aliquam fortè, quam noſtris in chartis omnibus non reperies; aut quam centum argumentis ſtabilitam, & toti mundo demonſtratam probabimus. Quomodo tunc ſubſiſtes butyrum in ſole? Noli dubitare; in poteſtate mea eſt facere hoc ipſum: me ipſe negligere fortaſſe poſſum, ſed non alijs, & ipſi tam juſtæ cauſæ deeſſe. Quæritur tan-

tantùm an velim. Volo autem, ſi procedet injuria. Noli errare; non mihi tam vilis eſt animus, ut propter alienam iniquitatem à propria virtute deficiam; & ſecundùm imperitiæ impetus à ſemita veri deturbar. Stabit mihi imperterritus Hercules, & contra audentior ibit. extraham pretioſam gemmam, quam in ſterquilinium projeciſti; atque efficiam, ut ipſe de eadem ſordes abſtergas. Sed claudite jam rivos pueri.

FINIS.






GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [771] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [772] - -

PUBLIC DOMAIN

ERRATA

Operis hujus posthumi, leviora, pro benevolentia sua Lector excusabit, graviora verò sic corriguntor.

PAgina 11. lineâ 16. & 17. lege *remissum, gratiam.* ibid. l. 19. l. *habens jus, alius.* p. 17. l. 23. l. *significari.* ibid. l. 28. *quia* l. *quâ.* p. 20. l. 7. l. *loquêris, etiam.* ibid. l. 27. l. *formalitas subjecti.* p. 34. l. 3. l. *exerceret.* p. 37. l. 27. l. *ad uniri.* p. 46. l. 6. l. *quô modô.* p. 49. l. penult. l. *effectivitas.* p. 50. l. 13. l. *naturam.* p. 52. l. 22. & l. *est.* p. 59. l. 3. *quod.* l. *quodnam.* ibid. l. 27. & *omnis* l. & *fons omnis.* p. 60. l. 6. l. *aseitas.* ibid. l. 22. l. *risibilitatem.* ibid. l. 27. l. *sicut* & *infinitudo.* p. 61. l. 4. l. *Syncategorematicam.* p. 63. l. 16. & l. *ùt.* p. 66. l. 13. l. *non-identitas.* p. 71. l. 3. l. *distinguitur â non cogn.* p. 73. l. 12. l. *nimirum ex innum.* p. 74. l. penult. l. *non potest esse homo.* p. 78. l. 15. l. *dictum.* p. 82. l. 6. l. *influxum.* ibid. l. 26. l. *siquod.* p. 92. l. 19. l. *contingens.* p. 94. l. 2. *nego* l. *neque* p. 96. l. 5. l. *quatuor prædicata excutimus.* ibid. l. 7. l. *entis, & reliqua.* ibid. l. 11. l. *in viventium.* p. 100. l. 16. l. *notitiam, præcisè hæc.* p. 109. l. 18. l. *dictum est.* p. 112. l. 29. l. *laxati.* p. 117. l. 21. *perpendicularis* lege *horizontalis.* p. 130. l. 5. l. *effluvio.* ibid. l. 28. l. *impingit.* p. 131. l. 11. l. *tensio.* ibid. l. 30. *continent* l. *contingunt.* p. 132. l. 21. l. *tapete.* p. 137. l. 19. l. *fibras.* p. 141. l. 8. l. *concedi.* p. 145. l. 14. l. *experientiam.* p. 150. l. 9. l. *obscurâ, untere.* p. 160. l. 4. & 5. l. *subjecto.* p. 165. l. 10. l. & *conversionem in suam substantiam.* ibid. l. 19. l. *microscopica.* p. 171. l. 13. l. *Sicut etiam substan.* p. 172. l. 23. *quibus* l. *plus.* p. 173. l. 1. *in afferendo* l. *inferendo.* p. 175. l. 15. *extremo* l. *externo.* p. 177. l. 3. *ergo.* l. *E.g.* p. 181. l. 22. l. *ad actiones.* p. 184. l. 16. l. *aliquid est, causa finalis.* p. 187. l. 15. *quem* l. *quàm.* p. 189. l. penul. *eadem* l. *eam.* p. 191. l. 7. l. *subsistit.* p. 193. l. 15. l. *co-actio.* p. 195. l. 30. l. *affundit.* p. 198. l. 29. l. *reproducendum.* p. 203. l. 27. l. *parari.* p. 212. l. 2. l. *abjicit.* p. 216.

l. 118


l. 11. l. *Evchariſticum.* p. 228. l. 3. lege 223. 224. 226. 231. 232. 233. pag. 231. l. 26. l. *bruti.* p. 233. l. 7. l. *quomodo enim anima.* ibid. l. 28. lege. 335. 336. 337. p. 234. l. 4. lege 299. 300. p. 238. l. 10. l. *illos.* p. 239. l. 28. *ſe* l. *ſed.* p. 241. l. 28. l. *requiritur.* p. 242. l. 21. l. *ordinârit.* p. 253. l. 25. l. *definiuntur.* p. 259. l. 24. *Servitutem* l. *ſerenitatem.* p. 260. l. 14. l. *declaratur.* p. 266. l. 9. l. *inanimatis.* p. 276. l. 26. usque ad finem, lege: *gubernandi, & jurisdictio, nihil eſt; ſubjectio in ſubdito, & obligatio parendi, nihil eſt; numerus peccatorum, nihil eſt; proportio corporum.* p. 279. l. 2. dele *ideò.* p. 282. l. 10. l. *ſæculorum longâ ſerie.* p. 283. l. 10. & 11. lege *t.* 64. & 6. *met.* 8. ibid. l. 28. l. *intelliges.* p. 285. l. 11. & 12. lege *inſidêre.* p. 289. l. 25. l. *per ſe ipſam.* p. 298. l. 10. l. *ceſſio.* ibid. l. penul. l. *contiguum.* p. 300. l. 16. l. *radiis.* p. 306. l. 1. & 2. leg. *accidentia* p. 308. l. 9. l. *poterat. Denique nulli viventium, nec non-viventium poterat eſſe ad uſum.* p. 328. l. 28. l. *reflexi.* p. 332. l. 1. l. *calor.* ibid. l. 9. l. *balitu.* ibid l. 13. & 14. leg. *quâ partes eædem.* ibid. l. 18. l. *ſubſultent.* ibid. l. 23. l. *hærentes: hæ partim.* p. 335. l. 3. l. *avertitur; craſſior autem.* ibid. l. 23. l. *appulſa.* p. 345. l. 2. l. *calore.* p. 355. l. 6. *ne* lege *nec.* ibid. l. penul. l. *faciant.* 356. l. 6. poſt *poſſuntne* dele punctum. ibid. l. 16. l. *continget.* 357. l. 17. l. *fuerint.* 358. l. 8. l. *intellige.* 360. l. 22. l. *citius accendit; quia motu acceleratô aſcendens, ibi celeriùs movetur, corpus ampl.* ibid. l. 25. l. *admota.* 362. l. 28. l. *retinétne.* 365. l. 4. l. *impenetrab.* 369. l. 1. *reſpectivè* l. *reſpectiva.* ibid. l. 17. dele *non.* ibid. l. 25. *ſit* l. *ſit.* 371. l. 20. l. *extruſas.* 373. l. 18. l. *ſummum.* 375. l. 4. l. *reddit.* ibid. l. 9. l. *fibrillas.* 376. l. 9. l. *excipiendo.* ibid. l. 12. l. *ſordes ſalinâ edacitate abradens, implicat.* 384. l. penul. l. *acinorum.* 386. l. 15. l. *anguſtatæ.* ibid. l. 19. *infra* l. *intra.* ibid. l. ult. *ſic ut* l. *quæ.* 387. l. 1. *ſit alliſio*, lege: *alliduntur; unde motus terræ efficitur.* ibid. l. 24. l. *unde alius & alius.* 395. l. 14. l. *huc illucque.* 396. l. 10. *poteſt* l. *poſſit.* 398. l. 26. l. *Supervacaneam.* 399. l. 6. *ſe quis* l. *ſi quis.* 400. l. 19. *habitus* l. *halitûs.* 404. l. 2. & ſeqq. leg.

leg. *Stannum, videtur metallum mixtum ex argento & plumbo. Hydrargyrum, quod Medicis est Mercurius, item Stibium seu Antimonium, non sunt metalla, sed semi-metalla.* ibid. l. 7. & l. *est.* 406. l. 18. l. *Vasa culinaria.* 407. l. 23. l. *Stibium. Metallica verò audiunt, Sal, Sulphur. &c.* 413. l. ultim. *quod* l. *quô.* 414. l. 20. l. *admissæ.* 420. l. 5. l. *particulæ.* 425. l. antrepenult. *inoleſcit* l. *innoteſcit.* 426. l. penult. l. *magnam, neque calidam.* 431. l. 22. l. *Demonſtratur.* 433. l. 10. l. *ſequitúrne.* 435. l. 19. *ſic e.* l. *ſic ei.* 436. l. 24. *nos* l. *nos non.* 438. l. penul. l. *microſcopica.* 441. l. 18. *nec* l. *nec tunc.* 442. l. 22. *ſcil* l. *ſed.* 443. l. 20. l. *criſpatio.* 449. l. 24. *eum* l. *cum.* 450. l. 22. *qua* l. *quæ.* 458. l. antepen. l. *tactum afficit, ac panis.* 460. l. ult. *cedet* l. *ceſſat.* 471. l. 11. l. *averſativis.* 475. l. 21. *fiſſurarum* l. *figurarum.* 479. l. penul. l. *organorum.* 481. l. 13. *planè* l. *plenè.* 483. l. 9. *cum* l. *eum.* 484. l. 3. l. *ſe ipſum.* ibid. l. 4. l. *alterum.* 487. l. 3. *hoc* l. *hac.* ibid. l. 13. l. *ſubſiſtenti.* 490. l. 23. l. *averſatio.* 492. l. 8. l. *fibroſitatem.* 495. l. ult. l. *inteſtina. Chyli.* 499. l. 22. *eum* l. *cum.* 500. l. 2. l. *ſolâ.* l. ult. l. *vegetat.* 505. l. 20. l. *microſcopus.* 511. l. 25. l. *contigua.* 521. l. 21. l. *ſolum & ſemper.* 526. l. 4. *hoc* l. *hæc.* 527. l. 13. l. *ùt liber, eſt natur.* 528. l. 21. *ad* l. *ùt.* ibid. l. 24. l. *averſatur.* 534. l. 1. *quam* l. *quem.* 536. l. 12. l. *diſcernant.* 548. l. 15. *qua* l. *quó.* ibid. l. 16. l. *deſiderat.* ibid. l. 17. l. *æſtimet.* 549. l. 4. l. *amari.* 553. l. 5. *quod* l. *quòd illa.* 556. l. 9. *humo* l. *homo.* 557. l. 7. *quæ* l. *quâ.* ibid. l. 9. l. *charitatis ſimilis, eſt.* 561. l. 25. l. *an ſit in gratia.* 563. l. 20. & 21. *ipſumque* l. *quod ipſum.* 569. l. 4. *ſicut* l. *ſic ùt.* ibid. l. 23. & l. *ex.* 570. l. 27. l. *intendendas.* ibid. l. pen. *malè* l. *mala.* 571. l. 3. l. *elicitæ.* 575. l. 6. l. *ipſo libro.* 578. l. 3. l. *formicatio.* 580. l. 8. adde. *Qualitas, quomodo refracta? Jul.* 3. pag. 581. l. 23. *operui* l. *aperui.* 589. l. 7. l. *placidè.* ibid. l. 12. l. *polleant.* 591. l. 4. l. *addenſando.* ibid. l. 25. l. *ideis divinis.* 592. l. 17. l. *ſpeciei.* 601. l. 1. l. *diatè exercent actionem regiminis in potentias ſenſitivas; ita in Angelo immediatè eandem.* 612. l. 1. *qui* l. *quid.* 616. l. ult. l. *mutarentur.* 617. l. 25. *cui* l. *qui.* 620. l. 11. *etiam* l. *enim.* ibid. l. ult. l. *exercitum.* 624. l. 5. dele *ipſum.* 625. l. 25. l. *ceſſat.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [775] - -
PUBLIC DOMAIN

l. ceſſat. 626. l. 21. ſit l. ſit. 627. l. 7. l. fumum. l. vaporem, loc. 632. l. 4. l. archæalem. ibid. l. 16. oleum l. Olaum. 633. l. 6. l. accurrunt. 635. l. 10. l. facit. 636. l. 24. l. Superioritatis, inferioritatis. 638. l. 10. l. obverſo. ibid. l. 14. l. acquiret. 647. l. 8. tam l. jam. ibid. l. 10. l. doctrinam, quâ. ibid. l. 21. l. poſſet. ibid. l. antepen. nam l. eam. 648. l. 18. utique l. ubique. 649. l. 6. l. Claud. Columbus, & Americus Veſputius. ibid. l. 10. ergo l. Ego. 651. l. antepen. ſi l. ſit. 655. l. ult. l. fundetur. 659. l. 25. uti l. &. 660. l. 7. dele ut. 663. l. antepen. urticas l. ficûs. 668. l. 15. l. explicatiorem. 673. l. 26. l. minimè eſt. ibid. l. ult. l. maneat. 685. l. 27. l. unum quatuor. 687. l. antep. l. ſubjecto. 690. l. 13. l. fatigatum. ibid. l. 14. multo l. nullo. 694. l. 24. eum l. cum. 696. l. 16. ne l. næ. 697. l. ult. l. pomœria. 702. l. 19. ac l. de. 704. l. 10. l. ſinguli. 706. l. 27. l. laboribus. 713. l. 19. l. innuis tuos. 716. l. 7. l. judicantis. 717. l. 17. l. efficies. ibid. l. 24. l. carpis. 721. l. 2. eum. l. cum. ibid. l. 4. l. voluptationis. ibid. l. 5. l. compaſſio. 724. l. 5. l. deturber.





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [777] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [778] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover 35
036 855 561

(zu den Mss.)

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [779] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [780] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 36;ZEN Leibn. Marg. 36, [781] - -
PUBLIC DOMAIN